ANECDOTUM

VENERABILIS SERVI DEI

BEATI ANGELI CARLETTI.

ANECDOTUM
VENERABILIS SERVI DEI
BEATI ANGELI CARLETTI
A CLAVASIO PEDEMONTANI

ORDINIS MINORUM REGULARIS OBSERVANTIÆ
S. FRANCISCI

IN QUO


Author agit DE CONTRACTIBUS, eoſque explanat, veſtigia præſertim ſequens SANCTI BERNARDINI DE SENIS

NUNC

Primo in Lucem editum, congruiſque Notis illuſtratum ſtudio, & labore

PATRIS FRATRIS HONORII MARENTINI
DE SUMMARIPA NEMORIS

EJUSDEM ORDINIS, ET PROVINCIÆ SANCTI THOMÆ APOSTOLI IN PEDEMONTIO.





MEDIOLANI M. DCC. LXVIII.

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MARELLI.
Cum approbatione Superiorum.

JUssu R. A. P. Dionysii Cajetani de Poasco Delegati Generalis Nos infrascripti perlegimus Opus inscriptum : *Anecdotum Venerabilis Servi Dei Beati Angeli Carletti a Clavasio Pedemontani Ordinis Minorum Regularis Observantiæ Sancti Francisci, in quo Author agit de Contractibus, eosque explanat, vestigia præsertim sequens S. Bernardini de Senis: nunc primo in lucem editum, congruisque notis illustratum studio, & labore Patris Fratris Honorii Marentini de Summaripa Nemoris ejusdem Ordinis, & Provinciæ S. Thomæ Apostoli in Pedemontio:* in quo & B. Angeli, & annotationum Authoris ingenium perspicax, acutum, solers, sanam doctrinam gravissima Legum auctoritate communitam, uberrimam eruditionem, accuratissimum probabiliorum sententiarum delectum sumus demirati. Quare egregii Editoris nomen dignum est, ut cum B. Angelo non magis, quam cum æternitate conjungatur; ac dignissimum est opus ut in publicam lucem prodeat.

Dat. Astæ ex Cœnobio S. Bernardini septimo Kalendas Augusti An. 1768.

F. Fulgentius Maria Riccardi a Taurino Ord. Min. Reg. Obs. Sacræ Theologiæ Lector Generalis.

F. Amedeus Buissonus a Taurino Ord. Min. Reg. Obs. Sacræ Theologiæ Lector Generalis.

F. Pa-

Fr. Paſchalis a Variſio Lector Emeritus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Matritenſi Congreſſu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, & in Domino Servus.

CUm Opus, cui titulus eſt: *Anecdotum Venerabilis Servi Dei Beati Angeli Carletti a Clavaſio Pedemontani Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ S. Franciſci &c.* a R. P. Honorio Marentini de Summaripa Nemoris Noſtræ Obſervantis Provinciæ S. Thomæ Apoſtoli Lectore Jubilato, & Ex-Provinciali compoſitum, a duobus Patribus Theologis de Ordine noſtro, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum fuerit; vigore præſentium facultatem eidem concedimus, quatenus, ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſit.

Dat. Mediolani e noſtro Conventu Giardini die 30. Novembris 1768.

FR. PASCHALIS A VARISIO
Miniſter Generalis.

L. S.

De Mandato Reverendiſs. in Chriſto Patris
F. Joannes Dominicus de Solerio Definitor Generalis & Pro-Secretarius Generalis Ordinis.

LECTORI BENEVOLO.



EMINERIS eorum, Lector, quæ promisi, quum anno proxime præterito Typis Mediolanensibus publici juris feci Manuscriptum hujus Venerabilis Servi Dei, in quo agit de Decem præceptis Decalogi, & de Septem vitiis Capitalibus: Pollicitus scilicet eo temporis sum vulgare duas alias ejusdem Beati Tractationes statim atque absolutæ forent Annotationes, quibus eas illustrare meditabar. Habeto igitur nunc ex his duabus unam, alteram accepturus, vita comite, anno uno, vel alio proxime sequenti.

Hujus Anecdoti in cognitionem veni legens vitam Sancti Bernardini Senensis, quam anno 1744. Venetiis emisit Pater Frater Amedeus Maria de Venetiis felic. mem., hystorico-criticis Annotationibus illustratam; Scriptor enim ipsius pag. 334. recensens Opera Sancti Bernardini, hæc habet col. 2. -- *Il Trattato de' Contratti incomincia così. Incipit Tractatus Contractuum compilatus ex dictis Sancti Bernardini compendiose per Venerabilem Fratrem Angelum de Clavasio Ordinis Minorum Provinciæ Januæ. Questo Frat' Angelo fu Vicario Generale della Osservanza, ed è l'Autore della Somma detta Angelica* --. Ut primum hæc legi, quum Vitam tunc scriberem Beati Nostri, cujus cultus ab immemorabili tempore eidem præstitus a Benedicto XIV. Pontifice Maximo solemni Decreto fuerat approbatus die 25. Aprilis 1753.: Per epistolam rogavi Adm. R. Patrem Fratrem Joannem Illuminatum de Venetiis Provinciæ nostræ Venetæ Ex-Ministrum Provincialem (jam

e vivis ſublatus erat P. Amedeus Maria, de quo ſupra) ut mihi, ſi id fortuito ſciebat, indicare non dedignaretur, qua in Urbe, qua in Bibliotheca, quo in Archivo ſervabatur Anecdotum. Et protinus pro ſua humanitate nedum patefecit locum, in quo extabat, Patavii videlicet in Bibliotheca noſtri Cœnobii ſub titulo Sancti Franciſci Magni, & ſignate in pluteo num. XLVIII.; ſed inſuper paullo poſt requiſitus miſit ad me Anecdotum ipſum. Eſt hoc Chartaceum, charactere ſemigotico exaratum, injuria temporis non corroſum, & una cum nonnullis Manuſcriptis aliorum Veterum Scriptorum in uno eodemque volumine poſitum. Quum & propter veterem characterem, & propter multiplices ſyllabarum contractiones ab antiquis Amanuenſibus adhibitas, difficillimum eſſet ipſum tranſcribere, ſocium laboris adſcivi Perilluſtrem Dominum Marinum Cucchum, unum ex Cuſtodibus Regii Archivi, in legendis obſoletis vetuſtiſſimis characteribus ſingularem: Et, abſoluto exemplari ad verbum exſcripto, mutuatum Anecdotum, unde ad me venerat, cum gratiarum actione remiſi.

Inventione hujus Anecdoti candide expoſita, putarem neminem reperiri, qui velit ambigere, an Beatus Noſter vere fuerit iſtius Tractationis Author. Præterquamquod veriſimile non eſt, alium neſcio quem uſurpare voluiſſe nomen non ſuum in evulganda re, quæ, ut fert ipſe titulus, potius eſt collectio doctrinæ Sancti Bernardini ſuper Contractibus, quam Tractatio ex toto ab Authore marte ſuo elaborata: Id ſuadet, & probat non ſolum doctrina cum Angelica plerumque congruens, ſed vel maxime, quod perſæpe eundem omnino ſervat rerum ordinem, iiſdem omnino verbis mentem aperit ſuam; ut non immerito ſuſpicer in condenda Summa Angelica multa ex hoc Tractatu ſæpe numero ad verbum exſcripſiſſe. Idem magis ma-

magisque confirmatur, quia in Tractatione *de Restitutionibus* hujus Tractatus semel iterumque meminit, prima nempe Consideratione art. 3. tit. 4. dub. 2., & eodem articulo tit. 17. dub. unico: Et quidem tanquam Operis a se ipso lucubrati, ad quod legentes remittit, ut de iis rebus, quas ibidem examinat, plene erudiantur. Porro Tractationem *de Restitutionibus* eidem adjudicant quotquot agentes de Scriptoribus Ecclesiasticis ejus Opera recensuerunt. Et ipsi igitur tribui debet præsens Tractatus.

Ex hoc planum omnibus fit, duas hasce Tractationes insimul non esse confundendas, ut unum, idemque innuant Opus a Beato Viro elaboratum: Quum reapse duæ lucubrationes sint invicem distinguendæ, ab eodem Authore in ordinem positæ, & successivis temporibus evulgatæ. Erravi iccirco, & meipsum fefelli, dum in Præfatione Manuscripti Mediolani, ut dixi, jam Typis consignati pag. XIII. & XIV. ambas Tractationes in unum complexus sum, ex eo deceptus, quod Author, vel ut verius dicam, Exscriptor in eodem Manuscripto inquit pag. 109. -- *Et de hoc require plenius in Tractatu Contractuum, & Restitutionum, ubi plene tracto* -- (vitio Amanuensis id tribuendum censeo, qui, cum forte scriptum esset in Tractatu Contractuum, & in Tractatu Restitutionum, vel aliud simile, errante oculo, & manu aliquid omisit: Quod norunt Theologi propter consimilem causam compluries contigisse in aliis operibus exscribendis, sicuti evidenter ostendunt Monachi Benedictini in Observationibus ad Prologum Sancti Hieronymi in Epistolas Canonicas). Nondum ad manus meas pervenerat Anecdotum *de Restitutionibus*, dum ita scripsi. Quapropter hinc sciens Authorem Tractationem *de Restitutionibus* edidisse, illinc præ manibus duntaxat habens præsens Anecdotum, in quo identidem de Restitutionibus sermo fit: Adhuc nescius, quomodo

res vere ſe haberet, phraſim ipſam manuſcripti adoptavi, quam vitiatam probare tunc non poteram, nihil eidem addens, nihilque detrahens. Verum quum, antequam prælum quieſceret, lucubratio Authoris de Reſtitutionibus mihi fuiſſet exhibita, ſtatim, me ipſum quaſi corrigens, Monitum quoddam in fine ejuſdem Manuſcripti ponendum miſi, in quo unum Opus dicitur, & exprimitur ab altero vere, & perſpicue diſtinctum. Res igitur explorata nunc eſt Anecdota Contractus exhibentia, & Reſtitutiones eſſe invicem diſtinguenda; & diſtinctis temporibus, diſtinctoque titulo fuiſſe a Beato Noſtro ſcripta.

Quum, ſicuti monui, in Tractatione *de Reſtitutionibus* legentes remittantur ad præſens Anecdotum, palam fit, hoc eſſe ipſa vetuſtius, & anteriori tempore conſcriptum. Sed quo anno ſignanter, Deus ipſe noverit. Ne verbum quidem de hoc reperio ſive in una, ſive in altera lucubratione. Immo, quod hanc rem nobis reddit magis imperviam, nec mentio fit alicujus muneris, quo Author tunc in Ordine fungeretur. Ne igitur divinare cogar, unice dicam, Authorem primo edidiſſe præſens Anecdotum, ſecundo Tractationem de Reſtitutionibus, tertio Summam Angelicam, quarto demum Manuſcriptum recenter a me pervulgatum (de Operibus tantum loquor, quæ ego vidi, fateor enim & alia conſcripſiſſe, quæ, omni licet adhibita diligentia, uſque ad hoc tempus invenire non potui). Id evidenter oſtenditur, quia in hoc Anecdoto non allegat Opera poſterius recitata: Quia in Tractatione de Reſtitutionibus meminit hujus Anecdoti: Quia multa ex his duabus lucubrationibus ad verbum tranſtulit in Angelicam: Quia denique in Manuſcripto ſemel iterumque laudat Angelicam, ut videre eſt pag. 91. & 109.

Supereſt nunc, ut nonnulla dicam de Operis præſtantia,

& uti-

& utilitate. Præstantia ex eo præsertim potest ostendi, quod Author oratione simplici, & plana, omnia perspicuis, congruisque legibus firmat tum Civilibus, tum Canonicis, a quibus solis plerumque in hac potissimum materia repetunda veritas est. Posset iccirco cum Augustino lib. *de Mendacio* cap. 1. legenti denuntiare – *Eloquium noli quærere .... Multum enim de rebus laboravimus .... Unde .... prope nulla fuit nobis cura verborum* –. Quæ sit ejusdem utilitas, evinci potest tum ex re, de qua Author agit, quæ ubique gentium factitatur, & communius est humanæ societatis exercitium: Tum ex modo, quo eandem exhibet, exponendo primum, quod ab hominibus solet fieri, declarando postmodum quid ab iisdem fieri debeat, ut hic, vel ille Contractus immunis sit a peccato: Tum ex legibus propriis, & apertis, quæ non ab omnibus Scriptoribus proferuntur, & quarum ignoratio in caussa est, cur non solum agentes a recta via persæpe deflectant, verum etiam bonus quandoque dormitet Homerus. Sed quorsum hæc! Opus ipsum in luce, atque oculis omnium erit; Et iccirco unusquisque judicare poterit, quanti sit faciendum, & an Author, ipsum in ordinem collocando, communi hominum commodo, utilitatique servierit. De hoc uno igitur te Lectorem Benevolum etiam atque etiam rogo, ut a judicio de Opere ferendo te cohibeas, donec librum a calce ad carceres attente examinaveris -- *Sane quisquis legis, nihil reprehendas, nisi cum totum perlegeris, atque ita forte minus reprehendes* --. Augustinus ibidem.

Eo demum, quo quisque in veritatem ferri debet, amore ingenue fateor, mendum irrepsisse in paginam 99. Manuscripti jam vulgati, ubi in textu legitur – *Quicumque mutavit super pignus rei mobilis*, quum legendum sit -- *Quicumque mutuavit* -- : item in paginam 100., ubi pari-

 ter

ter in textu habetur -- *non erit usura*, *sed justitia*, quum dicere oporteat -- *sed injustitia* -- Item in pag. 136., ubi annot. 23. legitur *Lamindum Britanium*, quum sit legendum *Pritanium*, vel *Pritanum* -- in paginam item 236. Annotatione 4. Ea enim Scripturæ verba, quæ ibidem tribuuntur Isaiæ 18. vers. 21, leguntur Ezechielis 18. vers. 21. & seq. Gravius postmodum est, quod excidit pag. 154., ubi scripsi -- *His excommunicationibus adde novissime latas a Benedicto XIV.*, *videlicet contra improbos homines*, *qui Sacerdotes apud Judices Ecclesiasticos falso sollicitationis insimulant*, *& contra Confessarios* &c. --. Non ita sane, non ita est. Tametsi Summus Pontifex in sua Constitutione incip. *Sacramentum Pœnitentiæ* edita Kal. Junii an. 1741. statuerit, Confessarios, qui extra mortis articulum, & casum extremæ necessitatis audebunt absolvere personas complices in peccato turpi, in excommunicationem incidere -- *Et nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit*, *majoris quoque excommunicationis pœnam*, *a qua absolvendi potestatem Nobis solis*, *Nostrisque Successoribus duntaxat reservamus*, *ipso facto incurrat* --: Hanc pœnam tamen non extendit ad impios calumniatores, de quibus unice constituit -- *Ut igitur tam nefaria audacia*, *& tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur*, *quæcumque persona*, *quæ execrabili bujusmodi flagitio se inquinaverit*, *vel per se ipsum innocentes Confessarios impie calumniando*, *vel sceleste procurando*, *ut id ab aliis fiat*, *a quocumque Sacerdote quovis privilegio*, *auctoritate*, *& dignitate munito*, *præterquam a Nobis*, *Nostrisque Successoribus*, *nisi in fine vitæ*, *& excepto mortis articulo*, *spe absolutionis obtinendæ*, *quam Nobis*, *& Successoribus prædictis reservamus*, *perpetuo careat*.

Addi illic poterat, immo debebat, altera Excommunicatio ab eodem Summo Pontif. lata in sua Constit. incip.

cip. *Ubi primum* die 2. Junii 1746. contra defendentes posthac praxim exquirendi nomen complicis in Sacramentali Confessione, denuntiata pœnitentibus, nisi revelent, Sacramentalis absolutionis negatione: quum & ipsa sit Summo Pontifici reservata. En verba ipsa Pontificiæ Constitutionis: *Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, & ordinis, etiam speciali, & individua, ad effectum, ut hisce Nostris præsentibus comprehendantur, mentione & expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato Nostro Brevi exponitur, ac reprobatur, vel scribere, aut loqui præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem; vel ea, quæ in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere, seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.*

Die 9. Septembris 1768.

IMPRIMATUR.

F. Dominicus Pinus O. P. S. Theol. Magister, & Commissarius S. O. Mediol.

J. A. Vismara pro Eminentiss. & Reverendiss. D. D. Card. Archiepiscopo.

Vidit Julius Cæsar Bersanus pro Excellentissimo Senatu.

AUTHORES

Quorum mentio ſit a BEATO Noſtro in hac Tractatione ſua.

ACcurſius, non ab Amiterno ſextidecimi ſæculi vir doctiſſimus, ſed patria Florentinus, Juriſconſultus celeberrimus, qui Gloſſam edidit ſuper univerſo Jure Civili, obiitque Bononiæ an. 1229., ætatis ſuæ annum agens 78.

Albanus Abbas ab Inſula, ſeu Inſulenſis, Doctor Sorbonicus, & Monachus Clarevallenſis, qui ob multiplicem eruditionem Doctor univerſalis nuncupabatur, & mortuus eſt anno 1294.

Alexander de Ales, ſeu Alenſis, Ordinis Minorum, Doctor Irrefragabilis appellatus, Magiſter Sancti Bonaventuræ a Balneoregio, inſignis Theologus Facultatis Pariſienſis, qui Pariſiis mortalitatem explevit anno 1245.

Alexander ab Alexandria, vulgo apud Italos *della Paglia*, alias Lombardus, Ordinis Minorum, qui anno 1313. in Comitiis Barcinonenſibus ad Præfecturam Ordinis fuit promotus, & poſt annum, & quartum ſui Regiminis menſem Romæ fato ceſſit in Cœnobio Aracœlitano. Scripſit in Magiſtrum ſententiarum, Summam quæſtionum Sancti Bonaventuræ, Tractatum de Uſuris &c.

Angelus de Peruſio Baldi Frater, in jure Civili doctiſſimus, apud Jureconſultos celeberrimus, multa in ſua facultate volumina compoſuit, e quorum numero Commentaria ſuper Cod. lib. IX., ſuper Digeſt. vetus lib. XXIIII. ſuper novo lib. XII. Infort. lib. XIIII., ſuper Inſtitut. lib. IIII. Mortuus eſt anno 1423.. Ita Trithemius.

Antonius de Butrio, inſignis Jureconſultus Bononienſis, qui ex hominum vita demigravit circa annum 1407., vel 1408. ſcripſit in Decretales, & in Sextum.

Archidiaconus. Ni fallor, hic eſt Joannes de Anania Archidiaconus Bononienſis, vir in Jure Canonico peritiſſimus, qui inter alia edidit Commentaria ſuper libros Decretalium, & Bononiæ in Domino obdormivit an. 1455., vel 1457., vel 1458., juxta diverſum Scriptorum placitum.

Ari-

Aristoteles. Hic Philosophus Græcus toti Orbi est notissimus, Nicomachi filius, discipulus Platonis, & Magister Alexandri Magni Regis Macedonum. Natus fuit Stagiræ anno ante Christum Redemptorem 384., & Calcide mortuus anno 322., ætatis annor. 63.

Azo. Floruit hic sæculo Ecclesiæ duodecimo, & Jurisprudentiam docuit tum Bononiæ, tum Montis Pessulani super modo, quo ipse interiit, Doctores non conveniunt.

Baldus, Petrus scilicet, ab Angelo ipsius Fratre distinguendus, Jurisconsultus celeberrimus, Bartoli discipulus, Patria Perusinus, qui Papiæ tumulatus fuit anno, ut creditur, 1400., habitu Franciscanorum indutus annum agens 76.

Bartolus discipulus Cyni Pistoriensis, Magister Baldi, & ipse Jurisconsultus clarissimus. Ortus fuit Saxiferrati in Umbria, & mortuus anno salutis 1355., vel 1356., vel 1359.

Sanctus Bernardinus Senensis Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, Massæ natus anno 1380., vel ut alii scribunt, 1383., Aquilæ in Vestinis tumulatus an. 1444., annum agens supra sexagesimum, qui anno ab ipsius obitu sexto a Nicolao V. Summo Pontifice in Sanctorum numerum relatus est.

Cynus Pistoriensis, Jurisconsultus, Magister Bartoli, Author Commentariorum super Codice, & parte Digestorum, qui Bononiæ cessit e vita an. 1336.

Franciscus de Mayronis Ordinis Minorum, nuncupatus Doctor Illuminatus, qui omnium primus sustinuit Parisiis Actum illum vere singularem, qui dicitur Sorbonicus, a sexta nempe Matutina ad sextam usque Vespertinam, cui unus ex Ordine Minorum initium dat, alter ex Ordine Prædicatorum finem imponit; Ex quo derivatum est illud in Galliis commune proloquium: *Franciscanus aperit, Dominicanus Sorbonam claudit* --. Ortum habuit in Provincia Franciæ, & florebat sæculo Ecclesiæ quartodecimo. Scripsit in libros sententiarum, in Sacram Scripturam, & alia bene multa.

Girardus Obdonis, vel Oddonis, aut Othonis, & ipse Gallus, Ordinis Minorum, qui anno 1329. Minister Generalis fuit renunciatus, & anno 1342. ad Patriarchatum Antiochenum evectus. Doctor Moralis nuncupabatur. Scripsit in quatuor libros sentent., in Sacram Scripturam &c.

Goffredus. Hic fortassis est Goffridus Andegavensis, Ordinis

Sancti

Sancti Benedicti, Abbas Vindocinensis, & postmodum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui multa scripsit egregia, obiitque anno 1132. septimo Kal. Aprilis.

Gregorius de Arimino, Ordinis Sancti Augustini, Doctor Authenticus appellatus, & insignis Theologus. Ordinis sui præfecturam adeptus est anno 1357., & anno 1358. Viennæ in Austria vitæ finem implevit.

Guillelmus, vel, ut alii scribunt, Willelmus, vel Gullielmus de Monte Lauduno, Jurisperitus. Scripsit in aliquos Titulos Juris Civilis, in Clementinas, Extravagantes &c.

Hostiensis, scilicet Henricus de Bartholomeis, ortus Segusii in Subalpinis, splendor, & fons juris appellatus, Author Summæ utriusque juris, quæ dicitur Aurea, ex Archi-Episcopo Ebredunensi creatus Episcopus, & Cardinalis Hostiensis ab Urbano IV. Summo Pontifice, qui propterea communiter nuncupatur Hostiensis, e vivis sublatus anno 1271. Hujus Summa congruis adnotationibus illustrata publici juris facta est Venetiis apud Hieronymum Scottum anno 1570., & Taurini anno 1579. apud Hæredes Nicolai Bevilaquæ.

Hugo de Castronovo Ordinis Minorum, quem Paulus Britius inter Scriptores hujus meæ Provinciæ connumerat, & Anglum dicit Wadingus ad an. 1308. num. 66. Ex oppido de Novo Castro in Anglia. Scripsit in quatuor libros sententiarum, super Reportatis, de Finali Judicio, & de Antichristo. Florebat anno 1322., & vitam finivit in Conventu Parisiensi.

Jacobus de Arena, Parmensis, Jurisconsultus celeberrimus, qui scripsit super Codice, Digestis, & Infortiato, variasque disputationes, & claruit anno Domini 1300.

Innocentius IV. Pontifex Maximus, antea Sinibaldus Fieschi, splendor Canonistarum, qui Glossas edidit in jus Canonicum, aliaque Opera adeo insignia, ut Pater Juris, & Pater Veritatis passim appellaretur. Patria erat Genuensis, seu Januensis, inauguratus fuit Pontifex anno 1243., & anno 1254. fato functus Neapoli in Campania.

Joannes Andreæ Jurisconsultus, quem alii Bononiæ, alii prope Florentiam natum volunt. Scripsit Commentaria in quinque libros Decretalium, Glossas in sextum, & Clementinas &c. Vir Doctissimus, a Bonifacio VIII., uti dicitur, lumen Mundi appellatus, vocatus a Trithemio Fons Canonum, & dubiorum Cautissi-

tissimus Interpres. Obiit Bononiæ peste confectus anno 1348.

Joannes Calderinus Jurisconsultus, patria Bononiensis, a Joanne Andreæ in Filium adoptatus. Vixit circa annum 1360. scripsit Commentaria in libros Decretalium, Decisiones, Consilia &c., & Bononiæ in Ecclesia Prædicatorum sepultus est.

Joannes de Lignano Jurisconsultus, Philosophus, & Mathematicus, qui multa scripsit super jure Canonico &c.. Legebat Bononiæ, & vitam finivit anno 1383. die 16. Februar., in cujus Inscriptione sepulcrali inter alia hæc leguntur:

Gloria Legnani, titulo decoratus utroque
Legibus, & Sacro Canone dives erat.

Laurentius de Redulphis patria Florentinus. Hujus meminit Author tanquam Jurisconsulti in Indice Scriptorum Summæ Angelicæ præfixo.

Petrus de Ancharano, seu Ancharanus, Jurisconsultus, patria Bononiensis, & Baldi Auditor. Florebat anno 1410., Commentaria edidit in Decretales, Clementinas &c., & Bononiæ sepultus fuit in templo Sancti Dominici anno 1416., vel 1417.

Raynerius de Forolivio Jurisconsultus, qui multa scripsit super Jure Civili, & ex hominum vita demigravit anno 1358.

Richardus de Mediavilla, vulgo Middleton Anglus, Ordinis Minorum, & Doctor Oxoniensis, Doctoris solidi, Copiosi, ac Fundatissimi nomen consecutus, vir in sacris litteris, & in jure Canonico peritissimus. Multa scripsit, obiitque anno 1304.

Rodonensis, Guillelmus nempe, qui Glossas edidit super Summam Casuum Conscientiæ Sancti Raymundi de Peñafort Ordinis Prædicatorum.

Scotus, idest Joannes Dunsius Scotus Ordinis Minorum, de cujus patria disputatur, an Anglus fuerit, vel Scotus, aut Hibernus. Oxonii docuit, & Parisiis, obiitque Coloniæ anno 1308. die 8. Novembris, ætatis suæ anno circiter 34., Doctor subtilis communiter nuncupatus.

Speculator, scilicet Guillelmus Durantes, seu Durandus, Speculator appellatus, ex Provincia oriundus, qui Romæ obiit anno 1296., & in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam tumulatus est. Vir in utroque jure doctissimus, qui inter alia præclara suæ eruditionis monumenta posteritati reliquit Speculum Juris in tria volumina distinctum.

S. Thomas de Aquino, Doctor Angelicus merito appellatus,
natus

natus anno 1224., vel 1225., vel 1227., Doctor Parisiensis, multorum Operum Author, toti Orbi notissimus, qui Universæ Carnis viam ingressus est in Monasterio Fossæ Novæ anno 1274., ætatis suæ anno circiter 50., Sanctorum Catalogo adscriptus anno 1323., & anno 1567. inter Ecclesiæ Doctores cooptatus. Ipsius Sacræ Reliquiæ Tolosam translatæ sunt jussu Urbani V. anno 1368.




CONSI-

CONSIDERATIONUM & ARTICULORUM
HUJUSCE TRACTATUS DE CONTRACTIBUS
GENERALIS SERIES.

		ERRATA	CORRIGE
Pag. XVI.	l. 7.	Pessulani super modo	Pessulani. Super modo
Pag. 20.	l. 17.	*usucaptionibus*	*usucapionibus*
Pag. ibid.	l. 18.	*transferuntur*	*transferuntur*
Pag. 53.	l. 1.	Hæc idem	Hoc idem
Pag. 111.	l. 32.	Dominium	Dominum
Pag. 142.	l. 17.	*Et paullo post*	Et paullo post
Pag. 146.	l. 19.	*nempe*	*neque*
Pag. 173.	l. 29.	(*ait Dominus*)	(ait Dominus)
Pag. 223.	l. 17.	Clemens III.	Innocentius III.
Pag. 225.	l. 9.	damnum, vult	damnum vult
Pag. 236.	l. 29.	reliquid	reliquit
Pag. 249.	l. 7.	& si	etsi
Pag. 294.	l. 17.	de eodem, gravando	de eodem gravando
Pag. 296.	l. ult.	careat	caveat
Pag. 312.	l. 13.	modo	modos

INCI-



INCIPIT



RACTATUS Contractuum compilatus ex dictis Sancti Bernardini compendiose per Venerabilem Fratrem Angelum de Clavasio Ordinis Minorum Provinciæ Januæ.

(1) DE Contractibus agit Sanctus Bernardinus Tomo secundo suorum Operum serm. 32., & tredecim sequentibus, in quibus primo expendit originem dominiorum, descendit postmodum ad mercaturam, & quascumque contractuum species, & singillatim ad usuram: quæ omnia ita dilucide exponit, ut non immerito possent ii Sermones inscribi: Integer & absolutus Tractatus Contractuum. Hos Sermones respicit Author, tametsi Sanctus Bernardinus hac de re etiam scripserit Tomo primo serm. 35., quem potes quoque consulere. Eos igitur duntaxat inscriptos *De Evangelio æterno* in hac lucubratione appellabo.

Contractus, quem Græci vocant *Synallagma*, est duorum, vel plurium consensus ultro citroque obligationem pariens ff. *de verborum significatione* L. *Labeo*, nedum quoad res, ut in emptione, venditione, aliisve similibus, sed etiam quoad personas, ut in contractu Matrimonii. Jure igitur scriptum est Institut. *de verborum obligationibus* §. 7. -- *Non solum res in stipulatum deduci possunt, sed etiam facta* --, & 85. *de Regulis juris* in Sexto -- *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*.

Circa primam Considerationem, quæ de emptione, & venditione est, triplex articulus est tractandus, & declarandus, quorum primus erit de Mercatoribus, mercantiæve

exercitatione: secundus de temporis licita vel illicita venditione: tertius de pecuniarum, & prædialium redituum ad vitam emptione.

(2) Hic tractatus constat tribus Considerationibus. Prima, ut audisti, est de emptione, & venditione: secunda de usura: tertia de Societate. Primam dividit Author in tres Articulos, in tres itidem secundam, tertiam vero in duos duntaxat. De primo hujusce considerationis articulo loquitur S. Bernardinus loco cit. serm. 33., de secundo autem & tertio serm. sequenti, videlicet 34.
Redituum prædiorum nomine Author intelligit fructus ex prædiis provenientes, quos cum S. Bernardino vocat Reditus prædiales. Dicuntur prædia reditua, sicuti tributa, quæ persolvebantur a Romanis, prædia dicebantur tributaria: & a Jureconsultis prædium dotabile vocitatur, quod mulieri datum est in dotem.

Primus inquam articulus est de Mercatoribus, mercantiæve exercitatione. Ad cujus declarationem quatuor quæruntur dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum Mercatores Reipublicæ sint utiles?

Respondeo, quod sic, ut patet per Scotum in 4. dist. 15. quæst. 2.: quia quod uni patriæ est abundans, alteri est necessarium: & quum per ipsos ubi est necessarium transferatur, patet quod utiles sunt: & multis aliis respectibus, quos omitto.

(3) Rem hanc declarat Scotus ibidem art. 2. § *sequitur*. Inter respectus, seu rationes, quos omittit Author, sane locum habet ille quem ibi exponit S. Bernardinus art. 1. cap. 1. inquiens -- *Illi quoque, qui in colendis agris, & in cæteris artibus mechanicis occupantur, aut regimini Reipublicæ, seu justæ militiæ operam præstant, commode, & opportune adire non possunt Terras ad res, quibus egent, emendas, & deferendas: nec insuper ad hoc omnes industriam, & peritiam habent: propter quod Reipublicæ expedit, quod huic officio aliqui ad hoc idonei mancipentur* --. Ecclesia ipsa utilitatem hanc cognovit; & iccirco 24. q. 3. cap. *si quis Romipetas* vetuit, ne Mercatores novis onerarentur pedagiis -- *Si quis .... Mercatores novis teloniorum, & pedagiorum exactionibus molestare tentaverit, donec satisfecerit, communione careat christiana*.

SECUN-

SECUNDUM DUBIUM. Utrum omnes Mercatores ſint utiles Reipublicæ?

Reſpondeo, quod non, ſed ſolum tria genera ipſorum ſecundum Scotum ubi ſupra: quorum primum genus ſunt mercantiarum portitores, qui portant, ut dictum eſt, de patria, ubi abundant merces, ad patriam, ubi ſunt neceſſariæ. Secundum ſunt mercantiarum conſervatores, qui quantitatem emptam conſervant, ut aptius ſuo tempore inveniantur: quia de longinquo portantes non ſine magno incommodo poſſunt ſtatim vendere, nec inſuper quilibet indigens poteſt ſtatim currere ad emendum. Tertium ſunt mercantiarum immutatores, ſeu melioratores, qui videlicet induſtria, ſeu arte ſua, faciendo de lana pannum, & hujuſmodi ipſas immutant. Omnes igitur ſupradicti Reipublicæ ſunt utiles, & licite reportare poſſunt utilitatem ex hujuſmodi, ut patet *91*. diſt. cap. *Clericus* 1. 2., & prima Cor. *9*. v. *7*. *Nemo militat ſtipendiis ſuis*. & Matth. 10. v. 10. *Dignus eſt mercenarius mercede ſua*.

(4) Ad hæc tria genera omnis mercatura mediate, vel immediate reducitur. Eadem ſcribit S. Bernardinus ibidem, ſerm. ſcilicet 33. art. 2. cap. *6*. Author citans caput *Clericus* 1. 2. duo capitula intelligit, quæ habentur in eadem diſtinctione, & ambo incipiunt *Clericus*. In horum primo ſcriptum eſt -- *Clericus victum, & veſtimenta ſibi artificiolo, vel agricultura, abſque officii ſui duntaxat detrimento, paret* --. In horum ſecundo ita legitur -- *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificiolo victum quærat. Omnes Clerici, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola, & literas diſcant* --. Audiant hæc Clerici otiantes, & cognoſcant vel inviti verum Eccleſiæ ſpiritum: præſertim quum de ſeipſo dicat Paulus Act. 20. v. 34. -- *Ipſi ſcitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ* --: & Apoſtoli, de quibus Jo. 21. v. 2, poſt Chriſti paſſionem iterum incubuerint, piſcationi, ut animadvertit Anacletus ſuper lib. 3. Decretal. Tit. 1. num. 132. hoc idem oſtendens.

Quod Author citat ex prima Cor. ita legitur in Vulgata -- *quis militat ſuis ſtipendiis unquam* --: & quod ex Matthæo, in Vulgata ſcriptum eſt -- *Dignus enim eſt operarius cibo ſuo* --. Modicum hoc literale diſcrimen ex eo provenire puto, quod tum multæ erant latinæ Editiones, qui-

bus utebantur Catholici, & nondum Ecclesia unam duntaxat præ omnibus adamaverat, quod factum novimus a Patribus Tridentinis sess. 4. in Decreto *de editione & usu sacrorum librorum* hisce verbis -- *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis Editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata Editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat*. Hæc duo Scripturæ loca eadem de caussa a S. Bernardino citantur, sicuti ab Authore laudata sunt.

Possunt tamen secundum Scotum, ubi supra, tales etiam nocere Reipublicæ, quum videlicet recipiunt a Republica ultra industriam, & pericula, immoderatum lucrum. Omnes autem alii, qui nec conservant, nec transferunt, nec immutant mercantias, ut sunt qui contractus pecuniarum faciunt, quos contractus aliqui nominant *Stocbos*, aliqui *bistracti*, & hujusmodi, quod parum refert, quia, ut dicitur *de verborum significatione* Extra cap. *Intelligentia*, ubi scriptum est -- *Intelligentia dictorum ex caussis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus* -- : & etiam quia dispositio non cognoscitur ex nomine, sed ex effectu oritur L. *cum precario* ff. *De precario*. Tales, inquam, sunt valde Reipublicæ perniciosi secundum Scotum ubi supra propter tres pessimas corruptelas: quarum prima est *incerti pretii*, quo simplices decipiuntur, quum certificari non possunt. Secunda *injusti pretii*, quia vilius emunt, & carius vendunt, & sic caristiam inducunt. Tertia *pretii periculosi*, ita quod mercatores, qui timent Deum, faciant ad pauperiem devenire, quia prædictos contractus nolunt facere. Contra quos facit caput quod *Palea* est, quod scribitur 88. dist., & incipit *Ejiciens*, & secundum Scotum deberent exterminari de patria, & in exilium dari. Nec aliqua consuetudo excusat eos, nec multitudo facientium hoc.

(5) Eadem habet S. Bernardinus loco nuper citato. *Stocbos* idem Sanctus

ctus exponit ibidem inquiens -- *quos contractus quidam nominant Stochos, quia multos impia crudelitate transfigunt* --. Exponit item vocabulum *bistracti* scribens -- *A quibusdam bistracti, quia bis devorando substantias aliorum injuste trahunt*.

Lex *eum precario* ab Authore citata est secunda sub eo titulo ita incipiens, in qua sic legitur -- *Cum precario quis rogat, ut ipsi in eo fundo morari liceat, supervacuum est adjici, ipsi, suisque; nam per ipsum suis quoque permissum uti videtur*.

Capitulum, seu caput *Ejiciens* iccirco dicit Author, quod Palea est: quia reipsa plus habet exaggerationis, quam veritatis; contendit enim mercaturam exerceri non posse sine peccato -- *quia*, ut ait, *homo mercator vix, aut nunquam potest Deo placere. Et ideo nullus Christianus debet esse mercator, aut, si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia Dei . . . . Sic qui emit, & vendit, sine mendacio, & perjurio esse non potest* --. Capitulum hoc, quemadmodum & proxime sequens, quod & ipsum Palea est, in aliquibus exemplaribus desideratur, & sumptum fuit ex authore Operis imperfecti, quod sub nomine Chrysostomi circumfertur. Apposite iccirco de eodem loquens S. Bernardinus Serm. cit. art. 1. cap. 3. scribit -- *ad quod dicendum quod Chrysostomus exaggerative ibi loquutus est: pro eo quod pauci sunt mercatores, qui debitam mensuræ justitiam intendant in suis mercationibus, & observent, & qui multis aliis vitiis non peccent: aut absque dubio non est in hoc dicto sequendus, cum nullam habeat pro se rationem cogentem, seu sacræ Scripturæ auctoritatem* --. Eadem habet Correctio Romana super eodem Capitulo monens -- *hæc palea . . . . est autem sumpta ex authore Operis imperfecti, cujus multæ sententiæ partim rejiciendæ, partim in bonam partem interpretandæ sunt* --. Dum igitur Author usurpat capitulum *Ejiciens*, hoc accipe in primo sensu a S. Bernardino nuper declarato: quia mercatura, si in seipsa spectetur licita est, & ab omni peccato libera, ut fuse ostendit idem Sanctus ibi art. 1. per totum, & Author ipse paullo antea dixerat -- *omnes igitur supradicti . . . . licite reportare possunt utilitatem ex hujusmodi*.

Jure merito postmodum concludit Author -- *nec aliqua consuetudo excusat eos, nec multitudo facientium hoc* --: quia, quum tria ab ipso enarrata divino, & naturali jure sint vetita, nulla consuetudo potest contra ipsa legitime introduci, & præscribere cap. *Cum tanto* Extra *de consuetudine* -- *Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit naturali juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacumque consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari* --. Secus foret dicendum, si sermo esset de lege humana positiva, civili, vel canonica; consuetudo enim, si sit rationabilis, in hac parte præscribit, ut ibidem dicitur -- *licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non ta-*

men est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitime sit præscripta --. Sed casus, de quo in præsenti, legem non respicit humanam positivam; divinam immo, & naturalem, ut dixi.

TERTIUM DUBIUM. Utrum mercatura, quam prædictum triplex genus mercatorum, qui Reipublicæ sunt utiles, exercet, sit licita secundum debitum modum facta, & debite circumstantiata?

Respondeo, quod sic. Ratio, quia Esdræ lib. 2. cap. ultimo prohibetur negotiatoribus, ne vendant venale in die sabbati: ex quo sequitur, quod in aliis diebus sit licita, quia unius inclusio alterius est exclusio, ut L. *Maritus* C. *de Procuratoribus*, & e converso, cum ibi notatis. Simili quoque ratione probatur Matth. 21. v. 12., ubi invenitur Christum vendentes solum in Templo ejecisse, & redarguisse. Confirmatur similiter esse licitam per cap. *Per vestras* Extra *de donationibus inter virum & uxorem*, ubi Papa consuluit pecuniam dari ad mercantiam. Patet etiam 88.dist. quasi per totam. Nec obstat quod habetur in cap. *Ejiciens*, quia ibi sermo est de mercantia, quæ debitis circumstantiis non modificatur.

(6) Hoc ipsum probat S. Bernardinus ibi art. 1. per totum. Consulto Author super hac re citat ultimum caput secundi libri Esdræ: quia hic primitus in sacris literis mentio fit expressa venditionum in die sabbati, & hæ improbantur -- *& contestatus sum, ut in die, qua vendere liceret, venderent* -- ibi v. 15. -- *& Tyri habitaverunt in ea inferentes pisces, & omnia animalia, & vendebant in sabbatis filiis Juda in Jerusalem* -- ibi v. 16. -- *& objurgavi optimates Juda, & dixi eis: quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & prophanatis diem sabbati!* -- ibi v. 17. -- Cæterum in genere, ut ajunt, omnia hæc, & his similia jam prohibita legebantur: puta Exodi 20. v. 10. -- *Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo tu, & filius tuus &c.* --: Exodi 31. v. 15. -- *sex diebus facietis opus, in die septimo sabbatum est, requies sancta Domino: omnis, qui fecerit opus in hac die, morietur* --: Levitici 23. v. 3. -- *sex diebus facietis opus: dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo* --: Deuter. 5. v. 14. -- *septimus dies sabbati est, idest requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus &c.* --: & alibi pluries.

In

In citato cap. *per vestras*, quod est Innocentii III. hæc leguntur -- *Mandamus, quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea, quam potest, cautione præstare: vel saltem alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonii sustinere.*

In dist. 88., quam laudat Author, singulare est quod legitur cap. *Fornicari -- Fornicari, omnibus semper non licet: negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet: antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari: facto jam non licet --.* Ratio est in promptu: quia fornicatio de se & intrinsece est mala, non autem negotiatio, quæ, dummodo fiat ut oportet, illæsa conscientia potest exerceri.

Nota, quomodo caput *Ejiciens*, quod Paleam esse diximus, Author interpretatur; ita enim loquens præluxit Correctioni Romanæ superius productæ, idque docuit, quod legimus cap. *quid est aliud* eadem dist. -- *Negotiatores ergo illi abominabiles existimantur, qui justitiam Dei minime considerantes per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus perjuriis onerantes, quam pretiis.*

QUARTUM DUBIUM est. Quæ sint debitæ circumstantiæ, sive modi, quibus mercantia debet esse modificata?

Respondeo, quod sunt multiplices. Prima quod sit persona secularis ipsam exercens: quia Clericis & Ecclesiasticis viris est prohibitum negotiari 2. ad Timot. 2. v. 4. -- *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* --, & 88. dist. cap. *Negotiatorem*, & cap. seq., & Extra *Ne Clerici vel Monachi* per totum. Pœna est eis, ut deponantur, si se non correxerint cap. *Clericus* 91. dist., & Extra eod. tit. cap. *Sed nec*.

(7) Caput *Negotiatorem* ita habet -- *Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quasi quamdam pestem fuge* --. Caput sequens est cap. *Fornicari* paullo antea recitatum. Caput *Clericus* ita statuit -- *Qui vero non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulant, ab officio suo degradentur* --. Caput denique *Sed nec* ita præscribit -- *Si quis autem adversus hæc venire tentaverit, quia contra doctrinam Apostoli dicentis: Nemo militans &c. sæculariter agit, ab Ecclesiastico fiat ministerio alienus* --. Clerici nomine potiori jure intellige Monachos & Regulares, nedum quia eos exprimit Titulus Decretalium -- *Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*, sed præsertim quia ipsi specialiori modo se Deo consecrarunt -- *Cum Monachum non faciat habitus, sed professio regularis* --, ut perbelle Clemens III. cap. *Porrectum* Extra *de Regularibus*.

Cave tamen ne credas quamcumque negotiationem esse Clericis interdictam; scriptum est enim Extra *Ne Clerici vel Monachi* cap. *Multa sunt*, primo scilicet -- *Non tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus sanctos Apostolos negotiatos fuisse, & in Regula B. Benedicti praecipitur provideri, per quorum manus negotia Monasterii procurentur* --. Quod nam porro sit justum hoc negotium Clericis non interdictum, vide Benedictum XIV. de Synodo Dioecef. lib. 10. cap. 6.: vendere scilicet res ex propriis praediis collectas, aliaque agere his similia.

Dices fortassis, quod, si lege canonica hortantur Clerici ad aliquod artificiolum exercendum, ut superius monui num. 4., vix, aut ne vix quidem componi hoc potest sine aliqua negotiatione. Iterum dico leges canonicas summopere exoptare, ut Clerici non otientur, sed in honestam incumbant artem: idque probat Benedictus XIV. loco proxime laudato num. 2. inter alia producens Zenonem Episcopum Majumae in Palaestina, qui lineas vestes texendo sibi & pauperibus necessaria procurabat, tametsi Ecclesiam haberet divitem & opulentam. Falsum tamen est inferri ex hoc negotiationem aliquam saecularem Clericis esse licitam: quum unice inferatur quaedam negotiatio improprie talis, non lucri caussa exercita, quae Clericis permissa est.

Secunda, quod propter bonam causam seu intentionem fiat, quae duplex est secundum Alexandrum de Ales. Prima propter necessitatem, ut possit sibi, & suae familiae satisfacere secundum decentiam sui status. Secunda propter pietatem, ut scilicet lucretur ad distribuendum pauperibus, & ad alios pios usus: quia ex Ecclesiaste 4. v. 8. propter cupiditatem, sive alium malum finem, non licet; immo tale peccatum est negotiatio, quale est intentio mala, seu finis, propter quem fit. Concordat Raynerius in Tit. *de negotiis*.

(8) Haec ipsa habet S. Bernardinus loco supra cit. art. 2. cap. 2., qui ad idem probandum allegat etiam cap. *Omnes*, & cap. *Sicut ii* dist. 47., quae capita reipsa agunt de hac re.

En verba Ecclesiastes -- *Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat dicens: cui laboro, & fraudo animam meam bonis! In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima*.

Nolim putes Authorem hic eos omnes condemnare mercatores, qui negotiando lucrum intendunt, quum unice eos improbet, qui negotiantur

tur principaliter propter lucrum, & in lucro finem ultimum sibi constituunt, ut egregie S. Bernardinus ibidem -- *Sed illicita est secundum Thomam, ubi mercator finem principaliter in lucro ponit. Mercari enim propter substantias cumulandas, & propter improbam divitiarum cupiditatem, & curiositatem, seu propter alium malum finem, illicitum est, & culpa mortalis, & hae prohibita sunt omnibus* --. In hoc sensu accipe, & expone cap. *Quicumque* 14. quæst. 4. -- *Quicumque tempore messis, vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam vel vinum: verbi gratia de duobus denariis comparat modium unum, & servat usquedum vendatur denariis quatuor, aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus* --. Sanctum ergo finem mercator sibi præstituat: puta subveniendi sibi, suæque familiæ, pauperibus, Ecclesiæ, aut publicæ utilitati; & tunc tuta conscientia negotiari poterit ad lucrandum. Notatu dignum est quod de mercatoribus secus operantibus scribit ibidem S. Bernardinus -- *Sed & hoc mirabile est quod, cum plurimi tales reperiantur, nullus, qui de hoc conscientiam sibi faciat, invenitur.*

Tertia, quod fiat tempore debito, scilicet non in Festo: quia Exodi 20. v. 8. *Memento ut diem sabbati sanctifices*, & Extra *de Feriis* cap. 1. prohibetur mercatum fieri in Festo. Sed circa hoc Rodonensis distinguit sic: quod tales euntes ad similes mercatus, si mercantur ea, quæ necessaria sunt ad festum illius diei, sicuti pullos, carnem, vinum, & similia, non peccant. Si autem mercantur alia, tunc distingue Aut id faciunt ex necessitate, & non consuetudinarie, & sic etiam non peccant. Aut ex lucri cupiditate, sicut facere solent mercatores, qui vix aut nunquam Ecclesias intrant, & sic mortaliter peccant. Quidam tamen hoc intelligunt non de Dominica die, & aliis festis præcipuis, sed præsertim de aliis; quia bene semper mortaliter peccare creduntur tenentes forum in diebus Dominicis, & aliis festis præcipuis, nisi necessitas magna; vel pietas eos excuset cap. *Licet*, & cap. *Conquestus* Extra *de Feriis*.

(9) Caput primum *de Feriis* ita habet -- *Omnes dies Dominicos a vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere: ut in eis mercatus minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur, nec sacramenta (nisi pro pace vel alia necessitate) præstentur* --. Super hac re non defuere Theologi,

logi, qui, quum non potuerint inficiari nundinas & mercatus prohiberi in prædicto capite, adseruerunt huic præcepto fuisse derogatum per contrariam consuetudinem. Ita Sylvester, Navarrus, Layman &c. Sacra tamen Congregatio Concilii secus semper opinata est; & iccirco anno 1669. die 13. Maji in una Barchinonen. respondit -- *Id mercatoribus non licere quacumque consuetudine immemorabili nequaquam obstante* --, & anno 1683. die 27. Martii iterum proposita Causa stetit in decisis; immo 1711. die 2. Maji proposito dubio -- *An liceat Communitati, & hominibus Ripæ habere mercatum die sabbati intus vel extra Civitatem, quando occurrat, quod sit dies festus in casu &c.* --, eadem S. Congregatio respondit -- *Negative & amplius* --. In præsentia instar legis nobis esse debet quod prudenter admodum sancivit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. Constit. incip. *Ab eo tempore* data die 5. Novembris 1745.: in qua, præmissa distinctione nundinarum annuarum ab hebdomadariis, quas mercatus vocant, mercatum diebus festis haberi omnino prohibuit; annuas vero nundinas non tam permittendas, quam ad evitanda populorum incommoda ex quadam conniventia tolerandas duxit: modo non exerceantur iis matutinis, & vespertinis horis, quibus divina officia in Ecclesiis celebrantur.

De hac temporis circumstantia agit S. Bernardinus ibidem cap. 3.

En quod scriptum est cap. *Licet* -- *Licet tam veteris quam novi Testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputaverit: & tam eum, quam alios dies majestati altissimæ deputatos, nec non natalitia sanctorum Martyrum Ecclesia decreverit observanda: & in his ab omni opere servili cessandum: Indulgemus, ut liceat Parochianis vestris diebus Dominicis, & aliis Festis (præterquam in majoribus anni solemnitatibus) si alecia terræ se inclinaverint, eorum captioni ingruente necessitate intendere: ita quod post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem* --. Habeto etiam quod legitur cap. *Conquestus* -- *Quamvis non prorogari, sed expediri deceat quæstiones, debet tamen judicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti: scilicet Natalis Domini, S. Stephani, Joannis Evangelistæ, Innocentium, S. Silvestri, Circumcisionis, Epiphaniæ, septem diebus Dominicæ Passionis, Resurrectionis, cum septem sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus, qui sequuntur, Nativitatis Joannis Baptistæ, Festivitatum omnium Virginis gloriosæ, duodecim Apostolorum, & præcipue Petri, & Pauli, Beati Laurentii, Dedicationis Beati Michaelis, Solemnitatis omnium Sanctorum, ac diebus Dominicis, cæterisque solemnitatibus, quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero & Populo duxerint solemniter venerandas: quibus solemnibus Feriis (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) usque adeo convenit ab hujusmodi abstinere, ut consentientibus etiam partibus nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari.*

Quar-

Quarta, quod non fiat in Ecclesia, nec in loco sacro, quia prohibitum est Matth. 21. v. 13., & *de immunitate Ecclesiæ* cap. *Decet domum* in Sexto. Confert ad idem 42. dist. cap. *Non oportet*, & cap. seq., & 16. q. 7. cap. 9.

(10) Matthei loco citato scriptum est -- *Et intravit Jesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. Et dixit eis: scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum* --. Caput *Decet domum* ita habet -- *Cessent in Ecclesiis, earumque cæmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum* --. Singulare est caput -- *Et hoc diximus*, quod est ultimum ab Authore laudatum. Ipsum ergo attente legito, & egregia reperies rem hanc exponentia. In Ecclesiis mercatus non posse fieri, neque ea ipsa vendi, quæ ad Ecclesiæ & Dei cultum inserviunt, decrevere Concil. Ravennat. 2. sub Clemente V. cap. 12., Concil. Sabin. cap. 18., & Concil. Mediolan. primum part. 2. tit. *de Ecclesiis*. Et de hoc graphice more suo S. Bernardinus loco supra memorato cap. 4.

Quinta, quod non vendantur merces ultra justum pretium, sive ille, qui emit, sit extraneus, sive indigena: quod prohibetur Extra *de Emptione, & Venditione* cap. *Placuit*. Et quamvis de jure civili sit cautum, quod vendentes & ementes possint se fraudare usque ad dimidietatem justi pretii, nec frangatur contractus nisi ultra dimidietatem justi pretii sit fraudatus: tamen in conscientiæ foro omnis fraus condemnatur. Unde, si quis emat minus justo pretio, seu vendat plus justo pretio, quamvis non sit deceptio usque ad dimidietatem, tenebitur ad restitutionem, si fraudatio ab uno istorum trium procedat. Primum ignorantia: secundum mentis levitas aperta vel præsumta: tertium magna necessitas ad hoc compellens: quia talis contractus non procedit ex mera, grata, & gratuita voluntate. Ideo non solum est contra justitiam, sed etiam contra charitatem, & naturalem hominis potestatem, licet ex utriusque partis consensu procedere videatur; nam secundum Aristotelem in tertio Ethic. ignorantia & aliqualis coactio excludit voluntarium.

(11) Quod-

(11) Quodnam sit justum pretium, aperietur infra.

Caput *Placuit* hæc habet -- *Placuit, ut Presbyteri plebes suas admoneant, ut & ipsi hospitales sint, & non carius vendant transeuntibus, quam mercato vendere possunt. Alioquin ad Presbyterum transeuntes hoc referant, ut illius jussu cum humanitate sibi vendant.*

Ne quæso credas jure civili permitti, ut ementes & vendentes se invicem fraudent infra dimidium justi pretii; id enim non patitur Regula 206. ff. *de diversis Regulis juris -- Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem --*. Jure civili duntaxat sancitur, ut decepto non competat actio contra deceptorem, nisi fuerit deceptus ultra dimidium L. 2. C. *de rescindenda venditione -- Rem majoris pretii si tu, vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est, ut, vel pretium te restituente emtoribus, fundum venundatum recipias auctoritate Judicis intercedente: vel, si emtor elegerit, quod deest justo pretio recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit --*. Idem prorsus sancitum legimus in jure canonico quoad forum externum Extra *de Emtione & Venditione* cap. *Cum dilecti*, & cap. *Cum causa*, in quorum postremo hæc habentur -- *Cum constitisset nobis Monasterium in venditione ultra dimidium justi pretii fuisse deceptum, sententiando decrevimus, ut præfati cives aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent quantum constaret legitimæ venditionis tempore justo pretio defuisse --*; hisce enim in casibus -- *In arbitrio emtoris est, si velit, supplere justum pretium, aut venditionem rescindere --*, sicuti legitur in primo horum Capite, nempe *Cum dilecti*. Id, ut puto, constitutum est ad vitandam litium multitudinem, quum quasi connaturale homini sit vili emere, & caro vendere. Cæterum in foro conscientiæ omnis fraus condemnatur, sicuti jure dicit Author; & iccirco dummodo pretium fuerit vel infra vel ultra justum, semper decipiens tenetur ad restitutionem etiamsi in minimo deceperit: quia, ut habet Regula 48. Juris in Sexto -- *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura --*: & merito Apostolus prima ad Thessalon. cap. 4. v. 6. -- *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

Et hoc declaratum fuit a S. Bernardino ibidem cap. 5. Apposite igitur S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. ad primum -- *Lex humana populo datur, in quo sunt multi a virtute deficientes; non autem datur solis vitiosis. Et ideo lex humana non potuit prohibere quidquid est contra virtutem: sed ei sufficit, ut prohibeat ea, quæ destruunt hominum convictum; alia vero habeat quasi licita, non quia ea approbet, sed quia ea non punit. Sic ergo habet quasi licitum, pœnam non inducens, si absque fraude venditor rem suam supervendat, aut emtor vilius emat, nisi sit nimius excessus: quia tunc etiam lex humana cogit ad restituendum, puta si aliquis*

quis sit deceptus ultra dimidiam justi pretii quantitatem. Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium; unde secundum divinam legem illicitum reputatur, si in emtione & venditione non sit æqualitas justitiæ observata: & tenetur ille, qui plus habet, recompensare ei, qui damnificatus est.

Verum hic quæritur quid sit justum pretium?

Respondeo secundum Scotum in 4. dist. 15. q. 2.: quia pensatio valoris usualium rerum vix aut nunquam potest fieri a nobis, nisi per conjecturalem seu probabilem opinionem, & hoc quidem non punctualiter, sed sub quadam latitudine competenti: ideo pretium justum erit secundum æstimationem fori currentis, quia secundum Hostiensem, & Raynerium justum pretium consideratur ratione temporis contractus, nec debet attendi, quod pluris sit emptum, vel venditum minoris. Et, si ibi non sunt tales res, debet inde sumi moderatum lucrum pensatis sumptibus, industria, solicitudine, periculo, & labore.

(12) Pretium justum est duplex. Unum dicitur legitimum, Principis lege taxatum, & hoc individuum est, quodlibet incrementum aut decrementum excludens. Dicitur alterum naturale, quod juxta rectam rationem, omnibus circumstantiis spectatis, justum censetur: & appellatur vulgare, quia communi hominum æstimatione tale reputatur. Hoc dividuum est in tres gradus, pium nempe, moderatum, & rigorosum, sive infimum, medium, & supremum. Omnes fatentur difficile confinia latitudinis istius justi pretii designari posse. Hanc duntaxat regulam tradunt alioquin obviam. Quo res vilior est, eo arctior est latitudo, pretiosior vero ampliorem latitudinem habet. A judicio ergo prudentum, & a communi æstimatione repetenda est pretii justitia. Si medium alicujus rei vilis sit 5., infimum erit 4., & supremum 6., & sic erit latitudo tantum duorum. Si rei pretiosæ medium pretium sit 100., infimum erit 95., & supremum 105., & tunc latitudo erit 10. Neque ob hoc justitia medio rei caret: quia medium istud indivisibile non est, sed præfatos gradus excipit. Quando pretium legitimum non est præfinitum, vendi merces debent pretio naturali, seu vulgari. Hactenus Daniel Concina *de Justitia, & Jure* lib. 3. dissert. 2. cap. 6. num. 2. Hanc eandem pretii latitudinem quoad pretiosiora statuit Gabriel Antoine *de Contractibus* part. 2. cap. 5. q. 2.; non autem quoad viliora, pro quibus ita præscribit: Si pretium medium sit 20., infimum erit 19. circiter, summum 21. Beatus noster hic agit de pretio vulgari, sive naturali, non vero de legitimo, & legali, quod individuum esse dixi.

Sed

Sed ex prædictis oriuntur aliqua dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum mercator fit ufurarius cenfendus, qui illi, qui ftatim folvit, rem vendit pro minori pretio quam illi, qui non folvit incontinenti, fed vult tempus?

Refpondeo fecundum quod dixi. Pretium rei non punctualiter, fed fub quadam latitudine confideratur; quapropter licet: quia petia panni exiftimatur ab aliquibus mercatoribus valere 50., ab aliis vero 50. cum dimidio, & ab aliis 51.

(13) Supponit auctor non excedi juftum pretium, & iccirco jure meritoque ftatuit licere; verum quippe eft quod docet Antoine ibidem q. 11. -- *ex communi tamen fententia licet numerata pecunia vendere pretio infimo, non numerata fummo, quia utrumque juftum eft.*

De mente Authoris in exemplo producto pretium infimum erit 50., medium 50. cum dimidio, & 51. pretium fupremum, feu fummum. Idem docuit S. Bernardinus ibi ferm. 34. art. 3. cap. 1. fcribens -- *Primus poteft nominari pius, fecundus difcretus, tertius vero rigidus. Primus eft pretii minoris, fecundus eft mediocris, tertius eft majoris: verbi gratia fint decem petiæ panni ejufdem bonitatis, & artificii, atque expenfæ. Harum tamen decem petiarum propter varia capita, & diverfas fententias circa illas, a variis varia æftimatio fiat, & tandem reperientur ipfi æftimatores circa illas variari: ut puta quidam æftimabunt quamlibet illarum pretii quinquaginta Ducatorum, & hoc dici poteft pretii limes, & gradus pius: alii quinquaginta cum dimidio, & talis dici poteft limes, & gradus difcretus: quidam vero alii quinquaginta uno, & hoc dicitur limes & gradus feverus* --. Tota igitur latitudo pretii per Authorem & S. Bernardinum in re valoris 50. circiter eft unius duntaxat, & proportione fervata in re valoris 100. circiter latitudo pretii effet duorum, & non amplius. Vide quantum vetus hæc doctrina in fpeciem differre videatur a Theologis noftri temporis etiam non mitioribus; latitudinem enim duorum, quam Concina permittit in re valoris 4. circiter, & Antoine, aliique in re valoris circiter novendecim, Author & S. Bernardinus duntaxat permittunt in re valoris 100. circiter. Sed de hoc inferius.

Sed ifte mercator pretium folventi libenter daret pro 50., non folventi autem non vult dare nifi pro 51.

Dico quod non eft ufurarius: quia plus jufto pretio

non

non vendit propter temporis expectationem. Si autem 52., vel 53. venderet, quia non statim solvit, usuram committeret: quia justum pretium excedit, ut in cap. *Consuluit* Extra *de usuris*.

(14) Prima responsionis pars S. Bernardini est ibidem scribentis -- *Nunc aliquis venit, qui non habet denarios, unde præsentialiter solvat, dilationem solutionis poscit. Si igitur venditor tunc non statim solvendus propter hujusmodi expectationem pretium augeat, non tamen ultra ultimum limitem justi pretii, sed stat in summo, idest 51., ita quod quantumcumque solutionem ampliori tempore gratis, seu ex pacto expectaret, nunquam ab hoc ultra illum limitem justi pretii aliquid acciperet, non est ibi ex vi contractus usura secundum sententiam magnorum Doctorum. Ratio hujus est, quia talis non vendit terminum, nec propter expectationem accipit ultra justum pretium rei, quam vendit, quamvis non faciat gratiam remissioris pretii descendendo ad 50., quod quidem libenter faceret, si ille statim solveret* --. Ex hac doctrina sponte fluit secunda pars responsionis ab Authore producta, videlicet de mente S. Bernardini usurarium esse venditorem, si in casu proposito vellet 52., vel 53.

Hunc tamen venditorem usurarium sane non faciunt Concina, Antoine, aliique juniores purioris doctrinæ viri. Quum enim per ipsos in re valoris circiter 95. latitudo pretii sit decem, ut supra monui, in re præsenti, quæ ponitur valoris 50. circiter, latitudo pretii erit 5.; & iccirco citra usuram venditor in casu, de quo agitur, poterit per ipsos exigere pretium nedum 52., vel 53., sed 55. Immo, quod magni faciendum est, nec hunc venditorem usuræ reum facit Author ipse in Angelica Ver. Usura 1. num. 58.

Eundem omnino casum illic ipse proponit, & sic respondet -- ℞. *ad quæsitum cum distinctione: quia aut talis venditor non excedit præfatam æqualitatis latitudinem cum illo, qui vult terminum, licet pro minori daret, si statim solveret pretium: & sic non est usura. Exemplum: extimatur petia talis panni ab aliquibus decem, ab aliis undecim, ab aliis duodecim, statim solventi libenter daret pro 9. vel 10., non solventi vult 12.: non est usura, cum non excedat ratione temporis æqualitatem latitudinis justi pretii. Si vero præfatam latitudinis æqualitatem transcenderet, utputa quia vellet 13., vel 14., sic esset usura Cap. CONSULUIT DE USURIS*.

Quid ergo? anne dicendum Authorem probasse in Angelica pro re valoris ut 10. circiter eam pretii latitudinem, quam hìc S. Bernardini vestigia sequens pro re valoris ut 50. in totum condemnat? Anne in definienda pretii latitudine nimis benignum fuisse Authorem in Angelica, nimis benignos esse nostri temporis Theologos, vel Authorem in hoc Tractatu, & S. Bernardinum plus æquo esse severiores? Nihil prorsus

ex

ex his. Omnia hæc in ſpeciem pugnantia componi poſſunt, ſi dicas Authorem tum in Angelica, tum in hoc Tractatu, & S. Bernardinum locutos fuiſſe in hypotheſi, quod juſta pretia in communi hominum æſtimatione haberentur illa ab iiſdem ſignificata: Concinam autem, Antoine, alioſque quandam veluti regulam ſtatuiſſe, dum juſtum triplex pretium non eſt definitum, & factum veluti individuum. Hoc ſemel dato jure meritoque Author, & S. Bernardinus uſuræ labe infectum dixerunt venditorem in caſibus ab iiſdem propoſitis, quia poſuerunt eumdem rem vendidiſſe ultra latitudinem juſti pretii: Concina vero, Antoine, aliique tradentes regulam veluti generalem, eam merito ſtatuerunt pretii latitudinem, quæ ſuperius fuit expoſita.

Caput *Conſuluit*, quod eſt Urbani II. ita habet -- *Et an negotiator pœna conſimili debeat condemnari, qui merces ſuas longe majori pretio diſtrahit, ſi ad ſolutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam ſi ei incontinenti pretium perſolvatur. Verum quia quid in his caſibus tenendum ſit ex Evangelio Lucæ manifeſte cognoſcitur, in quo dicitur: DATE MUTUUM, NIHIL INDE SPERANTES: hujuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cum omnis uſura, & ſuperabundantia prohibeatur in lege) judicandi ſunt male agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animarum judicio efficaciter inducendi* --. Majus pretium, de quo in hoc Capite, omnes exponunt de pretio ultra ſummum & juſtum, quod innuunt verba illa -- *Cum omnis uſura, & ſuperabundantia prohibeatur in lege* --. Appoſite igitur Author eo capite hic utitur ad probandum, quod adſumit.

Et licet Baldus ſolum velit quod ſit uſura, quando res, quæ venditur, conſiſtit in numero, pondere, vel menſura; non autem in domo, prædio, & hujuſmodi: præſertim cum interim emptor percipit rei emptæ utilitatem, ut L. *Curabit* C. *de actionibus empti, & venditi:* tamen Theologi hunc non ſequuntur, quando pretium rei venditæ eſt taxatum ſecundum Franciſcum de Mayronis in 4.; & ideo uſurarius eſt appellandus. Et cum hac opinione concurrit ipſe S. Bernardinus.

(15) Lex *Curabit* eſt hujuſmodi -- *Curabit Præſes Provinciæ compellere emptorem, qui nactus poſſeſſionem fructus percepit, partem pretii, quam penes ſe habet, cum uſuris reſtituere, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis favor (licet nulla mora interceſſerit) generavit.*

Clarior certe eſt L. *Julianus* ff. eodem tit. nempe *de actionibus empti & venditi*, in cujus corpore legitur -- *Ex vendito actio venditori competit*

tit ad ea consequenda, quæ ei ab emptore præstari oportet. Veniunt autem in hoc judicium infrascripta: in primis pretium quanti res venit, item usuræ pretii post diem traditionis; nam, cum re emptor fruatur, æquissimum est, eum usuras pretii pendere.

S. Bernardinus ab Authore laudatus agit hac de re Serm. 34. art. 3. cap. 2.; sed unice loquitur de venditione ultra justum pretium. Author autem complectitur & venditionem rei ultra justum pretium propter dilationem solutionis, & venditionem rei justo pretio, in qua tamen exigitur usura, seu lucrum, propter eandem dilationem. Primum respexisse dices, si quæ hic scribit conferas cum præcedentibus. Secundum complexum fuisse deprehendes, si quæ sequuntur attendas. Primum venditorem Author dicit usurarium, & merito: quia, dum ob dilationem quis vendit rem ultra justum pretium, vendit is tempus, quod vendi non potest, ut sancivit Inno. XI. damnando hanc propositionem -- *Cum pecunia numerata pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari* --. Secundum venditorem etiam vult usuræ labe infectum, & jure: quoniam nisi habeatur verum lucrum cessans, vel damnum emergens, casus reducitur ad purum mutuum implicitum, aut æquivalens, in quo sine justo titulo nihil citra usuram potest exigi ultra sortem.

Author proculdubio sententiam immutavit: quoniam in Summa Angelica ver. *Venditio* num. 13., & fusius ver. *Emptio* num. 5. proponens casum de eo, qui justo pretio vendidit possessionem, aut domum pecunia credita, & exigit pensionem, seu usuram, donec pretium fuerit solutum, firmiter stetit pro sententia Baldi, aliorumque, quos ibi recensuit: & id licere dixit tum jure civili, tum canonico concludens -- *Quia nihil injustum facio, si nolo tibi dare possessionem meam, ut fructus tuos facias, nisi dederis mihi pretium* --. Ex his verbis quisque videt ipsum putasse id licere in casu, non quidem propter dilationem solutionis, sed propter lucrum cessans in venditore, qui nullo jure tenebatur fructus proprios alteri tradere, quique supponitur animo paratus vendere fundum pecunia numerata, & sine usuris, si talem emptorem facile inveniret; immo id magis exoptaret.

Pro hac postrema Authoris sententia stant ex recentioribus Ferraris verbo *Emptio* art. 4. num. 6., aliique, inter quos Continuator Tournely part. 2. *de Contractibus* cap. 1. art. 5., qui recitata adversante sententia sic prosequitur -- Aliam opinionem tenemus in Gallia, ubi qui rem frugiferam emit credito, percipit quidem fructus, sed tenetur pretii interesse solvere, etiam si res per accidens nullos fructus ferat, ut si domus vel non locetur, vel nonnisi pretio longe minori locari possit. Hæc autem opinio probatur. Primo ex L. *Julianus* 13. §. 20. ff. *De actionibus empti* &c., in

in qua ſtatuitur uſuras ſeu intereſſe *pretii poſt diem traditionis* deberi ab emptore, *quia, cum re emptor fruatur, æquiſſimum eſt eum uſuras pretii pendere*. Secundo, quia hæc eſt Regni Juriſprudentia, ut videre eſt apud Lout, & alios, qui citant Areſtum, ut ajunt, Curiæ Pariſienſis die Octob. 8. an. 1597. Tertio, quia, ut notat Covarruvias var. reſolut. lib. 3. c. 4. n. 1. ſequeretur alioqui inæqualitas inter contrahentes, dum venditor re ſua careret, ejuſque fructibus, & pretio, emptor vero hæc omnia ſervaret, ſub prætextu quod ſubeat periculum interitus rei; quod periculum moraliter loquendo nullum eſt. Quale enim eſt periculum prati, quale domus bene fundatæ? Et ſi quod ſit, an emptor illud eodem ſubiret modo, ſi pretium ſolviſſet? Quarto, quia alioqui emptor rem emptam aliquando facile ſolveret intra paucos annos ex annuis ejuſdem rei reditibus. Cæterum venditor ultra hoc intereſſe nihil exigere poteſt pro quocumque (alio) lucro ceſſante, aut damno emergente ex L. ult. ff. *de periculo & commodo rei venditæ*. Neque vero uſuræ illatæ *lucratoriæ* ſunt, quas fatemur legibus prohiberi, ſed *compenſatoriæ*, quæ ab iiſdem non vetantur, quæque tenent locum fructuum, quos Dominus percepturus fuiſſet, ſi rem ſuam non vendidiſſet credito. Hæc ille.

Sed etiam melius poteſt dici ad hoc primum dubium pro concordia, quod Franciſcus bene dicit, & etiam Baldus: quia §. *quod ſi fugerit* Inſtitut. *de emptione, & venditione* venditor ſemper eſt Dominus rei, quam vendit, antequam tradat: & ideo fructus rei ſunt ſui, ſi non eſt in mora in tradendo. Et ideo ſi non intendit tradere, ſed dominium ſibi, & periculum rei reſervare ſive pro toto, ſive pro parte, donec pretium ſibi fuerit datum: nulli dubium quin aliquid gratia fructuum poteſt petere, & ſic Baldus intendit. Sed ſi tradendo intendit illum acquirere dominium in eam rem, quam emit; tunc ſi aliquid exigit pro fructibus, vel ultra ſortem, erit uſurarius: quia ibi eſt vera ratio mutui. Nam emptor nihil aliud debet niſi puta centum; & ideo ſi, quia pro illo expectat, vult aliquid, & ſic ultra ſortem, erit uſurarius.

(16) Conatur Author diſcrepantes componere ſententias. An ad mentem Doctorum invicem pugnantium nec ne, judicent alii. Judicent pariter, an in praxi ſequenda ſit præſens Authoris doctrina, vel potius illa, quam ille ipſe factus ſenior tradidit in Angelica. Judicent demum, an in

an in casu proposito semper habeatur, nec ne in venditore lucrum cessans verum, propriumque, sicuti contendunt qui statuunt usuras exigi posse licite, quod lucrum nemo sanæ mentis sponte & lubens amitteret. Præsertim quum (nisi stipes quis sit, & fungus: nisi homo prodigus sit, & dissipator, de quo non est hic sermo) nemo prudens vendat possessiones suas frugiferas, quibus sibi, suæque familiæ providet, nisi animo & spe percipiendi majus lucrum, tradendo pretium negotiationi, vel alias emendo possessiones sibi magis congruentes &c.: sicuti reipsa ab hujusmodi venditoribus fit statim atque ab emptoribus pretium recipiunt. Præsertim quum hi venditores libentius venderent possessiones pecunia numerata quam credita, & justo pretio eas unice vendant solutione dilata, quia emptores non inveniunt statim solventes. Hæc pene omnia cum hujusmodi venditionibus quasi necessario connexa supponit Gabriel Antoine; & iccirco *de contractibus* part. 2. cap. 4. quæst. 17. prudenter scribit -- *Sed num venditor potest singulis annis quinque pro centum exigere ab emptore, dum pretium rei emptæ solverit? Respondeo, licite potest, modo adsit titulus damni emergentis, vel lucri cessantis, ut si ex hoc pretio, seu summa tantundem percepturus esset ex contractu census, vel societate, aut negotiatione &c. Quia annuus ille pecuniæ reditus non exigitur ratione dilationis solutionis, quod esset usurarium; sed ob compensationem jacturæ lucri aliunde juste percipiendi; & interea emptor fruitur re empta, & ejus pretium retinet.*

Tene etiam, quod quamvis tradat primo modo, scilicet retinendo sibi dominium, quod nihil poterit exigere nisi quantum verisimiliter fructus rerum valent usque ad illud tempus, in quo emptor solvet pretium: quia illud ultra non esset interesse, sed iniquum.

Et nota quod licet dominium rei venditæ perseveret apud venditorem donec sit tradita; tamen periculum est emptoris, licet res tradita non sit, ut Institut. *de emptione & venditione* §. *Quum autem*, & tribus seq., & ibidem *de rerum divisione* §. *Per traditionem*, & §. *Venditæ*, scilicet 40. 41., & C. *de pactis* L. *Traditionibus*. Et ideo emolumentum ad ipsum pertinebit ff. *de diversis regulis juris antiqui* L. *Secundum naturam*. Et ideo quod per alluvionem accessit, & fructus & partus rei venditæ, ad ipsum emptorem spectat C. *de actionibus empti & venditi* L. *Fructus*, & L. penul.

(17) In §. *Quum autem*, & ſequentibus ita legitur -- *Quum autem emtio & venditio contracta ſit (quod effici diximus ſimul atque de pretio convenerit) cum ſine ſcriptura res agitur, periculum rei venditæ ſtatim ad emptorem pertinet, tametſi adhuc ea res emptori tradita non ſit. Itaque ſi homo mortuus ſit, vel aliqua parte corporis læſus fuerit: aut ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio conſumptæ fuerint: aut fundus vi fluminis totus, vel aliqua ex parte ablatus ſit: ſive etiam inundatione aquæ, aut arboribus turbine dejectis, longe minor, aut deterior eſſe cœperit: emptoris damnum eſt, cui neceſſe eſt, licet rem non fuerit nactus, pretium ſolvere. Quidquid enim ſine dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor ſecurus eſt. Sed & ſi poſt emptionem fundo aliquid per alluvionem acceſſerit, ad emptoris commodum pertinet. Nam & commodum ejus eſſe debet, cujus periculum eſt.*

§. 40. ita incipit -- *Per traditionem quoque jure naturali res nobis adquiruntur.*

§. 41. ita deſinit -- *Sed ſi is, qui vendidit, fidem emptoris ſequutus fuerit, dicendum eſt ſtatim rem emptoris fieri.*

Lex *Traditionibus* hæc habet -- *Traditionibus & uſucaptionibus dominia rerum, non nudis pactis, tranſferuntur.*

Lex *Secundum naturam* ita ſtatuit -- *Secundum naturam eſt commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequentur incommoda.*

Lex *Fructus* hæc perhibet -- *Fructus poſt perfectum jure contractum emptoris ſpectare perſonam convenit, ad quem & functionum gravamen pertinet. Venditor quoque pretium tantum, ac, ſi mora interceſſiſſe probetur, uſuras officio Judicis exigere poteſt.*

Hæc demum eſt lex penultima hìc laudata -- *Poſt perfectam venditionem fœtus pecorum emptori, venditori vero ſumptus, ſi quos bona fide fecerit, reſtitui debere notiſſimum eſt.*


Excipitur ſi ſub conditione: vel ſi in genere, & non in ſpecie: vel ſi deguſtationem exigebat, quia ante deguſtationem non. Item ſi pactum. Item ſi dolus vel culpa venditoris, vel mora non obſtent: quia tunc pertinet ad venditorem periculum. Vide Hoſtienſem in Summa §. *quæ ſit ejus natura una cum vendito.*

(18) Venditio ſub conditione ea eſt, quam Sylveſter in Summa ver. *Uſura* 2. quæſito 11. ſic deſcribit -- *Si vero fiat venditio conditionata, ideſt ut ſtatuatur quidem pretium, quo ego ſpondeo me prædium venditurum quando exhibebis pecuniam, ſed tamen non intelligatur facta actualis venditio, niſi actu exhibeas pecuniam, & interim prædium ſtat periculo meo ſic quod, ſi raperetur a flumine, vel deteriorarctur, damnum eſſet meum --.* In hoc caſu procul dubio omnia pertinent ad venditorem, & periculum

&

& emolumentum, & fructus: quia nec res adhuc est tradita, nec reipsa secuta est illa venditio, quæ dominium transfert in emptorem.

Sed Author forte in omnibus hisce casibus loquitur de solo periculo, de quo speciatim locutus fuerat antea, & concludit in iisdem periculum pertinere ad venditorem; ita ut, si res pereat, pereat venditori. Hoc semel posito venditio sub conditione, de qua Author, esset, si res venderetur cum hac conditione vel simili ab emptore apposita, quod huic placeat post octo dierum experimentum, & res periret, antequam laberentur dies adsignati. Venditio in genere esset, si quis ex centum jugeribus terræ ejusdem vel diversæ speciei venderet decem Titio, nulla adsignando, vel exprimendo, & ante traditionem decem, aut viginti flumine raperentur. Venditio esset cum degustatione, quando emptor declararet se nolle habere contractum tanquam ratum, nisi prius gustet rem, vel ipsius bonitatem experiatur. Venditio esset cum pacto, quando emptor & venditor inter se convenirent, ut usque ad aliquod determinatum tempus periculum maneat penes venditorem. Pro venditione conditionata facit L. *Necessario* ff. *de periculo & commodo rei venditæ -- Quod si sub conditione res venierit, si quidem defecerit conditio, nulla est emptio, sicut & stipulatio.... sicuti stipulationes, & legata conditionalia perimuntur, si pendente conditione res exstincta fuerit --*. Scias tamen quod, si res non periret, sed pendente conditione, quæ non sit rei ipsius experimentum, pejor duntaxat fieret, pertineret hoc ad emptorem, quum ibidem subdatur -- *Sane, si exstet res, licet deterior effecta, potest dici esse damnum emptoris --*. Pro venditione in genere facit L. *Si in emptione* ff. *de contrahenda emptione -- Si emptio ita facta fuerit: est mihi emptus Stichus, aut Pamphilus.... uno mortuo, qui superest dandus est; & ideo prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit --*. Secus tamen esset dicendum, si omnia perirent, & raperentur, quum ibidem adjiciatur -- *Sed & si pariter decesserunt, pretium debebitur; unus enim utique periculo emptoris vixit --*. Venditio cum degustatione incidit in venditionem conditionatam jam expressam. Pro venditione cum pacto facit Regula 85. Juris in Sexto -- *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.*



Addit Author, si dolus venditoris non obstet: quia tunc ad rem facit L. *Dolum* C. *de periculo & commodo rei venditæ -- Dolum auctoris bonæ fidei emptori non nocere certi juris est --*. Addit, si non obstet culpa: quia venditor tenetur ad diligentem custodiam, & facit ad rem L. *Custodiam* ff. eod. tit. -- *Custodiam autem venditor talem præstare debet, quam præstant hi, quibus res commodata est: ut diligentiam præstet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet --*. Addit demum, si venditoris mora non obstet: quia facit L. *Illud* ibidem -- *Si.... venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere, æquum est.... moram venditori nocere --*, & facit etiam Regula 25. Juris in Sexto -- *Mora sua cuilibet est nociva.*

SECUNDUM DUBIUM. Utrum mercatores, qui ſine magno incommodo & damno ex inveterata mala conſuetudine Civitatis merces vendere ad ſtatim ſolvendum non poſſunt, poſſint vendere ad tempus, ſicuti communiter alii faciunt, ut ſic juſtum pretium extorqueant?

Reſpondeo, quod ſic ſecundum Thomam in quadam reſponſione, quum fuerit de hac materia requiſitus, cum quo concordat Girardus Obdonis. Nec obſtat quod dicitur L. 1. §. *Si hæres* ff. *ad Senatus conſultum Trebellianum*, & L. *Quærebatur* ff. *ad legem Falcidiam*, & L. *Si quis uxori* §. ultimo ff. *de furtis:* Quod res tantum valet quantum vendi poteſt, quia intelligitur ſi permittitur vendi, & non obſtent dictæ malitiæ. Et hæc omnia intellige quando juſto pretio venderent, ſi prædicta non obſtarent.

(19) Reipſa prima lex ab Authore citata ita habet -- *Julianus autem cavendum non putat, ſed æſtimandum quanti valet ſine hac cautione, hoc eſt quanti vendere poteſt ſine cautione* --, & ſimilia leguntur in aliis duabus legibus ab eodem laudatis. Hoc tamen intellige intra pretium juſtum & legitimum, ſecus eſſet in arbitrio venditoris pretium illud exigere, quod poteſt ab emptoribus extorquere. Jure igitur optimo ſancitum eſt L. *Pretia rerum* ff. *ad legem Falcidiam* -- *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur. Non enim qui filium naturalem poſſidet, tanto locupletior eſt, quod eum, ſi alius poſſideret, plurimo redempturus fuiſſet. Sed nec ille, qui filium alienum poſſidet, tantum habet, quanti eum patri vendere poteſt.*

Regulam, ſeu legem, quæ habet -- *Res tantum valet, quantum vendi poteſt* -- expoſuit & ipſe S. Antoninus par. 2. tit. 1. cap. 8. §. 5., & nec hilum ab Authore noſtro receſſit ſcribens -- *Cum dicitur, quod res tantum valet, quantum vendi poteſt, fateor, ſi pro tanto vendi permittitur quantum valet.*

In caſu propoſito ſermo eſt de exigendo aliquid ultra juſtum pretium aliarum Urbium; aliter reſponſum interrogationi non reſponderet: & hoc propter incommodum, & damnum, quod vere patitur mercator ex inveterata conſuetudine Civitatis nunquam emendi numerata pecunia. Reſpondet Author id poſſe fieri ad menſuram, ut puto, veri damni, quod ſuſtinet. Res tamen hæc eſt plena periculi; cupido quippe lucri facile movere poteſt animum mercatoris ad extendendum damnum, quod ſuſtinet, ultra quam par ſit.

TER-

TERTIUM DUBIUM. Utrum ſcienti, & volenti poſſit carius vendi, & vilius emi?

Reſpondeo, quod, ſi actio non eſt involuntaria ratione ignorantiæ, levitatis, vel magnæ neceſſitatis ad hoc quodammodo compellentis, licet: quia ſcienti & volenti dolus non infertur L. *Cum donationis* C. *de tranſactionibus*, & L. *Quod autem* §. *Præterea* ff. *quæ in fraudem creditorum*, & L. 1. ff. *de injuriis*.

(20) En legem primo citatam -- *Nec unquam volentibus dolus inferatur*.

En legem ſecundo laudatam -- *Nemo enim videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt*.

En legem tertio productam -- *Quia nulla injuria eſt, quæ in volentem fiat*.

Merito idcirco Regula 27. Juris in Sexto -- *Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus*.

Reſponſum hoc Authoris, etſi in jure veriſſimum, & ab omnibus Doctoribus confirmatum, non caret periculis; debet enim certo certius conſtare, quod emptor ſolvat, & elargiatur exceſſum illum cauſſa conſanguinitatis, aut affinitatis, aut amicitiæ, vel liberalitatis ergo, ſicuti quandoque faciunt magni viri, & Principes &c.

QUARTUM DUBIUM. Utrum res poſſit vendi ſecundum valorem naturalem, vel utilitatem ementium?

Reſpondeo, quod non: quia naturaliter muſca plus valeret quam panis, & vinum, & omnia inanimata. Nec etiam ſecundum utilitatem ementium: quia ſic herba medicinalis, vel potio, quæ valet mihi ad liberationem a morte, eſſet pretio infinito vendenda. Vendatur ergo res ſecundum induſtriam, rationem, laborem, pericula, vel communem exiſtimationem, ut dictum eſt ſupra.

(21) Utilitas emptoris non cadit ſub dominio venditoris. Injuſtum eſt ergo aliquid exigere propter illud, quod non eſt proprium. Egregie idcirco S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1 -- *Si vero aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero, qui vendit, non damnificetur carendo re illa, non debet eam ſupervendere: quia utilitas, quæ alteri accreſcit, non eſt ex vendente, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non eſt ſuum, licet poſſit ei vendere damnum, quod patitur*.

patitur. Ille tamen, qui ex re alterius accepta multum juvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare, quod pertinet ad ejus honestatem --. Rem hanc fuse probat S. Bernardinus ibi serm. 35. art. 2. per totum, quem sic concludit -- *Singuli autem in singulis suis, seu singularibus contractibus, vel exactionibus sumptuum sequi debent formam, & regulam communium æstimationum, & taxationum, ne pars turpiter, & irregulariter, & inobedienter, ac indecenter dissonet a suo toto: ne quilibet pro libito suo præjudicet & communi utilitati, ac per consequens communi justitiæ, & pietati.*

QUINTUM DUBIUM. Utrum vendens pro majori pretio quam valet, & reemens statim pro minori pretio quam vendidit, sit usurarius?

Respondeo, quod sic: quia semper fit in fraudem; vel saltem est contractus illicitus. Tamen si sine hac intentione venderet, & ille, qui emit pro majori pretio, omnibus, qui vellent emere, venderet, tunc posset emere, & solum posset esse ibi injustitia injusti pretii.

(22) Casus ab Authore expositus est verus contractus Mohatra, qui habetur, dum quis indigens pecunia emit a mercatore solutione dilata merces, quibus non eget, pretio summo, puta 106., pacto ab eodem mercatore adjecto, ut ipsi pecunia numerata retrovendantur ab emptore pretio infimo, puta 100. Immo pejor est propositus casus ipso contractu Mohatra: supponit enim, quod mercator rem vendat *majori pretio, quam valet*. Si igitur contractus Mohatra fœneratitius est, & damnatus ab Inno. XI. in hac propositione 40. -- *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri* -- : a fortiori contractus, de quo Author, qui insuper manifestam continet injustitiam ob pretium majus justo.

Subdit Author, quod si hic contractus fieret sine prævia intentione prævioque pacto retrovenditionis, id esset licitum vi contractus: quia si quilibet alius juste potest merces alteri venditas emere pretio infimo, cur id non licebit etiam venditori, qui omnimodam emptori libertatem reliquit eas sibi retinendi, vel alteri tradendi? Ita est; sed in praxi suis scatet salebris: quoniam venditor, considerando personam, merces, & harum copiam, facile cognoscere potest, an eas emens pecunia credita reipsa iisdem indigeat, aut velit eas statim retrovendere ad extorquendam pecuniam, qua caret, & quam votis omnibus exoptat. Prudenter ideo S. Bernardinus ibi serm. 34. art. 3. cap. 3. -- *Posset etiam in hoc reemptio taliter circumstantionari, quod non esset ibi peccatum minorationis injusta:*

tamen

tamen talis contractus fieri solet in fraudem usurarum: ideo hoc ultimum non est utile prædicare nisi cum ista additione.

Egregia sunt, quæ de contractu Mohatra scripsit Bonus Merbesius in suo Tractatu de mutuo, & usura, expendens octavam decisionem Concilii Mediolanen. primi. Ea igitur accipe -- Antequam illud contractus portentum sub inaudito illo nomine vulgaretur, damnatum est a Conciliis. S. Carolus portentosa Baratrarum, & Mohatrarum vocabula ignorabat, at rem & impietatem per ea significatam Episcopali judicio reprobavit in Concilio Mediolan. primo his verbis -- *Ne cui præsentem pecuniam quærenti quicquam carius vendatur, ut statim ab venditore per se, vel per interpositam personam vilius ematur.*

Hujus Concilii vestigiis, & verbis institit Concilium Burdigalense 1583. Redemptoris anno celebratum, & per omnia a S. Sede Apostolica approbatum. Nam tit. 29. de usuris, & illicitis contractibus sic loquitur -- *Ne cui præsenti pecunia indigenti quidquam carius vendatur, ut statim a venditore per se, vel per interpositam personam vilius ematur.*

Illum ipsum Mohatræ contractum ceu criminosum & illicitum censurarum fulminibus afflarunt quot Episcopi & Doctores teterrimam Casuistarum Apologiam omni odio, & execratione prosequendam esse toti Ecclesiæ declararunt.

Sacra Theologorum Lovaniensium Facultas, procurante & efflagitante D. Antonio Friest Illustrissimo & Reverendissimo Gandavensium Episcopo, plures articulos ad se missos censoria virga perstrinxit, & in primis prædictum contractum in 14. assertione contentum in hæc verba -- *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu revenditionis prævie inito cum intentione lucri.*

Huic propositioni hanc inussere censuram Doctores Lovanienses -- *Hæc assertio falsa est, & palliativa usurarum, præsertim cum emptori imponitur onus revendendi, uti in assertione.* Hæc præfati Doctores. Hactenus ille.

SEXTUM DUBIUM. Utrum videns thesaurum in agro alieno & emens agrum illum pro pretio, quod valet, si sine thesauro esset, teneatur ad restitutionem thesauri?

Respondeo, quod sic, si ille, cujus ager erat, nihil sciebat de thesauro: quia dolose egit, rem scilicet magni pretii emendo pro vili scienter. Si autem & emptor ipse nihil scivisset, tunc licite retinere posset.

(23) Thesaurus, de quo sermo, & proprie dictus, sic definitur L. *Nunquam ff. de adquirendo rerum dominio -- Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat: sic enim fit ejus, qui invenerit. Alioquin si quis aliquid vel lucri caussa, vel metus, vel custodiæ condiderit sub terra, non est thesaurus: cujus etiam furtum*

furtum fit -- . Hunc eundem casum proponunt Concina de Justitia, & Jure Dissertatione prima cap. 12. q. 8., Cuniliati de septimo præcepto Decalogi cap. 2. §. 8. num. 4., Ferraris ver. *Venditio* art. 2. num. 11., aliique complures, & omnes cum D. Thoma 2. 2. q. 66. art. 5. respondent non teneri ad restitutionem, sed thesaurum totum esse emptoris: quia pretia rerum non petuntur ex notitia perfectionis earumdem, quæ alicui soli nota sit, sed ex communi hominum æstimatione. Secus tamen opinantur Vasquez, Turrianus, & Diana ipse part 9. tract. 5 resolut. 17. Magni certe facienda est ratio ab Authore producta, quia scilicet dolose egit; emptor enim dubio procul operatur cum dolo, & dolus in adversante sententia ipsi deceptori prodesset contra jura omnia secus constituentia. Audiamus Authorem ipsum de hac re in Angelica fusius loquentem ver. *Emptio* num. 24 -- *Et hoc habeo pro indubitato, si emptor nihil sciebat de thesauro; sed si sciebat, & propterea emit, tunc videtur dubium. Nicolaus tamen de Lyra super Matth.* 13. *in illa parabola de thesauro, & S. Thomas* 2. 2. *q* 66. *art.* 5. *videntur tenere, quod licite ematur. Et de subtilitate juris est verum, quod potest licite fieri; sed de æquitate videretur, quod aliquam partem deberet dare venditori. Vide de hoc, si placet, quod notatur in L. SI QUIS CUM ALITER ff. DE VERBORUM OBLIGATIONIBUS. Sed quoad conscientiam, ex quo sciebat, videtur invenisse: & si a casu, sic medietas erit sua, si vero a proposito, sic totum Domino soli, ut dicta L. unica* --. Brevius quidem S. Bernardinus serm. 33. art. 2. cap. 8., sed fortius -- *Dicendum quod emptor restituere obligatur, quia dolose egit. Præterea rem magni pretii emit scienter pro modico pretio, & hoc venditore ignorante. Ergo decipit eum. Si autem tunc nihil de hoc scivisset, licite retinere posset.*

Hæc est lex *Si quis cum aliter* supra memorata -- *Si quis cum aliter eum convenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est: erit quidem subtilitati juris obstrictus, sed doli exceptione uti potest.*

Hæc est lex unica itidem laudata, quæ habetur in C. *de thesauris* -- *In alienis vero terrulis nemo audeat invitis, immo nec volentibus, vel ignorantibus Dominis opes abditas suo nomine perscrutari. Quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno fundo thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum Domino reddere compellatur, & velut temerator legis saluberrimæ puniatur. Quod si forte vel arando, vel alias terram alienam colendo, vel quocumque casu, non studio perscrutandi, in alienis locis thesaurum invenerit: id quod repertum fuerit, dimidia retenta, altera dimidia data, cum locorum Domino partiatur. Ita enim evenit, ut unusquisque suis fruatur, & non inhiet alienis.*

SEPTIMUM DUBIUM. Utrum habens rem, qua multum juvatur, vel valde sibi utilem, & ad instantiam partis vendit

dit

dit eam, possit eam vendere quantum est damnum, quod patitur ex carentia ejus: puta habet quis instrumentum, quo facit artem suam, & non potest haberi aliud usque ad magnum tempus: possit illud vendere instanter postulanti, non quantum valet, sed quantum est sibi utile?

Respondeo secundum Thomam 2. 2. q. 77., quod sic, quantum est damnum, quod patitur ex carentia illius.

(24) Doctrina communis hæc est cum D. Thoma ibidem art. 1. scribente -- *Alio modo possumus loqui de emptione, & venditione secundum quod per accidens cedit in utilitatem unius, & detrimentum alterius: puta cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si ea careat; & in tali casu justum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem, quæ venditur, sed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licite poterit aliquid vendi plus quam valeat secundum se, quamvis non vendatur plus, quam valeat habenti.*

Super hac re apposite subdit Cuniliati de septimo Decalogi præcepto, & singillatim *de Contractibus* cap. 8. §. 4. num. 9. -- Qui casus tunc verificatur, quando venditor vendit ob meras preces, & flagitationes volentis emere, alioquin non venditurus: quia si venditor ipse rem, quamvis necessariam sibi, proferat vendendam, tum nil amplius exigere poterit pro damno, quod patitur: quia non compellitur vendere a flagitante amico, sed a propria necessitate. Hæc ille. Ad rem pariter est annotatio, quæ legitur in ultima editione P. Antoine de Contractibus part. 2. cap. 5. q. 5. super hoc casu, aliisque consimilibus -- Cum ob prædictas caussas plus exigitur, emptor de hoc monendus est; alioqui ei fieret injuria. Nam ipso ignorante, ideoque non consentiente, acciperetur pretii excessus pro aliquo merci extrinseco: cum tamen ipse solum consentiret in pretium mercis secundum se spectatæ, & forte rem non emeret, sed aliunde sibi provideret, si sciret pretium propositum esse majus, quam res secundum se valeat. Præterea deciperetur circa valorem rei absolutum, & alios postea decipere posset.

OCTAVUM DUBIUM. Utrum res possit vendi secundum quod utilis est ementi?

Respondeo, quod non. Concordat Scotus in 4. dist. 15. q. 2. Idem tenendum est de permutationibus, ut in isto dubio, & in præcedenti dictum est.

(25) Vide quæ superius adnotavi, ubi de quarto dubio. Docte admodum Scotus loco cit. de secundo articulo -- *Sed si emens magnum commodum consequatur ex illa re sibi vendita, vel permutata, non potest carius vendi vel permutari: nam propter majus commodum ejus, quod consequitur,*

quitur, nec res meà est in se pretiosior, nec mihi melior. Et ideo non debet mihi majus pretium apportare.

Sexta conditio, quam mercantia debet habere, est, quod fiat sine mendacio, & perjurio: nam secundum Thomam, & Ricardum de Media-villa mortaliter peccat qui cum intentione decipiendi proximum mentitur: quia est mendacium perniciosum 22. quæst. 2. cap. *Primum*, &, si decipit, restituere tenetur. Si autem proximo nocere non intendit, sed se servare indemnem; secundum prædictos venialiter peccat mentiendo: nisi hoc ex assiduitate fiat, quod secundum Hostiensem esset mortale, sicut ebrietas, ut patet 25. dist. §. *Alias*. Jurare autem falsum scienter semper est mortale 22. quæst. 2. cap. *Homines*. Si autem jurat quod credit verum esse, & est falsum, secundum Ray. tit. *de juramento* venialiter peccat, si adhibeat diligentiam, quam debuit. Si vero ignorantia juris, vel facti, & hæc crassa fuerit, vel supina, est mortale 22. quæst. 5. cap. *Qui pejerat*.

(26) Caput *Primum* Augustini est in libro de mendacio, qui pro re nostra hæc habet -- *Tertium quod ita prodest alteri, ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam obsit corporalem ... non est mentiendum tertio genere, quia nulli cum alterius injuria consulendum est.*

§. *Alias* reperitur in tertio capite laudatæ distinctionis, in quo hæc leguntur -- *Hinc etiam Augustinus ait: nullum peccatum est adeo veniale, quod non fiat criminale, dum placet. Alias autem ea demum significat, quæ semel commissa ad damnationem sufficiunt.*

Caput *Homines* & ipsum Augustini est. Verba ipsius accipe -- *Homines falsum jurant vel cum fallunt, vel cum falluntur. Aut enim putat homo verum esse quod falsum est, & temere jurat: aut scit, vel putat falsum esse, & tamen pro vero jurat, & nihilominus cum scelere jurat .... Interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit nisi mens rea.*

Caput demum *Qui pejerat*, quod alias habebat, *Qui perjurat*, est hujusmodi -- *Qui pejerat se in manu Episcopi, aut in cruce consecrata, tres annos pœniteat: si vero in cruce non consecrata, annum unum pœniteat. Qui autem coactus fuerit, & ignorans se pejeraverit, & postea cognoscit, tres quadragesimas pœniteat.*

Ignorantia juris laborat qui ignorat legem prohibentem, vel præcipientem. Laborat ignorantia facti qui exempli gratia ignorat esse Clericum,

ricum, quem percutit: vel mercator, qui nescit mercem, quam vendit, esse corruptam. Crassa est ignorantia, dum quis ex quodam torpore negligit inquisitionem veritatis: & tunc dicitur supina, quum quis variis distentus negotiis omittit investigare id, quod scire tenetur. Adversus ignorantiam crassam egregie Augustinus cap. *Non omnis* dist. 37. -- *Non omnis ignorans immunis est a pœna. Ille enim ignorans potest excusari a pœna, qui, a quo disceret, non invenit* --. Confert quoque quod scribit Apostolus prima ad Cor. 14. v. 38. -- *Si quis autem ignorat, ignorabitur;* hic enim de illis est, de quibus David Psalm. 35. v. 4. -- *Noluit intelligere ut bene ageret*.

Argumentum hoc fuse prosequitur S. Bernardinus ibi serm. 33. art. 2. cap. 7., & adversus hujusmodi mercatores merito clamat -- *Magna nempe juris abusio est nescire vendere minutam cujuslibet vilis mercis absque multiplicibus juramentis, immo & perjuriis multis. Ajunt enim frequentius: per fidem meam tantum constitit mihi: per Deum tantum de hoc habere potui: ita Deus salvet animam meam sicut veritatem dico: per corpus Christi tantundem huic consimile venditum est: & consimilia perjuria multa, quæ ideo ab aliquibus frequentantur, quia, sicut Propheta ait, Non est timor Dei ante oculos eorum. O insana rabies mundanæ cupiditatis! absque aliquo lucro, quod sæpe contingit, toties nequiter peccare* --. Hoc profecto nihil aliud est, quam more Judæ Christum vendere pro pecunia, ut scriptum legimus 11. quæst. 3. cap. *Abiit Judas*.

Pro compescendis mercatoribus mentiri, & pejerare solitis, scribit Natalis Alexander in sua Theologia dogmatica & morali lib. 3. art. 6. Regula prima -- Differenda est absolutio Sacramentalis mercatoribus, qui mendaciis & perjuriis assueverunt, nec aliter vendere, & emere se posse ajunt, donec pravum habitum emendaverint. Hi namque in occasione continua, & affectu lethalis peccati versantur. Quamvis enim mendacium veniale sit, cum grave damnum proximo non infert; lethale tamen est semper, cum ad proximum in negotio graviter circumveniendum, ac fallendum adhibetur, aut perjurio confirmatur. Unde Ecclesiastici 20. -- *Potior fur, quam assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hæreditabunt* --. In mercatoribus sane plerisque impleri videmus, quod Apocal. 13. prædictum est -- *Ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus* --. Bestia, Diabolus est, character illius, mendacium -- *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater ejus* -- (inquit Christus Joan. 8.) Absque isto charactere se emere, aut vendere non posse, mercatores plerique profitentur: nec attendunt ad illud oraculum Apocal. 14. -- *Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum* --. Hæc ille.

Septi-

Septima est, quod fiat sine fraude, quæ committitur multipliciter a multis.

Primo conventione: sicut cum mercatores alicujus civitatis conventionem faciunt inter se, ut nullus vendat de tali mercantia, nisi tales, vel omnes uno pretio, ut amplius possint injuste lucrari: & tales Monopoli nuncupantur. Nota quæ est differentia inter Monopolon neutri, & Monopòlum masculini generis. Monopolon est mercatio, quam aliqui exercent soli ex condictione, & impetrant, quod ipsi soli emere possint, vendere, vel distribuere. Et dicitur a Monos, quod est unus, & Polum, quod est venditor, quasi unus venditor: vel Polis, quod est Civitas, quasi unus vendens in Civitate. Monopòlus masculini generis est ille, qui impetrat, quod liceat sibi soli vendere certas merces, & habet penultimam longam. Hæc enim qui exercent perpetuo exilio condemnantur, bonis propriis expoliati C. *de Monopoliis* L. unica.

(27) Eadem habet S. Bernardinus loco nuper laudato. En legem hic indicatam -- *Si quis autem Monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis exspoliatus, perpetuitate damnetur exilii* --. Vocabulum *Monopolium* alii repetunt a *Monos*, & *poleo*, quod significat vendere, quasi uno modo facienda venditio, sicuti *Binopolium*: dicitur a *binopolis*, & *binopola*; quasi bino modo emptio facienda. Ita Sylvester in Summa, aliique apud Lucium Ferraris ver. *Monopolium*.

Nota hæc Authoris verba -- *Conventionem faciunt inter se* --. Ex quibus infer Monopolium quidem esse, & vetitum, si conventio fiat a mercatoribus, vel ab aliis hominibus privatæ auctoritatis, non autem si fiat auctoritate publica, & Principis. Princeps certe constituere potest pretia quarumdam mercium, immo quandoque bonum commune id postulat. Potest pariter alicui privilegium concedere, vi cujus ipse solus, cæteris exclusis, vendere possit merces quasdam determinatas, sicuti sæpenumero fit cum Typographis, Bibliopolis, & Inventoribus artium, quæ utiles sunt Reipublicæ, ut ipsorum alacritas, & industria promoveatur. Verum quidem est, quod hujusmodi privilegia justa esse debent, & bono publico consentanea. Sed justas harumce concessionum caussas expendere ad Principem attinet, non ad homines privatos. Monopolium igitur vetitum erit illud unum, in quo privata auctoritate plures conveniunt de quibus-

dam

dam mercibus emendis, aut vendendis tali determinato pretio, tali duntaxat determinato loco, & tempore in præjudicium Reipublicæ. Adversus mercatores ita operantes merito insurgit S. Raymundus de Peñafort lib. 2. de usuris, & pignor. §. 9. scribens -- *Illos credo tanquam nefandas belluas detestandos, qui ea intentione emunt aureos, vel alias monetas, vel res venales, & præcipue victualia, ut de talibus caristiam inducant.*

Inquirunt Theologi: an mercatores licite convenire possint de vendendis quibusdam mercibus pretio summo, & de aliis emendis pretio infimo. Et quoniam nec primum est ultra, nec secundum infra confinia justi pretii, placet quibusdam adserere conventionem hanc illicitam quidem esse, & vetitam, non tamen injustam, & debitum restitutionis inferentem. Sed quum dubio procul, perversa hac conventione semota, plures venderent pretio medio, & etiam infimo, plures item emerent pretio medio, & quandoque summo: hinc reor præfatum pactum justitiam lædere, & debitum restitutionis inferre. Faciant ipsi ex adverso. Conveniant, si placet, de vendendis mercibus pretio infimo, & de aliis emendis pretio summo. Et hæc pretia intra confinia justi pretii continentur. Nulla tunc amplius erit inter Theologos disputatio, sed omnes uno ore, unoque consilio eosdem miris laudibus excipient: quia ipsorum conventio sancta erit, evangelica, maximam pauperibus afferet utilitatem. Sed dum enormis lucri cupidine illecti secus operantur, jure Theologi eos reprehendunt, condemnantque: quia tametsi jus habeant vendendi merces pretio summo, & alias emendi pretio infimo, omni jure tamen carent ineundi conspirationem non evangelicam, iniquam immo, & in damnum Reipublicæ.

Secundo admixtione: ut caupones, qui aquam ponunt in vino, quæ admixtiones, si virtutem rerum mutent, vel imminuant notabiliter, & sint contra communes usus, & intentiones ementium, non possunt fieri sine peccato, etiamsi pretium justum non excedant. Immo credo in frequentatione talium esse mortale. Si tamen virtutis imminutio modica sit, & pretium justum, credo quod peccatum veniale erit.

(28) Contra tales dicitur Isaiæ 1. v. 22. -- *Argentum tuum versum est in scoriam*, (scilicet permixtione stanni, aut plumbi) *vinum tuum mixtum est aqua* --. Alia litera habet ibi -- *Caupones tui, & tabernarii tui miscent vinum aqua:* propterea paulo post subdit -- *& coquam scoriam tuam, & auferam omne stannum* --. Hæc S. Bernardinus loco supracit. in fine.

Super hac re propositionem habemus a Facultate Parisiensi proscriptam anno

anno 1665., quæ erat hujusmodi -- *Licitum est tabernariis vinum aqua miscere, & agricolis triticum paleis, & communi pretio vendere, dummodo deteriora non reddantur eis, quibus communiter venduntur.*

Alicui forte videbitur paullo severior hæc Authoris opinio: quod nempe mortaliter peccet frequentans memoratas admixtiones, tametsi pretium injustum non extorqueat. Hoc idem tamen docuit Cuniliati *de Contractibus* cap. 8. §. 6. num. 2. scribens -- Unde quando admixtio alterius rei tanta non est, quæ substantiam non corrumpat, puta aquæ vino admixtæ, farinæ siliginis triticeæ commixtæ &c., quæ speciem vini, & tritici non transmutet; contractus quidem validus est: at venditor tenetur imminuere de pretio pro rata mixtæ mercis, & item reparare damna, si quæ ex deceptione oriantur: & peccat graviter ita decipiendo --. Hæc ille. Rationem esse puto, quia violat justitiam legalem, & peccat adversus Rempublicam, quæ hujusmodi mixtiones odit. Non inficior tamen plures dari posse casus, in quibus id fieri potest licite, dummodo non fiat contra intentionem ementium, & nullum istis damnum inferat. Hos vide apud Lucium Ferraris ver. *Emptio* num. 25., & seq.

Tertio occultatione: utputa defectum occultando. Ad cujus declarationem

Quæritur. Utrum sine culpa mortali possit vendi res, quæ maculam habet notam vendenti; minime vero ementi, nisi ei propaletur?

Respondeo secundum Scotum in 4. dist. 15. quæst. 2., & Thomam 2. 2. quæst. 77., quod circa rem vendendam triplex potest considerari defectus. Primo secundum speciem suam, sive substantiam: Secundo secundum quantitatem. Tertio secundum qualitatem. Secundum substantiam, ut dando unam rem pro alia. Secundum quantitatem, ut scilicet utendo scienter pondere vel mensura diminutis. Secundum qualitatem, puta vendendo animal infirmum pro sano. In his ergo tribus casibus peccat mortaliter venditor, nisi manifestet, si scienter hoc facit, & tenetur ad restitutionem non solum fraudis, sed totius damni, quod emens incurrit cap. *Si culpa* Extra *de injuriis, & damno dato*.

(29) In cap. *Si culpa* hæc habentur -- *Qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse* --. Jure igitur sancitum est L. *In venditionibus* ff. *de*

ff. *de contrahenda emptione -- In venditionibus & emptionibus consensum debere intercedere palam est .... Si igitur ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti, quia in corpore dissensimus, emptio nulla est --*: & L. *Labeo* §. *proinde* ff. *de ædilitio edicto -- Proinde si quid tale fuerit vitii, sive morbi, quod usum ministeriumque hominis impediat, id dabit redhibitioni locum --* (Redhibitio est emptionis resolutio ff. *de adquirenda vel omittenda possessione* L. *Pomponius* §. *præterea*.) Jure pariter clamat D. Ambrosius lib. 3. de offic. cap. 10. -- *In contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur, ac, nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transcripserit, doli actione vacuantur*.

Ex his Authoris verbis -- *si scienter hoc facit* -- cave, ne inferas venditorem memoratos defectus ignorantem nec peccare, nec teneri ad restitutionem statim atque defectus deteguntur. Primum verum est, falsum secundum: Theologi enim communiter id docent cum D. Thoma loco laud. art. 2. scribente -- *Si vero eo ignorante aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit injustum materialiter: nec ejus operatio est injusta, ut ex supradictis patet; tenetur tamen cum ad ejus notitiam pervenit, damnum recompensare emptori*.

Ad declinandam restitutionis obligationem verbis dolosis sæpenumero utuntur vendentes. Sed audiant hi S. Bernardinum loco nuper laudato eos improbantem -- *Merito quæri potest, an peccent hi, qui, vendendo equos, consueverunt dicere ipsi emptori: ego vendo hunc equum pro umbroso, pro strumoso, pro infirmo, & sic de consimilibus defectibus, qui solent esse in equis. Modo equus suus venalis habet unum de defectibus illis, quem si vere sciret emptor, non daret illius pretii medietatem: numquid talis venditor excusatur, eo quod in genere dixit defectum equi? Dicendum quod talis venditor tenetur ei talem defectum dicere in particulari: quia alias rem maculatam vendit cum detrimento proximi sui, quod quidem contra charitatem est. Et licet venditor expresserit talem defectum in genere, non sufficit tamen: quia sic dicendo dicit plura mendacia, quod equus habebat multos defectus, quos tamen non habebat. Proinde talis consuetudo in fraudem fieri solet: ne scilicet emptores credant defectum esse in equo de his, qui a venditore denominantur. Idem quoque de illis mercatoribus dicendum est, qui vendunt pannos, vel alias res, in quibus defectus est talis, quod, si emptor sciret, non emeret eas. Ideo tales venditores non excusantur in tali casu dicendo: respice rem diligenter: oculus tuus pascat te: quia hæc omnia fraudulenta sunt verba, quum ipse sciat certitudinaliter defectum vendendæ rei. Ex hujusmodi enim emptionibus sæpe contingit, & incurrit grande periculum ipse emptor: tamen gravius periculum imminet venditori, quum is in anima falsitatis crimine maculetur, & ad omne damnum restituendum, quod exinde incurrit emptor, venditor obligatur*. Hactenus ille.

C Adver-

Adversus eos, qui scienter utuntur pondere vel mensura diminutis, scriptum est Deuter. 25. v. 13. & seq. -- *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor: Pondus habebis justum, & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi: ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi: abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam* --. Et Psalm. 61. v. 10. -- *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum* --. Ad quæ verba S. Augustinus ait -- *Decipere vultis, fraudem vultis facere, quid affertis ut decipiatis? Stateras dolosas. Falso examine fallitis metuentes: nescitis alium esse qui appendit, alium, qui de pondere judicat? Non videt, cui tua appendis, sed videt, qui te, & ipsum appendit* --. Merito igitur cap. *Ut mensuræ* Extra *de emptione & venditione* constitutum est -- *Si quis justas mensuras, & justa pondera causa lucri mutare præsumpserit, triginta dies in pane & aqua pœniteat* --: facta, ut supponitur restitutione, quæ ante omnia debet fieri: quia cap. *Si res*, quod est Augustini, 14. quæst. 6. -- *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Similiter si emens videt minus pretium taxari, quia ille, qui vendit, credit unam substantiam aliam, quantitatem, vel qualitatem, injuste emit, & justum pretium satisfacere tenetur.

(30) Et hæc est doctrina communis, quia vendentis & ementis par debet esse conditio. Et iccirco subdit præcitato loco D. Thomas -- *Et quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris. Contingit enim quandoque venditorem credere suam rem esse minus pretiosam quantum ad speciem, sicut si aliquis vendat aurum loco aurichalchi, emptor, si id cognoscat, injuste emit, & ad restitutionem tenetur.*

Quod nuper dixi de venditore ignorante, idem dictum volo de emptore bonæ fidei, qui postmodum detegit rem emptam ut corruptam revera esse sanam, prædium emptum ut hypothecatum revera esse liberum, gemmam emptam pro vitro revera esse gemmam, & hujusmodi. Is sane emendo non peccavit, sed re detecta tenetur id manifestare venditori ignoranti, & pretium augere juxta valorem mercium.

Nonnulli, quos respicit, sed omnino non sequitur S. Bernardinus loco cit. cap. 8., secus opinati sunt pro hisce casibus, in quibus tum vendens tum emens ignorant rem venditam & emptam pretiosam esse, non vilem, puta non vitrum, sed lapidem esse pretiosum. En verba S Bernardini -- *Pone, quod quidam simplex habet lapidem pretiosum, quem vitrum*

trum esse credit; lapidarius vero cognoscens eum emit illum pro vili pretio; quid juris? Dicendum, quod illicitum est: quia scienter decipit proximum suum, qui de illo confisus est; unde & justum pretium restituere obligatur. Secus autem si ille qui emit, credebat etiam vitrum esse, quia tunc secundum quosdam restituere non tenetur, eo quod per emptionem bona fide factam lapidem acquisivit. Sed consulendum est ei, quod de lapidis lucro provideat venditori plus vel minus secundum indigentiam suam.

Super venditore ignorante, qui vitio cognito tenetur vel rescindere contractum, vel resarcire pretii inæqualitatem, placet adjicere quod adnotat Antoine *de Contractibus* part. 2. cap. 5. q. 15. -- Non tenetur tamen compensare alia damna inde sequuta, modo absit culpa lata vel levis: quia non est caussa injusta illorum, cum ignorantia invincibilis eum excuset, sed se habet ut possessor bonæ fidei; & aliunde tenetur ex contractu de sola culpa lata vel levi. -- Hæc ille.

Si vero hæc quatuor concurrant: primum quod nullum periculum imminet ementi: secundum quod justum pretium non excedatur: tertium quod emptor censeatur industrius: quartum quod res ei pro libito examinanda detur: tunc manifestare non tenetur, cum solum teneat celatos defectus, ut habeat justum pretium.

(31) Doctrina pariter communis hæc est. Alioqui mercatores negotiationi valedicere deberent, si quælibet mercium vitia semper deberent non interrogantibus aperire; nec stare possent commercia, sine quibus Respublica nequit subsistere. Mercatores enim omnis generis & qualitatis merces emere coguntur: emptas non possunt semper conservare ut vellent: & ipsi sæpe decipiuntur, dum merces aliunde accersunt. Si igitur nonnisi merces indefectuosas vendere cogerentur, funditus a fortuna caderent: quia vel emptores ab emendo deterrerentur, vel pretium justo minus offerrent.

Adde tamen -- *dummodo venditor non interrogetur* -- : Quoniam venditor interrogatus de vitio occulto, etiam non reddente rem noxiam, nec notabiliter minus utilem quam emptor rationabiliter exoptat, tenetur illud manifestare: & id fraudulenter negans, aut dolosa æquivocatione celans, inique operatur, & tenetur de omni damno: quia cap. *Ex tenore* Extra *de rescriptis -- quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent* --, & L. *Julianus* ff. *de actionibus empti & venditi -- Si vero sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei.*

Adde etiam cum Antoine ibidem -- Si tamen venditor probabiliter judicet emptorem rem eam esse revenditurum tanto pretio, quanto si ca-

reret defectu, seu vitio, tenetur ei aperire defectum saltim post contractum. Quia hoc ipso quod rem suam exponit venalem cum occulto vitio, tenetur ex officii sui lege cavere ex parte sua, ne quis inde aliquod damnum patiatur; & alias daret occasionem damni aliis inferendi --. Hæc ille.

Si postmodum sermo sit de vitiis manifestis, id dicatur quod a Natali Alexandro lib. 3. art. 5. Regula 14. constitutum est -- Vitium rei venalis manifestum non semper tenetur venditor emptori aperire, modo propter illud subtrahat de pretio quantum oportet. Hanc regulam tradit S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. -- *Si vitium*, inquit, *sit manifestum, puta cum equus est monoculus, vel cum usus rei etsi non competat venditori, potest tamen esse conveniens aliis, & si ipse propter hujusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei, quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Unde potest licite venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo.*

Si tamen subsit aliqua fraus, verbi gratia si vitium rei venalis etsi manifestum, non ita facile ab emptore deprehendi possit: vel si emptor se rem vitiatam emere nolle sit contestatus: aut venditor interrogatus de rei venalis vitio, illud vel tacuerit, vel negaverit, vel eam quasi vitio carentem etiam non interrogatus laudaverit, aut inter res integras, omnisque vitii expertes venalem exposuerit; tenetur ad emptoris arbitrium contractum rescindere, si res vendita tunc temporis integra maneat --. Hactenus Natalis.

Quod nulla fraus fiat in quantitate satis ex dictis patet. Est etiam alia fraus, quæ fit in diminutione monetæ. De qua est sciendum secundum Thomam, quod si quis emisset summam grossorum, in qua aliqui sunt amplioris ponderis, aliqui minoris, expenderetque pro suo pretio minores, & vellet alios minuere, non liceret. Si vero minores essent justi ponderis, tunc amovere liceret illud, in quo alii excedunt. Patet igitur, quæ sint circumstantiæ negotiationis, ut hæc sit licita.

(32) Grossus erat quædam moneta argentea, cujus etiam meminit S. Bernardinus ibidem cap. 9. hunc eundem casum proponens. Dum Author eos dicit minoris ponderis, intellige ponderis minoris justo, seu deficientes a justo pondere. Jure igitur in primo casu concludit non licere; quia, ut subdit S. Bernardinus *ementes pejores injuste damnificantur*, cum in his debitum pondus non habeatur: licere autem dixit in secundo casu, quia monetas expendendo justi ponderis nulli nocet, &

jure

jure suo quis utitur ad justum pondus reducendo graviores justo. Fac nihilominus, quod, qui in primo casu monetas expendit minores justo, ære proprio damnum compenset alteri illatum; tunc non dubitarem adserere eundem illæsa conscientia posse, sicut ille, de quo in secundo casu, ad justum pondus reducere graviores justo, quia eo in casu nulli amplius esset injurius.

Hæc inspecto solo pondere monetæ. Cæterum quum jus cudendi monetas solius Principis sit suprema Auctoritate gaudentis, sicuti scriptum est lib. 2. Feudorum tit. 56. *quæ sint Regaliæ*, & fuse probat Baldus Consil. 494. lib. 1., & Consil. 372. lib. 3. ante medium: licite non potest privatus vir eas radere, & imminuere L. *Quicumque* ff. *de lege Cornelia de falsis* -- *Quicumque nummos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, si quidem liberi sunt, ad bestias damnari, si servi, summo supplicio affici debent* --. Facit etiam L. 2. C. *de falsa moneta* -- *Si quis nummos falsa fusione formaverit, universas ejus facultates Fisco nostro præcipimus addici. In monetis enim tantummodo nostris cudendæ pecuniæ studium frequentari volumus. Cujus obnoxii, majestatis crimen committunt; & præmio accusatoribus proposito, quicumque solidorum adulter poterit reperiri, vel a quocumque fuerit publicatus, illico omni dilatione summota, flammarum exustionibus mancipetur.*

Addo etiam alias circumstantias mercantiæ, quæ animæ mercatoris ad salutem valde necessariæ sunt: scilicet quod tuæ non sint deteriores mercibus aliorum; & non tantum intendas mercantiæ quod ea, quæ sunt necessaria, omittas: quas circumstantias omittere volebam, quia omnibus christianis hæc esse imperata certum est.

(33) *Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat!* Marci 8. v. 36. -- *Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat!* Lucæ 9. v. 25. -- *Hoc itaque dico fratres: tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint.... & qui emunt tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur:* Prima ad Cor. 6. v. 29. & seq. -- *Veruntamen quærite primum regnum Dei & justitiam ejus:* Luc. 12. v. 31. -- *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse intrabit in regnum Cælorum:* Matth. 7. v. 21. -- *Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei:* Ad Gal. 6. v. 10. -- *Itaque Charissimi mei.... cum metu & tremore vestram salutem operamini:* Ad Philipp. 2. v. 12. *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata:* Matth. 19. v. 17. --

Quapropter Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: Secunda Petri I. v. 10.

Circumstantias omnes, quæ necessariæ sunt, ut negotiatio sit licita, breviter complectitur Astesanus Ordinis Minorum ex hac eadem Urbe Astensi, in qua scribo, in sua Summa de casibus conscientiæ, quam jam absolverat anno 1317., ut constat ex ipsius epistola ad Joannem Cajetanum Ursinum Cardinalem S. Theodori eidem præfixa, lib. 3. tit. 8. de decimo, scribens -- Licita autem negotiatio est, cum exercetur a persona congrua, ut Laica: & causa necessaria vel pia, ut scilicet possit familiæ suæ in necessariis providere, vel opera misericordiæ exercere: & modo licito, scilicet sine perjurio, & mendacio: & tempore competenti, ut in die non festo: & in loco concesso, & tali exercitio apto: & justa æstimatione rei, & commercii, prout communiter venditur in illo loco, in quo negotiari contingit. Et secundum hoc dicit Canon ex Epistola Clementis, quod negotia mundana, & opera sæcularia sibi invicem exhibeant vacantes Laici. Sic ergo dicendum est, quod negotiatio sive mercatio, si sit præmissis circumstantiis vestita, est licita, & etiam a jure naturali approbata. Cum enim sit unus Princeps omnium, ut sacra scriptura & Sancti testantur, quod etiam non latuit Gentiles, ut dicit Philosophus 12. Metaph. *Unus ergo est Princeps:* constat, quod omnes homines secundum rectum dictamen naturæ debent sibi invicem in suis necessitatibus subvenire, in quantum vivunt sub uno Principe: ille autem Princeps est Deus -- Hactenus Astesanus, quem Trithemius de Scriptor. Ecclesiast. vocat virum ingenio profundum, consilio cautum, sententia certum, sermone compositum. Summa ipsius in octo libros, & in duo ingentia volumina distributa, primo typis commissa fuit Venetiis anno 1480. procurante Patre Bartholomeo Bellato, secundo autem Romæ ann. 1728. & 1730. a Hieronymo Mainardi, studio, atque industria Patris Joannis Baptistæ Lamberti ejusdem cum Authore Religionis, & Patriæ --. In hac lucubratione prior Editio citatur, non posterior, quæ nondum ad manus meas pervenerat.



SECUN-

SEcundus Articulus eſt de temporis licita, vel illicita venditione.

Pro cujus fundamento eſt ſciendum ſecundum Girardum Obdonis, quod tempus dupliciter conſiderari poteſt. Primo, ut eſt quædam duratio, quæ conſequitur primum motum: & hoc modo tempus eſt quid commune omnium, & non poteſt vendi, quia 12. quæſt. 2. cap. *Qui manumittitur* dicitur -- *Quod commune eſt, non eſt particulariter ſingulorum* --. Secundo, ut eſt quædam duratio applicabilis alicui rei, quæ duratio eſt alicui conceſſa ad ejus opera exercenda: & hoc modo tempus eſt proprium alicujus, & licet vendi.

(1) TEmpus definitur ab Ariſtotele lib. 4. Phyſic. *Numerus motus ſecundum prius & poſterius*, nempe quantitas continua certo numero partium circumſcripta per ſe apta menſurare motum, ſeu durationem, quatenus partes habet ſibi mutuo ſuccedentes. Definitur a Tullio lib. 1. de Inventione -- *Tempus autem eſt id, quo nunc utimur* (*nam ipſum quidem generaliter definire difficile eſt*), *pars quædam æternitatis cum alicujus anni, menſtrui, diurni, nocturnive ſpatii certa ſignificatione*.

Do exemplum illius, qui venderet tempus primo modo acceptum: puta ſi quis paratus, & volens merces vendere hìc & nunc, ob ſolam dilationem ſolutionis, quam emptor poſtulat, vellet, & exigeret aliquid ultra juſtum pretium; hic enim in iſto caſu venderet tempus non proprium, ſed emptori commune, & propter ſolum tempus non ſuum aliquid exigeret ultra ſortem. Concedere terminum, ſeu dilationem ſolutionis emptoribus, & præſertim indigentibus, opus eſt pium, juſtum, & meritorium, ut perbelle oſtendit S. Bernardinus ibidem ſerm. 34. art. 1. ſub initio. Is enim quodammodo plura exercet opera miſericordiæ: *quia*, ut ſcribit idem Sanctus, *veſtit nudos, alit famelicos, potat ſitibundos, viſitat ægrotos, ſuſcipit vagos, educit incarceratos, & juvenes, & puellas ſæpe ſuſtinet ruituras* --. Verum propter conceſſionem termini aliquid exigere ſupra juſtum pretium, idem eſt ac egenos opprimere, & legi illi naturæ adverſatur, quam Chriſtus Dominus dilucidavit Lucæ 6. v. 31. inquiens -- *Et prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos ſa-*

facite illis similiter -- : & a qua Jus Canonicum exordium duxit suum, ita incipiens Distinctionem primam -- *Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet jure, & moribus. Jus naturale est, quod in lege & Evangelio continetur, quo quisque jubetur alii facere quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre quod sibi nolit fieri. Unde Christus in Evangelio: omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Hæc est enim Lex, & Prophetæ.*

Do nunc exemplum illius, qui venderet tempus secundo modo acceptum: puta si ipse tenerer tibi solvere certam pecuniæ quantitatem post tres circiter annos, & te impellente eandem tibi solverem post tres menses & non amplius. In hoc casu cederem tibi tempus non commune, non tuum, sed duntaxat meum, mihi soli applicatum, & concessum; de quo scribit S. Bernardinus ibidem, sic concludens caput primum articuli nuper memorati -- *Sed quia anterioratio hæc pretio æstimabilis est, ideo licite vendi potest.* Id tamen nolo habeas tanquam regulam generalem, semperque firmam: quoniam complures contingere possunt casus, in quibus venditio temporis sic accepti merito condemnatur, ut inferius patebit. Regula potius generalis videtur super hac re, quod licite vendi potest tempus, quando proprium est vendentis, non vero quando est potius ementis, vel utrique commune. Sed & hæc suis est exceptionibus obnoxia.

Ad cujus declarationem quæruntur septem dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum ille, qui debet Joanni hinc ad tres annos solvere centum, & quia solvit nunc in præsenti, propter præmaturam solutionem solum solvit octoginta quinque, sit usurarius? Exemplum. Testator reliquit centum hinc ad decem annos solvendos per hæredem: num propter præmaturam solutionem possit aliquid detrahere, si de ipsis erat lucraturus?

Respondeo, quod, si erat lucraturus de ipsa pecunia, & ad instantiam Joannis in præsenti solvit, poterit tantum diminuere quantum verisimiliter est interesse suum. Alias, si non erat de ipsis lucraturus, aliquid diminuere propter præmaturam solutionem usura erit. Et cum dicitur, quod plus solvere videtur, qui ante tempus solvit Institut. *de actionibus* §. *Si quis agens..... Plus*, dicendum quod verum est in coacte solvente, quia tollitur ei facultas retinendi rem tempore concesso,

cesso, & sic intelligitur ille §.; sed in sponte solvente est usura Cap. *Naviganti* Extra *De usuris:* nisi, ut dictum est, aliquod justum interesse prætendere possit propter præmaturam solutionem. Fallit hoc in mutuo gratis dato: quia, si dedi tibi mutuo centum usque ad annum, & rogo te, ut nunc mihi reddas, cum iisdem indigeam, non poteris aliquid diminuere propter præmaturam solutionem. Credo etiam, quod idem dicendum sit in commodato.

(2) En quod habet Paragraphus hìc citatus -- *Plus autem quatuor modis petitur: re, tempore, loco, & causa. Re: veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit: aut si is, cujus ex parte res est, totam eam vel majorem partem suam esse intenderit. Tempore: veluti si quis ante diem, vel ante conditionem petierit. Qua enim ratione qui tardius solvit, quam solvere deberet, minus solvere intelligitur, eadem ratione qui præmature petit, plus petere videtur. Loco plus petitur....*

Huic Authoris doctrinæ primo intuitu contradicere videtur quod habet D. Thomas in Opusculo 67., sed rem aliter se habere probat Joannes Pontas ver. *Usura*, casu septimo, mentem S. Doctoris exponens hisce verbis -- S. Thomas scribens ad Jacobum de Viterbe eos omnes generatim usuræ condemnat, qui debitis suis ante satisfaciunt, quam solutionis tempus advenerit, ut sibi a suis creditoribus de debito pars aliqua remittatur: quoniam proprie loquendo in eo occurrit quædam quasi venditio anticipatæ solutionis, quæ nihil aliud est quam mutuum saltem implicitum. *Ille, qui ad certum terminum debet*, ait laudatus S. Doctor, *si ante terminum solvit, ut ei de debito aliquid dimittatur, usuram committere videtur: quia manifeste tempus solutionis vendit. Unde ad restitutionem tenetur* --. Quibus præterea sic addit --. *Nec excusatur per hoc, quod, solvendo ante terminum, gravatur, vel quod ab alio inducitur: quia eadem ratione possent usurarii omnes excusari* --. Ex quibus concludimus ex conscientia obligari ad quinque nummos, qui sibi condonati fuerunt, Publio restituendos (proposuerat casum de Liminio debente centum nummos Publio, & solvente duntaxat 95. propter anticipatam solutionem ad instantiam Publii) : si nihil ipsi ex ista anticipatione solutionis accedat detrimenti : nec gratiam istam receperit, nisi propter anticipatam ab eo solutionem: siquidem eo animo solutioni in antecessum satisfaciens vendat reipsa tempus, & mutuum saltem implicitum Publio credat cum intentione lucrum ex mutuo sibi quærendi. In eoque sensu sunt intelligenda verba S. Thomæ, quæ jam jam retulimus, juxta interpretationem, quam S. Antoninus habet ad prædicta verba (secunda parte Sum-

mæ

mæ Theolog. tit. 1. cap. 8. §. 13.) cum ait -- *aut debitor ex tali anticipatione solutionis nec damnum incurrit, nec negotiari cum illis est paratus, nec super hæc cogitat, sed solum, quia prævenit tempus, vult sibi illa quinque remitti, tunc est usura: & ratio est, quia venditur tempus, & mutuum est ibi implicitum cum lucro intento, & in hoc casu loquitur B. Thomas* --. Fatemur equidem, si Liminio tantum damnum emergeret ex ista solutionis anticipatione, quantum inducitur Publio ex jactura, quam patitur, quinque nummorum pro centum, qui ei debentur, futurum ut nihil iniqui committeret, neque se se peccato usuræ constringeret: quum ejusmodi lucrum non perciperet ratione anticipatæ solutionis, sed eo duntaxat animo, ut compensaret damnum, quod pateretur ex hujusmodi solutionis anticipatione .... Quod ita docetur a S. Antonino, quando prosequitur verbis istis -- *Quod si illa quinque retinet debitor, quia tantundem est damnum, quod ipse inde recipit ex anticipatione solutionis, tunc non est usura: quia nullum ex hoc lucrum consequitur, sed solum conservat se indemnem* --. Quæ quidem cum doctrina S. Thomæ plane concordant (2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.) qui sic docet -- *Hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare* -- Hactenus Pontas. Eodem prorsus modo S. Doctorem intelligit & exponit Franciscus Gennettus tom. 1. suæ Theologiæ moralis Tract. 3. cap. 6. q. 2.

Subdit Author hoc fallere in mutuatore gratis, & in commodante; & quidem jure optimo. Verum quidem est gratis mutuum dantem, & commodantem non posse ante tempus concessum revocare mutuum, & commodatum, & revocantes teneri de damno tum mutuatario, tum commodatario ff. *Commodati* L. *In commodato* §. *Sicut* -- *Sicut autem voluntatis & officii magis quam necessitatis est commodare, ita modum commodati finemque præscribere, ejus est, qui beneficium tribuit. Cum autem id fecit, idest postquam commodavit, tunc finem præscribere, & retroagere, atque intempestive usum commodatæ rei auferre, non officium tantum impedit, sed & suscepta obligatio inter dandum accipiendumque: geritur enim negotium invicem, & ideo invicem proposita sunt actiones.... adjuvari quippe nos, non decipi, beneficio oportet* --. Cui concinit quod legimus *de commodato* Extra cap. unico -- *Contra eum quoque recte commodati non agitur, nisi post usum expletum, cujus gratia res fuerat commodata; cum non decipi beneficio nos oporteat, sed juvari* --. At semel atque inopinate contingit, ut ipse mutuum dans aut commodans æquale damnum patiatur, nisi rem gratis mutuo datam, aut commodatam mox repetat, non censetur pro tali eventu & casu se obligare voluisse: quia quisque præsumendus est ex re sua magis sibi consulere velle, quam alteri. Ita Author ipse in Angelica ver. *Usura primo* num. 63. in fine, ver. *Commodatum* num. 4., Ferraris ver. *Commodatum* num. 32., Sylvester eod. ver. q. 4., aliique.

SECUN-

SECUNDUM DUBIUM. Habet quidam recipere centum ab aliquo in certo termino, sive pro locatione molendini, sive propter aliud; Venit tertius, & emit ipsa jura pro pretio nonaginta quia nunc solvit: nunquid emptor talis committit usuram?

Respondeo, quod, si iste emit tantum minus quantum est verisimile interesse suum: aut quantum vere est æstimandum, sive timendum, ne ille debitor solvat: aut quantum est futurus labor rehabendi, non est usura. Si vero vult solum minuere pretium propter hoc, quia nunc solvit, & in futuro rehabeat plus, est manifeste usura Extra *De usuris*, Cap. finali. Concordat Joannes Andreæ in additionibus ad Speculatorem. Nec obstat Cap. *In Civitate*, & Cap. *Naviganti* Extra *De usuris*, ubi dicitur quod qui plus emit, vel vendit respectu temporis sive expectationis, est usurarius: quia in his Capitibus non jus, sed res ipsa venditur, quæ statim traditur, & pretium differtur. Sed in casu nostro pretium traditur, & jus recuperandi rem ipsam, & non res ipsa datur. Stat etiam ibi pecunia jurium prædictorum periculo emptoris. Et sic intelligenda est Regula -- *Jus rerum pro futuro tempore licite potest minus emi quam si omnes illæ res emptori præsentialiter traderentur* --. Advertendum tamen est, quod, quando imminet periculum litigandi, si fiat minori pretio, non valet talis emptio: nec iste emptor poterit plus petere a debitore, quam ipse in veritate solverit, etiamsi residuum fuerit ei donatum, ut L. *Per diversas*, & L. *Ab Anastasio* C. *Mandati vel contra:* quod pro bono communi statutum est, ne litigia emerentur, & moverentur.

(3) Doctores hac super re adhuc digladiantur, ut videre est apud Lucium Ferraris ver. *Emptio* art. 2. num. 27., & Danielem Concinam de Justitia & Jure Differt. 2. cap. 7. num. 15., & seq. Si tamen res intime pensitetur, opinio Authoris imminutionem unice reducentis ad lucrum cessans, & damnum emergens, erit certe præferenda. Ratio est in promptu. Ut emptio justa sit, & licita, servari debet æqualitas inter

ter pretium & mercem, seu rem, quæ emitur L. *Si servum* ff. *ad legem Aquiliam -- Sextus quoque Pedius ait, pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter fungi --*. Porro quæ æqualitas inter centum, quæ statuto tempore recipiet emptor, & nonaginta, quæ nunc solvit! Ni velimus adserere cum propositione ab Inno. XI. merito damnata, quod nedum in se, sed etiam in contractibus emptionis, & venditionis pecunia numerata pretiosior sit numeranda, dicamus oportet hunc emptorem in casu pretium minuere ob solam temporis expectationem, quod erroneum est, & ab Ecclesia proscriptum. Quidquid regerant adversarii: mutuum implicitum hoc est, verum, propriumque, in quo non potest aliquid exigi ultra sortem: Lucæ 6. v. 35. -- *Benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes --*. Authoris nostri responsum pene in verbis ipsis convenit cum eo, quod scripsit S. Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 8. §. 12. -- *Cum quidam habuit recipere ab aliquo centum in certo termino, venit tertius emens ipsa jura contractus contra debitorem pro pretio nonaginta, quæ nunc solvit, nunquid emptor committit usuram? Respondeo, si iste emit tantum minus, quantum nunc est interesse suum, aut quantum vere æstimandum, sive timendum, ne ille debitor solvat, aut quantus est futurus labor rehabendi, non est usura. Si vero aliquis vult diminuere pretium, solum propter hoc, quod tunc solvit, sed in futuro rehabebit plus, est manifeste usura.*

Regula, quam hic profert Author, est ipse titulus a S. Bernardino præfixus capiti 2. art. 1. serm. 34., in cujus probatione primo adspectu videtur ipsum pro contraria pugnare sententia. Sed reipsa S. Bernardinus cum Authore sentit: quoniam declarans signa, ex quibus deprehenditur in hisce contractibus inesse fraudem, hæc habet -- *Pro tertio signo dici potest quod, si iste emit tantum minus, quantum vere est interesse suum communiter æstimandum, sive timendum ne illi debitor solvat, aut quantus est futurus labor rehabendi, non est usura; aliter sic*.

Perbelle rem hanc exposuit Astesanus noster in sua Summa lib. 3. tit. 8. de undecimo, scribens -- Esto quod aliquis habeat centum libras in banco alicujus recipiendas usque ad quatuor menses: nunquid liceret alicui emere illas centum pro 80.? Ad hoc dicunt multi, quod sic; quia non emitur pecunia, sed jus. Jus autem centum librarum minus valet quam centum libræ: tutius est enim pignori incumbere quam in personam agere, & similiter rem habere, quam jus pro re, Institut. *de obligationibus quæ ex delicto nascuntur* §. *Furti:* & ideo minori pretio potest emi. Alii dicunt, quibus assentiebat Alexander Lombardus ubi supra, propositum casum esse dubium: & hoc ideo quia emens plus & minus dat secundum quod plus & minus solutionem expectat: ita quod lucrum ibi provenire videtur propter dilationem temporis, & minoritas pretii propter anticipationem solutionis. Lucrum autem, quod provenit ratione temporis, non est licitum Extra *de usuris in Civitate*, & cap. *Naviganti*. Ca-

vendus

vendus est ergo contractus ille ex eo maxime, quia videtur fieri in fraudem usurarum, & videtur esse indirectum mutuum, ut quasi quis mutuet in præsenti 80. scilicet pro 20. postea recipiendis ultra sortem. Ad rationem de jure dicendum, quod si pecunia, vel res alia recipienda in periculo esset in manu alicujus, a quo sine sumptu & labore recuperari non posset, tunc minus dare, & recipere plus liceret; quia res, quæ est in periculo, cæteris paribus minus valet, quam quæ est extra periculum. Secus est autem in proposito, quia pecunia in banco non est probabiliter in periculo; aliter homines merces vendentes non essent contenti expectare ibi fiendas sibi solutiones --. Hactenus ille.

En legem *Per diversas* hic primo citatam -- *Per diversas interpellationes ad nos factas compertmus quosdam alienis rebus, fortunisque inhiantes, cessiones aliis competentium actionum in semet exponi properare: hocque modo diversis personas litigatorum vexationibus affiecre .... Per hanc itaque legem jubemus inposterum hujusmodi conamen inhiberi .... Ita tamen ut si quis datis pecuniis hujusmodi subierit cessionem, usque ad ipsam tantummodo solutarum pecuniarum quantitatem, & usurarum, ejus actiones exercere permittatur.*

En legem secundo laudatam -- *Ab Anastasio divæ memoriæ Principe justissima Constitutio conscripta est tam humanitatis quam benevolentiæ plena: ut ne quis alienum subeat debitum cessione in eum facta, & ne amplius a debitore consequatur his, quæ præstitit cessionis auctori, exceptis quibusdam casibus, qui specialiter illa sanctione continentur. Sed cum hi, qui circa lites morantur, eandem piam dispositionem in sua natura remanere minime concesserint, invenientes machinationem, ut partem quidem debiti venditionis titulo transferant in alium creditorem, reliquam autem partem per coloratam cedant donationem: generaliter Anastasianæ Constitutioni subvenientes sancimus, nulli licere partem quidem debiti cedere pecuniis acceptis, & venditione actionum habita, partem autem donationis titulo videri transferre .... Si quis autem occulte aliud agere conatur .... hujusmodi machinationem penitus amputamus, ut nihil amplius accipiat, quam ipse vero contractu reipsa persolvit.*

TERTIUM DUBIUM. Utrum qui emit reditus alicujus Civitatis bello vexatæ pro vili pretio, & facta pace lucraretur decem pro uno, teneatur ad restitutionem?

Respondeo, quod non, ratione periculi, aut dubii L. *Cum hæreditatem*, & L. seq. ff. *de hæreditate vel actione vendita*, secundum Hostiensem, & Archidiaconum. Consulendum tamen est ei, ut faciat largas eleemosynas.

(4) Idem

(4) Idem habet S. Bernardinus loco proxime laudato cap. 2. in fine -- Lex *Cum hæreditatem* est hujusmodi -- *Cum hæreditatem aliquis vendidit, esse debet hæreditas, ut sit emptio nec enim alea emitur, ut in venatione, & similibus, sed res; quæ si non est, non contrahitur emptio, & ideo pretium condicetur.*

Hoc in casu æqua est sors ementis & vendentis, æquale periculum. Lucratus quidem est emptor, ut supponitur. Sed etiam poterat amittere totum, vel bello perdurante, vel debitoribus Urbis per hostes ad inopiam redactis, vel ipsius prædiis ab hostibus eo usque devastatis, ut per aliquot annos infœcunda penitus redderentur. Putarem nihilominus, quod, si reditus hujusmodi emisset non ad quosdam determinatos annos, sed ad longum tempus, tunc non esset amplius ludus sortis, nec æquale periculum: quia, quum bella ut in pluribus non sint valde diuturna, & damna a bello prædiis illata aliquorum annorum spatio reparentur, emens esset moraliter certus consequendi lucrum immoderatum, & longe excedens interesse capitalis ab ipso soluti.

QUARTUM DUBIUM. Utrum liceat exigere pretium alicujus rei, quæ minus valet quando venditur, secundum quod valebit tempore solutionis?

Respondeo distinguendo secundum Scotum in 4. Pone quod festum S. Joannis Baptistæ sit A. & festum Nativitatis Domini sit B.: dico quod si iste vendens frumentum vel pellicea tradat ea in A., aut erat tunc venditurus, aut non, sed expectare volebat in B.. Si erat venditurus in A., aut determinat pretium, quod valebat in A., & expectat solutionem usque B., & sic misericordiam facit: aut statuit majus pretium quam valebat in A., & tunc est usurarius, quia vendit tempus, sicut habetur in Cap. *Consuluit* Extra *de Usuris*. Si autem non erat venditurus in A., sed in B., quando melius valet: aut posuit pretium, aut non. Si posuit pretium, & justum, secundum quod res valet in præsenti, scilicet in A., misericordiam fecit. Si autem non posuit pretium, quod valet in A., sed vendidit plusquam valet in A., non tantum tamen quin quantum plus quantum minus res verisimiliter tempore solutionis, scilicet in B., vendi non possit, tunc licet per Cap. *Naviganti*, & per Cap. *Consuluit* Extra *de Usuris*. Nec obstat Cap. *In Civitate* ibidem, quia est monitio utilitatis, non præceptum necessitatis.

(5) Eum,

(5) Eum, qui jam in animo propofuerat fuo rem vendere tempore contractus, non poffe quicquam augere fupra juftum pretium illius temporis, quamvis rem vendat pecunia credita, res eft definita ab Urbano III. cap. *Confuluit* ab Authore laudato. Et quidem jure optimo, quoniam nullus alius in hac venditione proferri poteft titulus, nifi temporis expectatio, & propter hanc fi carius jufto quis vendit, is certe vendit tempus, quod fine ufura vendi non poteft. Ad rem icciroo S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. -- *Dicendum, quod fi aliquis carius velit vendere res fuas quam fit juftum pretium, ut de pecunia folvenda emptorem expectet, manifefte ufura committitur: quia hujufmodi expectatio pretii folvendi habet rationem mutui. Unde quidquid ultra juftum pretium pro hujufmodi expectatione exigitur, eft quafi pretium mutui, quod pertinet ad rationem ufuræ* --. Idem omnino fentiunt Scotus in 4. dift. 15. q. 2., ubi de fecundo articulo, & S. Bernardinus ibidem cap. 3.

Eum autem qui determinaverat merces confervare ufque ad aliud tempus præfinitum, poffe in cafu aliquid augere fupra juftum pretium, dummodo augmentum hocce plus minufve refpondeat tempori, in quo erat venditurus, & hoc definitum habemus a Greg. IX. cap. *Naviganti* in hæc verba -- *Ratione hujus dubii* (fcilicet quod res plus minufve fit valitura tempore folutionis) *etiam excufatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eifdem, fi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus* --. Hic tamen venditor, qui emptore efflagitante vendit rem, puta triticum, pluris quam nunc valet, fi nullum determinat pretium, fed illud unice præftituit, quo verifimiliter erit valiturum eo tempore, in quod ejus venditionem differre decrevit, ut immunis fit a peccato, illa tria is debet implere, quæ obfervata funt a Navarro in fuo Manuali cap. 17. num. 239. -- *Primum, ne fummum, quo illo menfe valiturum eft, pretium accipiat, fed medium. Ita quod fi in una parte ejus valuit decem, & in alia quindecim, & in alia viginti, nonnifi quindecim capiat juxta Alex. in L. QUOD TE ff. SI CERTUM PETATUR. Secundum, ut de pretio deducat tantum, quantum fervando diminutum fuiffet juxta expertorum judicium. Tertium, ut deducat impenfas, quas in fervando in illud ufque tempus facturus erat.*

Caput *In Civitate* ita loquitur -- *In Civitate tua dicis fæpe contingere, quod cum quidam piper, aut cinnamomum, feu alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valent, promittant fe illis, a quibus illas merces accipiunt, fex libras ftatuto tempore foluturos. Licet autem contractus hujufmodi ex tali forma non poffit cenferi nomine ufurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nifi dubium fit merces illas plus minufve folutionis tempore valituras: & ideo cives tui faluti fuæ bene confulerent, fi a tali contractu ceffarent, cum cogitationes hominum omnipotenti*

Deo

Deo nequeant occultari --. Si quis hoc audito dubitet, an cum veritate dixerit Author caput istud, quod est Alex. III., monitum utilitatis continere, non præceptum necessitatis: Is advertat oportet Summum Pontificem in hoc capite quatuor adserere. Primum est, quod contractus, de quibus sermo, ex vi contractus non sunt usurarii, quia non unum semper est pretium mercium, & forte minus valebunt quo tempore sunt solvendæ. Secundum est, peccare sic operantes. Intellige, si hoc agant unice propter finem lucri, non vero ut seipsos servent indemnes. Tertium est, peccati reos non fieri, si dubium sit merces illas solutionis tempore plus minusve esse valituras. Quartum demum, consulendos esse illos mercatores, ut se abstineant ab hujusmodi contractibus, quia hi homines plerumque feruntur in lucrum, & cogitationes eorum intuetur Deus. Hoc ultimum respicit Author in præsenti, quum de venditore loquatur, qui pretium quidem majus exigit, sed tamen respondens illi, quo plus minusve res erit valitura tempore solutionis. Jure igitur dicit, præsentem casum quod spectat, Caput illud consilium exhibere, non præceptum. Cum omni iccirco veritate Joannes Pontas ver. *Usura* casu 17. responsioni suæ finem imponit scribens -- *Ex quibus sequitur mihi prorsus licere absque ne minima quidem usuræ nota commodare Joanni mense vel Martii, vel Aprilis modium unum frumenti ea conditione, ut mihi sit ille redditurus modium unum cum altero unius modii frumenti dimidio mense vel Augusti vel Septembris: modo certo constet, aut ad verum saltem propius accedat futurum, ut modius ille cum dimidio alterius modii non excedat mense Augusti vel Septembris pretium modii, quem a me mutuum accipit mense Martii, vel Aprilis. Quoniam alioquin mihi damnum evidens emergeret, si mihi referretur unicus tantummodo modius, qui tunc temporis pretio viliori foret ipso modio, quem ei commodavissem.*

Si tamen ita determinat pretium, quod ponat se in lucro tuto ut in pluribus: puta paciscendo, ut mihi solvas tantum, quantum valebunt, carius hinc ad octo menses, nullum assignans tempus determinatum, usura est. Quia ponit se in tuto ut in pluribus, & illum, cum quo contrahit, in periculo damni ut in pluribus: & pro se habet id, quod evenit in pluribus, & contra se id, quod evenit in paucioribus. Item quia oportet rem in aliquo determinato tempore vendere, & non in tempore vago. Cum his concordant Alexander de Alexandria, Hostiensis, Joannes Andreæ, atque Archidiaconus in Cap. *Usura* 14. q. 3.

(6) Egre-

(6) Egregia sunt quæ super hoc casu scripsit Scotus nuper laudatus -- *Est etiam ibi alia injustitia, quia aliquo die determinato oporteret eum exponere rem suam venditioni, & non in tempore particulari vago: & in illo contingeret, quod minus care venderetur, quam in die carissimo inter A. & B.: & per consequens in tali pacto facit se certum de lucro ultraquam humana industria pertingere posset* -- . Eadem habet S. Bernardinus ibi, videlicet serm. 34. art. 1. cap. 3. Eadem Astesanus lib. 3. tit. 11. ubi de quarto. Opportune iccirco Merbesius super sexta decisione Concilii Mediol. primi -- Secundo colligitur eum, qui vendit frumentum, aut simile quid pretio indefinito, & indeterminato, & ob dilatam solutionem in aliud tempus vendit maximo, quo valiturum est toto tempore ad solutionis usque terminum intercursuro, iniquissime agere, usuræ crimen admittere, & ad excessus restitutionem teneri: quippe qui contra justitiam proximum damno afficiat. Ita Hostiensis in Summa *de usura* §. *Aliquando* vers. *Quid ergo*, Laurentius a Rodulphis in cap. *Consuluit*. 2. par. q. 29., & seq., Gabriel in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. in litt. H, Sylvester in ver. *Usura secundo* q. 5, & alii. Hæc ille.

Hujusmodi contractus non ex eo condemnatur, quod venditor rem suam carius vendat, quam valeat tempore contractus; id enim licitum esse diximus cum Gregorio IX. textu expresso in cap. *Naviganti:* sed ex eo quod tempus pretii vagum est, & non præfinitum, fere semper venditori propitium, & pene nunquam emptori. Tempus hoc præfiniat venditor, qui, ut supponitur, non erat venditurus tempore contractus: puta dicendo, solves mihi pretium illud, quo res valebit ultima hebdomada Maji, & prima Junii. Contractus tunc erit licitus, ut communiter Doctores inferunt ex laudato cap. *Naviganti*, & videre poteris apud Lucium Ferraris verb. *Emptio* art. 3. num. 49. & seq.. Duo tamen in hoc casu scias oportet cum eodem Lucio, quæ in idem recidunt cum tribus a Navarro observatis. Primum, quod, si contingat pretium ultimæ hebdomadæ Maji diversum esse a pretio primæ hebdomadæ Junii, tunc sumi debet pretium medium: videlicet si pretium unius hebdomadæ erat 80., & alterius 70., solvendum erit pretium 75., quod est medium inter duo pretia diversa. Secundum, quod ab hoc pretio deduci debent expensæ necessariæ, quas facturus erat venditor in servando triticum, aliasve merces usque ad tempus ab ipso præfinitum pro venditione. Perbelle iccirco Caballutius Juris Canon. Theor. & praxi lib. 6. cap. 9. num. 13. -- *Oportet ut expensas deducat, quas facturus idem venditor fuerat ad servandum merces suas usque ad præfinitum diem: ut est pretium conductionis horreorum, Apothecarum, Cellariorum .... Præterea æstimationem computet diminutionis, deteriorationis, & periculi harum mercium in id tempus reservandarum. Cum enim venditor, aut creditor fiat ab his omni-*

bus expensis, & damnis immunis, ex quo res istas vendidit, aut mutuavit: si ista non computaret, plus exigeret, quam sibi ex justitia deberetur, & ultra suam indemnitatem in illa anticipata pretii, aut mutui taxatione.

Si petas abs me, qua ratione id liceat, dum ex pacto pretium alligatur tempori determinato, non liceat autem, dum alligatur tempori vago, quum in utroque casu venditor melioris sit conditionis quam emptor, quia ut in pluribus etiam in illo determinato tempore merx carius venditur, quam tempore contractus? Discrimen est apertissimum, quoniam, præterquamquod non raro contingit, quod illo determinato tempore merx vilius vendatur, quam tempore contractus, majus pretium in primo casu respondet justæ venditoris œconomiæ non vendendi tempore contractus, sed alio tempore præfinito: nec fit emptori injuria cogendo ipsum ad solvendum mihi pretium illud, quod recepissem tempore a me præfinito pro venditione, si, ut ipsi indulgerem, eidem mercem antea non vendidissem, nec dedissem mutuo. Secus tamen est in secundo casu; nam in eo majus pretium unice respondet injustæ lucrandi cupidini, quam haberet venditor contra communem proborum hominum consuetudinem, qui, quum scire non possint futurum soli Deo notum, aliquod præfinitum tempus ad vendendum sibi ipsis debent constituere. Gravis insuper emptori irrogatur injuria, quia cogitur hic ad solvendum certo pretium carius, quod nec humana mens, nec humana industria prævidere potest. Brevioribus nunc. In primo casu majus pretium exigitur, ut venditor servetur indemnis: in secundo autem, ut fere semper sit de lucro certissimus. In primo casu lucrum est duntaxat probabile: in secundo autem pene semper est certo certius.

Pro venditore primi casus juvat adjicere quod docet Pontas ver. *Venditio* casu 36. *Idem Cabassutius cum judicio observat, ut ab omni peccato immunis sit is, qui frumentum servat, ut carius vendat inopia ingruente: oportere ipsi licitum esse: idest hoc frumentum e fundo suo, aut proprio reditu nasci, non vero habere ex emptione, aut coactione aperta, qua eo fervet animo, ut longe carius vendat indigentia crescente. Ratio est, quia hujusmodi coactiones tritici inopiam introducere solent in injuriam magnam miseri vulgi. Quapropter etiam maledictionem Dei interminatur Sapiens Prov. 11. v. 26. eam inducentibus hac via-- Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium--.* Qui horrea emptionibus congregant, & hi etiam, qui copiosissima habent horrea ex prædiis propriis, vendant communi pretio quolibet mense, qualibet hebdomada, qualibet die, si ementium indigentia id expostulet, & divinis benedictionibus replebuntur. Secus agentes vix aut ne vix quidem immunes erunt a peccato, eoque gravi.

QUIN-

QUINTUM DUBIUM. Utrum emens minus in herba propter temporis præventionem, verbi gratia frumentum in herba pro quinque, quod tempore meſſis valebit octo, ſit uſurarius?

Reſpondeo ſecundum Baldum in Rubrica C. de uſuris q. 3., quod aut præſens numeratio eſt cauſa damni ipſius vendentis, & tunc eſt uſurarius per Cap. *In Civitate* Extra *de uſuris* aut ſola conventio eſt cauſa damni, quia de præſenti non ſolvitur pretium, & ſic illicitus eſt contractus, licet non uſurarius. Aut neutrum eſt cauſa damni, quia non plus valet frumentum tempore contractus, & tunc non eſt uſurarius ff. *de contrahenda emptione* L. *Fiſtulas* §. *Frumenta*, *&* L. *Si debitor* §. *Veriſimile*, *&* ff. *de verborum obligationibus* L. *Inter ſtipulantem* §. *ſacram*. Et ſic intelligenda eſt Regula, quæ dicit, quod *licet propter tempus rem plus vendere*, *&* *minus emere quam tunc valeat: quando ſcilicet non ex malitia contrahentium*, *ſed ex propria natura contractus id procedit*, ſicuti declaratum eſt in dubio quarto immediate præcedenti.

(7) Hæ ſunt leges ab Authore productæ -- *Veriſimile eſt eum, qui fructum olivæ pendentis vendidiſſet, & ſtipulatus eſt decem pondo olei, quod natum eſſet, pretium conſtituiſſe ex eo, quod natum eſſet, uſque ad decem pondo olei. Idcirco ſolis quinque collectis, non amplius emptor petere poteſt quam quinque pondo olei, quæ collecta eſſent, a pleriſque reſponſum eſt.*

Frumenta, quæ in herbis erant, cum vendidiſſes, dixiſti te, ſi quid vi aut tempeſtate factum eſſet, præſtaturum, ea frumenta nives corrupuerunt: Si immoderatæ fuerunt, & contra conſuetudinem tempeſtatis, agi tecum ex empto poterit.

Sacram.... Si ſtipulatus fuero ex fundo centum amphoras vini, expectare debeam, donec naſcatur; & ſi natum ſine culpa promiſſoris conſumptum ſit, rurſus expectare debeam, donec iterum naſcatur, & dari poſſit: & per has vices aut ceſſaturam, aut valituram ſtipulationem.

Hic contractus, de quo ſermo, abſolute inſpectus uſurarius dicitur a S. Bernardino loco nuper laudato -- *Dicendum, quod talis uſurarius eſt, ut patet in Cap. IN CIVITATE* Extra *DE USURIS* --, quia reducitur ad mutuum implicitum, & propter ſolam anticipationem ſolutionis pretium ſolvitur minus juſto. Docte nihilominus Author cum eodem Sancto ibidem diſtinguit: quoniam ſi præſens pecuniæ numeratio damnum infert venditori, evidens eſt ob ſolam ſolutionis anticipationem imminui juſtum

ſtum pretium, quod ſine uſura non poteſt fieri. Si unice propter contractus anticipationem venditor damnum patitur, nullam interim utilitatem ſentiens ex pretio ut ſupponitur juſto, quod tunc non ſolvitur, ſuſpicandum vehementer eſt emptorem ſpe majoris lucri ipſum induxiſſe ad conveniendum quaſi nolentem, quod non licet. Si autem venditori ex nullo capite fit injuria, quia libere convenit, & pretium ex communi hominum æſtimatione, atque arbitrio boni viri reſpondet frumento in herba adhuc exiſtenti, contractus nec uſurarius eſt, nec illicitus; nullo enim jure vetatur, ſicuti oſtendunt leges ab Authore productæ.

Regula, de qua hic ſermo, ſunt verba ipſa, quibus S. Bernardinus inſcribit memoratum Caput tertium; ad cujus declarationem loquens de illo, qui firmiter propoſuerat ſervare vinum, vel triticum uſque ad aliud determinatum tempus, in quo ut in pluribus magis valet, & ab altero rogatus ipſum vendit, hæc habet -- *Poteſt idem pretium exigere, quod in hora præſtationis, vel venditionis probabiliter creditur affuturum in illo tempore magis caro: ſic tamen quod aliquem certum diem illius temporis determinate præfigat, quia ipſe non erat illud venditurus, niſi in aliquo uno die. Etenim ſi ipſe de uno menſe, vel hebdomada poſſet ex poſt facto ſibi eligere diem, in quo plus valuiſſet, nimis pinguis fieret ſors illius: alias taxandum erit pretium ſecundum quod diutius, & communius valuit in menſe illo, aut pretio medioeri inter carius, & minus carum illius menſis. Hoc autem modo proprie loquendo non propter tempus accipitur illud plus, ſed propter naturam rei, quæ plus valet uno tempore quam alio. Cauſa autem, quare ſub tali pretio poteſt vendere illud, vel commutare, duplex eſt. Prima, quia is, cui præſtat, vel vendit, tenetur ſibi ad probabile æquivalens, ſeu ad præſervandum eum a damno probabilis lucri. Secunda eſt, quia illud, quod in firmo propoſito Domini ſui eſt ordinatum ad aliquod probabile lucrum, non ſolum habet rationem ſimplicis pecuniæ, ſive rei, ſed etiam ultra hoc quandam ſeminalem rationem lucroſi, quam communiter capitale vocamus. Ideo non ſolum reddi debet ſimplex valor ipſius, ſed etiam valor ſuperadjunctus.*

SEXTUM DUBIUM. Utrum emens rem pro minori pretio quam valeat tempore emptionis, recipiendo tamen eam in tempore in quo veriſimiliter poteſt vel plus vel minus valere, ſit uſurarius? Puta emens frumentum de menſe maji tribus florenis, cum tunc valeat quatuor, recepturus tamen illud menſe Auguſti, quo veriſimiliter ſic valet vel plus vel minus.

Reſpondeo, quod non, Cap. *Naviganti* Extra *de uſuris*.

(8) Hoc

(8) Hæc idem responsum lego penes Joannem Pontas verb. *Usura* casu 20. in hæc verba -- *Potuit namque sine vel levissima quidem usuræ suspicione emere mense Maji modium frumenti pretio librarum* 120., *quanquam communis ipsius æstimatio tunc temporis foret pretio* 140. : *quoniam illum non emebat, nisi ut sibi traderetur mense Octobris, quo tempore non valet communiter nisi pretium, quod de eo solvit. Atque hoc ipsum docet Cardinalis Cajetanus* (*in Summa ver. EMERE num.* 8.) *qui sermonem faciens de emptione rei alicujus, cujus anticipatur solutio, sic habet -- in hujusmodi emptione spectatur ad æstimatum pretium tempore assignationis frumenti: & propterea, si verisimiliter creditur frumentum valiturum mense Junio decem, vel circa, licet tunc valeat quindecim, licite ego ex nunc emo pro mense Junii decem, ut patet ex cap. NAVIGANTI DE USURIS. Nec obstat quod in Augusto creditur valiturum duodecim aut quindecim, quoniam emptor non emit pro Augusto, sed pro Junio.*

Casus est expressus in laudato capite *Naviganti* Extra *de usuris* -- . *Ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari* -- . Docte igitur Glossa super eodem -- *Ergo si certum esset, quod tempore solutionis plus valerent, usurarius est censendus .... & ita propter dubium excusatur: quia tam emptor quam venditor æqualiter commodum, & incommodum ex dilatione expectat.*

SEPTIMUM DUBIUM. Utrum qui vendendo concedit terminum, ut trahat emptores ad suam apothecam: vel dat mutuum, ut mutuatarii vadant ad suum molendinum, scholas, & similia, sit usurarius?

Respondeo, quod sic secundum Joannem Calderinum in Cap. finali Extra *de usuris*, & Joannem Andreæ in Mercu. super Regula *peccatum* circa finem, & Laurentium de Redulphis Florentinum q. 38. secundæ partis suorum contractuum. Intelligunt tamen prædicta non de mercede, quam recipiunt pro labore vel rebus suis, quia etiam alteri daretur: sed de utilitate, quam habet aliquis plus, quia scilicet habet majorem concursum, & per consequens est majoris famæ, quam æstimari posset; & ideo tantum tenetur restituere, quantum æstimandum est illud commodum, seu honor, quod non habuisset si non ivissent, & non ivissent forte, si mutuo non dedisset:

distet: sed pauperibus erogandum est, si nullum damnum sunt consecuti illi, quibus mutuum dedit. Alii autem volunt, quod non sit usurarius, si emptores non incurrunt damnum nec ratione mercis, nec ratione laboris: & hanc opinionem videtur hic tenere S. Bernardinus. Alii vero affirmant, quod semper sit usura propter libertatem, quam talibus auferunt, quæ pretio æstimanda est. Et ideo tantum debent restituere quantum æstimatur libertas illa.

(9) Super hac re, ut patet ex textu, Doctores in varias scinduntur opinationes. Pro affirmativa sententia, quod nempe sit contractus usurarius, pugnat cum aliis compluribus Joannes Pontas ver. *Usura* casu 9. inter alia proferens verba S. Antonini part. 2. Summæ Theolog. tit. 1. cap. 7. §. 8. scribentis -- *Si quis mutuat alteri ea intentione vel pacto, ut vadat ad molendinum suum, vel furnum, vel ad apothecam suam ad emendum, vel intret scholas sub eo, & hujusmodi, alias non mutuaturus, usuram committit, etiamsi non majori pretio sibi vendit propter hoc, seu plus ab eo quam ab aliis petit. Ratio est, quia commoditatem, seu utilitatem inde recipit, quæ pretio æstimari potest* -- Author ex adverso & hic, & in Angelica ver. *Usura primo* num. 2. 3. & 5. totus est, ut ostendat hujusmodi contractus ab omni esse usura liberos: quem sequitur Jacobus Ungarellus in annotationibus super eadem Angelica: ambo proferentes & Doctores, & rationes, & jura. Cui palma concedenda sit, aliorum esto judicium. Ut reor, solutio difficultatis pendet ex hoc: an ea in casu enarrata, & similia mensurentur pecunia nec ne, omnes enim conveniunt cum D. Thoma 2. 2. q. 78. art. 2., & in probatione conclusionis, & in responsione ad tertium, ea, quæ sic non mensurantur, posse sine usura & sperari, & exigi. En verba S. Doctoris -- *Si vero accipiat aliquid hujusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam, antequam pecuniam mutuasset licite poterat aliquod donum gratis accipere: nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit. Recompensationem vero eorum, quæ pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam, & amorem ejus, cui mutuatur, vel aliquid hujusmodi* --. *Si vero munus ab obsequio vel a lingua, non quasi ex obligatione rei exhibeatur, sed ex benevolentia, quæ sub æstimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare* --. Quid sit pecunia mensurari, exponit S. Doctor ibidem inquiens -- *Omne illud pro pecunia habetur, cujus pretium potest pecunia mensurari* --, Et Ungarellus in prædictis annotationibus scribens -- *Quia amor & benevolentia pecu-*

nia

nia mensurari non potest. Quodcumque autem sorti prædictæ accedit, est usura, scilicet quod æstimari potest pecunia, & illa res dicitur pecunia, quæ sit æstimabilis pecunia secundum Philosophum in 4. Ethic.

De Doctore mutuum dante hac conditione apposita, ut mutuatarii scholam suam frequentent, hæc habet Ungarellus ibidem -- *Si enim subtiliter consideratur, Doctor mutuans hoc modo, non ex mutuo simpliciter efficitur famosus, sed ex Doctrina: Et hæc est intentio Authoris hic, cum dicit, si alias ita bene satisfacit eis. Talis Doctor tamen peccare posset propter famam, quam indebite appetit: & maxime si hoc in præjudicium alterius Doctoris redundat secundum Salycetum in Authentica AD HÆC §. DE USURIS q. 13. in fine; sed quod sit usurarius dicit, se hoc percipere non posse.*

Sed salvo meliori judicio mihi videtur, quod ista libertas pro nihilo æstimanda sit quantum ad restitutionem, cum ex ejus ademptione nullum damnum est secutum, in cujus recompensationem restitutio sit facienda Extra *de injuriis & damno dato* Cap. finali. Puto etiam quod, si mutuum accipiens non damnificaretur, nec posset damnificari, non committeretur usura: cum etiam pro mutuo possint aliqua exigi, seu recipi, quæ non mensurantur pecunia, ut patet ex Thoma 2. 2. q. 78. art. 2. Ideo in hoc casu, & simili, cum quod accipitur non mensuratur pecunia, nisi secundum quod prima opinio dicit, ut sit majoris famæ vel concursus: nec ex parte mutuum accipientis, cum in nullo damnificetur: nec ex parte mutuatoris, cum nihil plus recipiat quam quod ex locatione operarum suarum mercatur: non erit usura. Et multo minus, si alter mutuum accipiat tenendo mutuum quousque ad molendinum veniat, & hujusmodi, & ex hoc non damnificatur: quia mutuator potest tempus sui mutui limitare L. *Vinum* ff. *si certum petatur*. Aliter quasi omnis multitudo esset usuraria, cum fundi non possint hodie sine mutuo locari colonis: immo in hoc casu videtur potius gravari conditio mutuatoris quam recipientis, si res inspiciatur diligenter.

Et hæc sufficiant de secundo Articulo.

(10) De domino mutuum dante colonis appoſita conditione, de qua in caſu, ſcribit ibi idem Ungarellus -- *Idem dicit Joannes de Anania in dicto capitulo finali. Nec obſtat, ſi dicatur, quod dominus intendat ſibi præſtari operas per colonum ratione mutui, & colonus eadem ratione, ſcilicet mutui, operas exhibet, alias non exhibiturus: Et ſic propter mutuum dominus lucrum percipere videtur, & colonus damnum. Quia reſpondetur quod, licet ſic mutuanti exhibeantur operæ a colono, illæ tamen non ſunt ei lucro, cum illas juſto pretio, vel fructibus emat, & probatur per ſimile. Pone, quod dominus conducat colonum ad certum tempus pro certo pretio, & pretium tradat antequam colonus incipiat ipſi domino operari: poſtmodum colonus non velit operari, niſi dominus mutuet ſibi certam pecuniæ ſummam: dominus autem mutuaturus erit ne uſurarius, ſi colonus exhibet operas? Certe non, quia nihil recipit dominus, immo magis gravatur, ut manifeſte patet. Confirmatur, quia ſi diceremus illum dominum uſurarium eſſe. Ergo eſſet ei neceſſe reſtituere. Ergo ipſi colono: & ſic colonus haberet duplicatum juſtum pretium, & dominus bis ſolveret juſtum pretium, quod inconveniens facit quod dicetur infra §. 24. Si ergo non vis operari quæ debes: ſi mutuo tibi ut operas exhibeas, nihil aliud eſt quam redemptio vexationis meæ juxta cap. Dilectus de Simonia. Adde quæ notat Baldus in L. Rogaſti § ſi tibi ff. ſi certum petatur, quod ſi in poſſeſſione mea non invenio laboratorem, niſi mutuem ei centum; ſi mutuo, ut operetur, non ſum uſurarius: quoniam ad illas operas tenetur ex contractu locationis, non autem ex mutuo; unde ipſe non præſtat mihi lucrum, ſed verum exhibet debitum. Arguitur L. Fundi partem ff. de contrahenda emptione.*

Dum audis citatum hunc Titulum Digeſtorum -- *Si certum petatur* --, ſcias oportet, quod hæc tria olim in tres Titulos erant diſtributa, videlicet -- *De rebus creditis* -- *Si certum petatur* -- *De condictione* --: & in Corpore Juris civilis, quo utor, typis edito Coloniæ Munatianæ anno 1748., cui reſpondet Corpus ejuſdem Juris, quod nunc imprimitur Taurini, & alibi, iidem hi tres Tituli in unum reperiuntur, & omnes Leges ipſis reſpondentes citantur ſub uno primo Titulo -- *De rebus creditis*. Offendens igitur in Veteribus citatam hanc vel alteram legem ff. *Si certum petatur*, conſule Titulum -- *De rebus creditis*, & invenies quod inquiris. Hæc ſemel adnotata ſufficiant, quia & aliis vicibus audies Authorem more Veterum citantem ff. *Si certum petatur*.

Accipe nunc legem hic laudatam -- *Vinum, quod mutuum datum erat, per Judicem petitum eſt, quæſitum eſt, cujus temporis æſtimatio fieret: Utrum cum datum eſſet, an cum litem conteſtatus fuiſſet, an cum res judicaretur? Sabinus reſpondit, ſi dictum eſſet quo tempore redderetur, quanti tunc fuiſſet: ſi non, quanti tunc cum petitum eſſet. Interrogavi, cujus loci pretium ſequi oporteat? Reſpondit, ſi convenıſſet, ut certo*

loco

loco redderetur, quanti eo loco esset: si dictum non esset, quanti ubi esset petitum.

Accipe demum Caput finale Extra *de injuriis & damno dato*, cujus etiam meminit Author -- *Si culpa tua datum est damnum; vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt: jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.... Sane licet, qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse: secus est tamen in illo dicendum, qui, ut non accideret, de contingentibus nil omisit* --. Nullum porro damnum, nullamque damni occasionem in prædictis casibus proximo præberi supponit, & probat Author.

Daniel tamen Concina lib. 3. de Justitia & Jure differt. 3. cap. 19. num. 10., Ferraris ver. *Usura* num. 44., aliique bene multi tuentur in omnibus casibus, in quibus mutuatario aufertur aliqua libertas, usuram haberi veram, propriamque: quia obligatio civilis faciendi hoc vel illud est pretio æstimabilis, & onus est mutuatario aliunde indebitum contra naturam mutui, quod debet esse omnino gratuitum, ut egregie S. Bernardinus serm. 36. art. 3. cap. 3. -- *Pro gratia mutui impensa non potest juste exigi amplior gratia, aut aliud quam gratia: nam, si ex debito justitiæ gratia exigatur, jam gratia non est gratia, sed potius gratiæ venditio, vel gratiæ commutatio dici debet.*

Idem ineunte sæculo quarto decimo docuerat Astesanus noster in Summa lib 3. tit. 11. de quinto scribens -- *Quid de dominis molendinorum, qui pecuniam pistoribus mutuant, ut in eorum molendinis molant? Respondet Rodonensis, usurarii sunt; accipiunt enim ultra sortem in faciendo, & auferunt debitoribus libertatem molendi ubi voluerint. Si tamen debitores propter hoc non sunt damnificati, non tenentur eis ad restitutionem faciendam, nisi quatenus æstimari debet libertas molendi ubi vellent, pensatis etiam circumstantiis de majori & minori remotione molendinorum, & facilitate & difficultate molendi.*

Idem docet Bonus Merbesius quæst. 8., secundo corollario scribens -- *Septimo usurarius est, qui mutuat pecunias alteri dando, illi imponit onera, ad quæ non obligatur ex jure, v. g. ut se utatur medico, cum vel ipse, vel ejus domestici laborabunt morbo: ut colat agros suos: ut emat ex sua officina: ut sua frumenta non alibi quam sua mola commolantur. Nam ejusmodi obligationes cadunt sub pretium: & ideo ultra sortem mutuatario imponi nequeunt: Tametsi mutuatarius nihil medico præter legitimum honorarium impertiat: tametsi in mutuantis officina non pluris emat quam alibi: tametsi denique in mola mutuantis non major mensura ex ejus frumento capiatur quam alibi caperetur: & ita de cæteris. Si ergo mutuatarius ex ea obligatione sibi imposita aliquod damnum passus fuerit,*

rit, mutuans ad illud resarciendum tenebitur. Sin autem nullum ceperit damnum mutuatarius, mutuans illum ab imposito onere absolvere tenebitur.

Idem demum noſtra hac ætate Theologi pene omnes docent, atque conſtituunt. De domino mutuum dante colonis redibit ſermo inferius.



TER-

TErtius Articulus eſt de emptione redituum prædialium.

Pro cujus fundamento ſciendum eſt ſecundum Alexandrum Lombardum, quod ex quatuor poteſt contractus eſſe vitioſus. Primo ex cauſa materiali, ſcilicet rei, quæ emitur: puta quia non eſt vendibilis, ſicuti ſunt homo liber, ſpiritualia, & hujuſmodi. Secundo ex cauſa efficienti, ſcilicet ex parte contrahentis: puta quando quis fingit emere, quod intendit recipere in pignus, & hujuſmodi, vel aliquam habet intentionem malam. Tertio ex cauſa formali, ſcilicet ex parte pacti oppoſiti rei, quæ tranſigitur: puta quando apponitur pactum, quod non convenit poni, ut in Simonia, & hujuſmodi; vel quando pactum repugnat contractui: puta cum contractus eſt gratuitus, & tale vitium facit eſſe uſuram. Quarto ex cauſa finali, ſcilicet ex parte pretii: puta cum non taxatur juſte.

(1) REm hanc fuſe proſequitur S. Bernardinus Serm. 34. art. 2. cap. 3., quem pro majori declaratione potes conſulere.

Hominem liberum vendi non poſſe, nec emi, textus eſt apertus L. *Si in emptione* §. *Omnium rerum* ff. *De contrahenda emptione* -- *Omnium rerum, quas quis habere, vel poſſidere, vel perſequi poteſt, venditio recte fit: quas vero natura, vel Gentium jus, vel mores Civitatis commercio exuerunt, earum nulla venditio eſt. Liberum hominem ſcientes emere non poſſumus* --. Excipitur caſus, in quo quis viginti annis major conſenſum præbet, textu expreſſo Inſtit. *De Jure perſonarum* §. 4. -- *Servi .... fiunt aut jure gentium, ideſt ex captivitate, aut jure civili, cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum ſe ſe venundari paſſus eſt* --. Excipitur etiam caſus, in quo pater extrema inopia laboraret L. *Si quis* C. *de patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt* -- *Si quis propter nimiam paupertatem, egeſtatemque, victus cauſa filium, filiamve ſanguinolentos vendiderit, venditione in hoc tantummodo caſu valente, emptor obtinendi ejus ſervitii habeat facultatem* --; naturæ ſiquidem conſentaneum vide-

videtur, ut proles ad conservandam vitam patris sinat se libertate privari, quam tamen solvendo pretium redimere postmodum potest, ut subdit eadem Lex -- *Liceat autem ipsi, qui vendidit, vel qui alienatus est, aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere: modo si aut pretium offerat, quod potest valere, aut mancipium pro ejusmodi praestet*.

Spiritualia non posse vendi, tota est quaestio tertia primae Causae, cui concinit Jus Civile L. *Hanc legem* ff. *De contrahenda emptione -- Caeterum si omne religiosum, vel sacrum, vel publicum venierit, nullam esset emptionem*, & L. *Sancimus* C. *De sacrosanctis Ecclesiis -- Sancimus nemini licere sacratissima, atque arcana vasa, vel vestes, caeteraque donaria, quae ad divinam religionem necessaria sunt (cum etiam veteres leges ea, quae juris divini sunt, humanis nexibus non illigari sanxerint) vel ad venditionem, vel hypothecam, vel pignus trahere --*. Excipitur super his causa captivitatis, & famis, quum pro hujusmodi casibus ibi subdatur -- *Tunc & venditionem praefatarum rerum divinarum, & hypothecam, & pignorationes fieri concedimus: quoniam non absurdum est animas hominum quibuscumque vasis, vel vestimentis praeferri*.

His adde ea, quorum usus solum est ad malum L. *Quod saepe* §. *Veneni* ff. *De contrahenda emptione -- Veneni mali quidam putat non contrahi emptionem: quia nec societas, aut mandatum flagitiosae rei ullas vires habet; quae sententia potest sane vera videri de his, quae nullo modo, adjectione alterius materiae, usu nobis esse possunt --*. Adde rem alienam, res pupillorum, & hujus generis alia, quae & ipsa vendi non possunt, nisi in quibusdam casibus per legem expressis.

Hoc posito fundamento quaeruntur tria dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum liceat emere reditus pecuniarios haereditarie, vel ad vitam?

Respondeo, quod sic secundum Alexandrum Lombardum, si quatuor praedictae caussae concurrant.

(2) Videlicet res sit vendibilis, sincere vendatur & ex animo, nihil apponatur repugnans contractui, & justo pretio vendatur. *Regulare siquidem est*, ait S. Bernardinus ibidem, *quod contractus emptionis & venditionis illicitus est, quum in eo juris naturalis aequitas non servatur*.

Et si quis diceret, quod prima causa ibi esse non potest, quia pecunia non est vendibilis, nam quod est medium venditionis non potest esse terminus ejusdem.

Respondeo, quod sicut in rebus nostris tria habemus, mobile,

bile, scilicet, immobile, & jus in utrisque, sic ipsum jus potest vendi quemadmodum mobile & immobile. Non ergo venditur pecunia, sed venditur jus percipiendi ipsos reditus pecuniales. Itaque quamvis pecunia non possit vendi, transit tamen ipsa cum jure vendito: sicuti patet in aliis, quæ non possunt vendi, ut in jure patronatus, quod spirituali annexum est, & tamen transit cum venditione villæ, vel fundi.

(3) Pecunia a pecoribus dicta est 1. q. 3. cap. *Totum -- Ideo autem pecunia vocata est, quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant --*. Nomine pecuniæ sic acceptæ veniunt omnia illa, quæ vendi possunt, quum ibidem scriptum sit -- *Totum, quicquid homines possident in terra, omnia, quorum domini sunt, pecunia vocatur; servus sit, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est, pecunia dicitur --*. Author certe nomine pecuniæ hæc non intelligit, quum omnia ista, & his similia non solum permutari possint, ut fiebat antiquitus L. *Origo* ff. *De contrahenda emptione -- Olim enim non ita erat nummus: neque aliud merx, aliud pretium vocabatur: sed unusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut, quod alteri superest, alteri desit --*: Sed etiam vendi vere & proprie medio nummo, qui consulto inventus est, ut sic occurreretur incommodis, quibus per solas permutationes humana societas erat obnoxia, quemadmodum ibidem scribitur -- *Sed quia non semper, nec facile concurrebat, ut, cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret: eaque materia forma publica percussa usum, dominiumque, non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate: nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur.*

Pecuniæ igitur nomine Author hic intelligit nummum verum, propriumque. Ad rem iccirco dicit pecuniam sic acceptam non posse vendi: quia nummus non parit nummum L. *Nummis* ff. *De in litem jurando -- Nummis depositis, Judicem non oportet in litem jusjurandum deferre, ut juret quisque quod sua interfuit: cum certa sit nummorum æstimatio --*: quia ut apposite 88. dist. cap. *Ejiciens -- Pecunia non ad aliquem usum disposita est, nisi ad emendum.... Ex pecunia reposita nullum usum capis.... Ager vel domus utendo veterascit: pecunia autem, cum fuerit mutata, nec minuitur, nec veterascit --*: quia demum, ut fert commune proloquium, pecunia de se sterilis est, & iners, ex se non fructuaria, sed incapax cujuscumque fructus.

Salvo

Salvo meliori judicio credo, quod iste contractus sit licitus in reditibus jam constitutis, non vero in illis, qui constituentur tempore contractus. Hoc idem tenere videntur Joannes Andreæ, & Hostiensis in Cap. *In Civitate* Extra *De usuris*: & maxime cum quis recipit a Titio centum, vel obligationem de centum, ut ipse se constituat debitorem reditus annualis in majori quantitate quam acceperit. Concordat Petrus de Ancharano in Cap. *Usurarum* lib. *6. De Usuris*.

(4) Non desunt secus opinantes, quos videre potes apud Authorem in Angelica ver. *Usura primo* num. 44., apud Tabienam ver. *Usura* 13., & apud alios. Contendunt hi in hisce casibus reperiri mutuum implicitum, non vero venditionem propriam. Qua tamen invicta ratione ducantur ad id adserendum, sane non video, semel posita Authoris distinctione inter pecuniam, & jus ad eandem: & quod ex consequenti vendi non possit pecunia, possit autem vendi jus ad pecuniam. Æqualitas servetur in hoc contractu venditionis, nec aliquid minuatur de pretio propter solam pecuniæ numeratæ anticipationem: quoniam, quod respicit contractum in seipso consideratum, non video cur injustitiæ, aut usuræ incusari possit: præsertim quum id cedat in commodum venditoris, cui durum esset & grave, si abiens in regiones longinquas, non amplius rediturus, vendere non posset reditus suos in censibus, & salariis pecuniariis constitutos.

In hanc Authoris sententiam concesserat Astesanus lib. 3. tit. 8. de undecimo scribens — Alii vero dicunt, quod non est ibi contractus mutui, sed emptionis, & venditionis. Neque est ibi contractus illicitus ex sua forma: quia ibi non emitur pecunia, sed jus percipiendi talem quantitatem pecuniæ annuatim super bonis ipsius vendentis. Tale autem jus non est pecunia, sed cum jure illo, quod vendi potest, transit pecunia, quæ non potest emi, neque vendi: sicut videmus, quod jus patronatus directe non potest emi, nec vendi, & tamen transit in fundo prædii vel Villæ, quæ emitur: licet alia de causa non possit vendi jus patronatus, quia scilicet est annexum spirituali: & alia de causa pecunia, ut patet ex prædictis. Unde homo potest licite pro centum libris emere unum prædium, & ipsum posset dare alicui hæreditarie, vel ad vitam suam sub tali pacto, scilicet quod ipse & hæredes sui obligarentur in perpetuum, vel ad vitam ejus ad reddendum ei, vel hæredibus ejus certam pecuniæ summam annuatim mediante emptione & venditione prædii ipsius. Ergo cum in conspectu Dei non differat hoc facere mediate, vel immediate, videtur, quod licite possit quis emere jus percipiendi quolibet anno sive

hære-

hæreditarie, five ad vitam pro certa quantitate pecuniæ. Contractus ergo talis non eſt illicitus ex ſua forma --. Hæc ille.

Quod ait Author de reditibus conſtitutis, non vero conſtituendis tempore contractus, id fortaſſis adſeruit, quia, dum conſtituuntur in contractu, præſumuntur ficti, & ſimulati, non autem veri, & reales. De realibus enim etiam in contractu ipſo conſtitutis ipſemet ſcribit in Angelica ver. *Uſura primo* num. 44. -- *Innocentius ibidem limitat in redditibus conſtitutis, non conſtituendis de novo tempore contractus. Sed non eſt ratio diverſitatis, dummodo reditus ſit realiter, in re, non fictitie* --. Et quidem jure optimo, quia, ut videre eſt in annotationibus ad hæc ipſa verba -- *Sicut quis poteſt emere libere totam poſſeſſionem, vel capere in Emphytheuſim, vel emere annuum reditum non conſtitutum ab antiquo: ita licitum eſt de novo conſtituere, & emere ſecundum Panormitanum, & Joannem de Anania in dicto cap. In Civitate* --: quod invicte probatur ex cenſu reali tum pecuniario, tum fructuario, qui de novo conſtitui, & emi, & vendi licite poteſt.

Secundum dubium. Utrum liceat ſine vitio uſuræ emere ad vitam reditus prædiales arcis, caſtri &c. ſive etiam hæreditarie, ſcilicet pro ſe, & ſuis hæredibus?

Reſpondeo, quod ſic ſecundum Alexandrum Lombardum, cum quo concordant Baldus L. *Si ea pactione* C. *De uſuris*, & Cynus. Hugo autem de Caſtronovo dicit, quod duo requiruntur ad hoc ut ſit licitum. Primum, ne emptor hoc faciat propter cupiditatem lucri, ſed propter quietam vitam ducendam. Secundum, ne venditor hoc faciat cauſa lucri, ſed propter neceſſitatem emptoris. Adde tertium ſecundum Alexandrum Lombardum, ſcilicet quod venditor non ſit in arcta neceſſitate, ob quam emptor ex charitate ipſi mutuum dare teneatur; tunc enim ſi emptor accipit de illis reditibus ultra ſortem, quam dedit, uſuram committit; quia interpretative iſta emptio ſuccedit loco mutui.

(5) Ad probandum hujuſmodi contractum eſſe licitum, validiſſima eſt ratio, quam profert S. Bernardinus Serm. 34. art. 2. cap. 1. -- *Nam qui dominus eſt alicujus rei, etiam dominus eſt uſus illius. Manifeſtum eſt enim, quod dominus alicujus rei verus, ſicut rem in alterum ſimpliciter transferre poteſt, ſic etiam transferre poteſt uſumfructum, retenta ſibi proprietate, ſicut patet manifeſte in locatis. Videtur inſuper probari poſſe* ex

ex dominio vero, quod ſicut dominus rei transferre poteſt ſimpliciter dando, vel vendendo eam, vel retinendo proprietatem rei, & transferendo uſum, ſic poteſt dare vel vendere quoad terminatum tempus, ſeu particulare. Ex quo patet, quod licite vendi poſſunt, atque emi reditus ipſi ad vitam ratione dominii veri —. Præ oculis tamen haberi ſemper debet æquitas, & juſta proportio, quemadmodum monet idem S. Doctor ibidem ſubdens — *Debet enim ſervari in tali contractu æquitas naturalis juris, ſcilicet inter ementem, & vendentem, ad hoc quod licitus ſit. Quod tunc fit, ſi pretium, quod datur ab ipſo emente, proportionetur rei datæ ab ipſo vendente. Unde quando eſt in eo exceſſus, qui corrumpat hanc proportionem, ſive ex parte ementis, ſive ex parte vendentis, tunc quidem contractus tanquam illicitus reſcindi poteſt: puta ſi pretium notabiliter excedat rem, vel pretium ejus. Notabiliter dico, quia propter parvum exceſſum pretii ultra rem, vel rei ultra pretium, talis contractus non vitiatur, ſed propter exceſſum notabilem atque clarum.*

Et ſuper hac re non defuere Doctores aliter ſentientes, dum ſermo eſt de emptione reditus ad vitam emptoris. Horum rationes, & confutationem pariter accipe ab ipſo Authore in Angelica loco nuper citato — *Rodonenſis tamen dicit, quod, quando emitur reditus ad vitam emptoris, quod tunc non eſt tutum, ne vendens deſideret mortem emptoris. Et placet mihi ratio, quia pactum, quod inducit votum captandæ mortis, non valet L. FINALI C DE PACTIS, & L. STIPULATIO HOC MODO ff. DE VERBORUM OBLIGATIONIBUS. Et ideo prohibetur promiſſio Præbendæ non vacantis in Cap. 2. DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ lib. 6. Et hoc, quia eſt contra bonos mores. Ideo non debet admitti L. PACTA C. DE PACTIS. Quod tamen non eſt dicendum, quod ſit mortale peccatum vendere, vel emere ad vitam ſecundum ſe, quia hoc non invenitur prohibitum, ſi debitæ ſerventur circumſtantiæ: aliter uſuſfructus nunquam poſſet conſtitui, qui finitur morte §. FINITUR Inſtitut. DE USUFRUCTU.* Egregia eſt ratio, quam lego in annotatione ſuper hunc locum — *Prohibitum eſt in Beneficiis, ut in dicto cap. 2., & cap. NE CAPTANDÆ, DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ in 6.; ſed non in emptionibus, quia ex quo liberaliter quis vendit, non videtur ex hoc, quod debeat mortem ementis deſiderare. Si tamen faceret, ſibi imputandum eſſet* —. Hic non agitur, iterum S. Bernardinus ibidem, de vitio ex parte contrahentis, ſed de vitio contractus in ſe, ſcilicet an ex forma ſua ſit vitioſus vel non. Et dictum eſt ſupra, quod vitioſus non eſt, ſi inter ementem, & vendentem æqualitas ſervetur. Hæc ille. Cæterum contrahentes quod reſpicit, dubio procul cavere debent hi, ne contractum in ſeipſo licitum pravis intentionibus, aut circumſtantiis reddant vitioſum.

Joannes Andreæ, & Hostiensis in dicto Cap. *In Civitate*, qui sic formant hanc quæstionem: an sit licita emptio redituum arcis, castri, vel fundi ad certum tempus, vel incertum: puta pro se, & suis hæredibus? Dicunt quod sic, & quod non sapit usuram, quando tales reditus jam erant constituti ante contractum, ut sunt census, tributum, pensio, & hujusmodi. Secus si tempore contractus nascantur, sive constituantur. Et idem dicunt in emptione Nominis, sive Actionis: & hoc idem tenet Innocentius, qui plene de hoc tractat in prædicto Cap. *In Civitate*. Et ideo addendum pro quarto ad hoc ut contractus sit licitus, quod sint reditus jam constituti.

(*6*) De reditibus tempore contractus constituendis vide quæ adnotavi num. 4. proxime præcedenti. Addo, quod contractus census realis de novo constituendi probatus fuit tanquam licitus a Summis Pontificibus Martino V., Calixto III., & Pio V.: & nostra hac ætate unanimi Ecclesiarum, Monasteriorum, Fidelium, omniumque Nationum usu, & consuetudine firmatur. Plura de censu dicam inferius super tricesimo primo dubio tertii Articuli secundæ Considerationis.

Nomen idem est ac jus debitoris, ut ff. *De re judicata* L. *A Divo Pio*, ubi dicitur, quod primo debent venire, seu vendi mobilia, secundo immobilia, tertio nomina, seu jura debitorum condemnatorum. Singulare est quod legitur §. *Sic quoque*, & seq. -- *Sic quoque Judices exsequentur judicatum, ut nomina jure pignoris accipiant, si nihil aliud sit, quod capi possit; posse enim nomen jure pignoris capi Imperator noster rescripsit. Sed utrum confessum nomen tantum capi possit, an etiam si neget quis se debere, videamus* --. Actio & ipsa hic significat jus ad aliquod, & pro rerum diversitate diversas sortitur denominationes; puta dicitur actio empti, & est jus, quod emptori competit ad consequenda ea, quæ vi contractus a venditore sibi debentur L. *Ex empto* ff. *De actionibus empti, & venditi*: dicitur e converso actio venditi, & est jus venditori competens ad ea habenda, quæ emptor ipsi debet vi contractus L. *Julianus* ff. eod. tit. &c. Nomina & actiones posse vendi textus est expressus L. *Si in emptione* ff. *De contrahenda emptione* -- *Omnium rerum, quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio recte fit*.

Tertium dubium. Utrum qui dant pecuniam Ecclesiis, ut recipiant ab eis certas possessiones tenendas toto tempore vitæ suæ, quæ post mortem ipsorum ad Ecclesias revertun-

tur, pecunia autem apud Ecclesias remanente, committant usuram?

Respondeo secundum Goffredum in tit. *De usuris*, quod illicitus est iste contractus, eo quod homines multum vivere sperant, & credunt se amplius recepturos de fructibus quam dederunt: quia sola intentio facit usuram. Nec tamen per hoc sequitur, quod a simili prædicti duo casus in præcedentibus dubiis positi essent illiciti omni modo: quia, quamvis in contractu mutui sive veri, sive interpretati sola spes lucri faciat usuram, ut in Cap. *Consuluit* Extra *De usuris*, nam ibi speratur aliquid, quod non est de sorte; non tamen sic est in vera venditione, quæ est in duobus casibus prædictis, non autem in isto; & ideo non est similis casus.

(7) Author hìc vel unam exposuit mentem Goffredi, vel, si & ipse tum ejusdem erat sententiæ, hanc immutavit factus senior: quoniam in Angelica ver. *Usura primo* num. 44. sub initio hunc eundem casum proposuit, &, post declaratam Goffredi mentem, propriam aperiens scribit -- *Ego dico, quod quando etiam datur pecunia, quod licet, dummodo servetur aequalitas juris naturalis secundum Ricardum in 2. quolibet. q. 23. art. 2.: quia talis contractus non est contractus mutui veri, vel apparentis, sed potius est contractus innominatus, qui magis assimilatur contractui emptionis, & venditionis* --. Idem docuerat S. Bernardinus ibidem, qui objecto Goffredi respondens inquit -- *Ad hoc dicendum, quod verum est, quod sola spes usurarium facit in contractu mutui veri, seu interpretativi, sicut patet Extra De usuris cap. Consuluit, quia ibi speratur aliquid, quod non est de sorte: sed non sic contingit hìc, ubi vera venditio est*. In emptionibus & venditionibus citra peccatum sperari posse lucrum moderatum, nemo est, qui ire possit inficias: quoniam, ut ad rem cap. *Quid est aliud* dist. 88., *quid est aliud negotium, nisi quæ possint vilius comparari, carius velle distrahere?* & apposite cap. *Forus* Extra *De verborum significatione* -- *Negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucrentur*. Immoderatum lucrum illud est, quod in hisce contractibus improbatur eodem cap. *Quid est aliud* -- *Negotiatores ergo illi abominabiles existimantur, qui justitiam Dei minime considerantes per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur* --: non autem lucrum moderatum, quod jura omnia permittunt, licitumque declarant. Si igitur contractus, de quo ibi sermo, reducitur ad veram venditionem, spes moderati lucri ipsum non efficit usuræ labe infectum.

Æqua-

Æqualitas juris naturalis, seu justitiæ, quam cum Ricardo & S. Bernardino Author necessariam dicit etiam in hisce contractibus venditionis ad vitam, alligata non est determinato cuidam pretio, sicuti alligatæ sunt communes & quotidianæ mercium venditiones -- *Si autem quæratur* (S. Bernardinus ibidem) *quæ æqualitas in hoc contractu servanda sit: dicendum quod tunc æqualitas observatur, quando pretium tantæ quantitatis est, quod, pensata ætate ementis, & sanitate ejusdem, ac periculis circa fructus possessionis, solicitudine, & labore, non apparet quis notabiliter habeat meliorem partem, an scilicet ipse emens, vel vendens --.* Si postmodum contingat, quod uno vel altero anno ab inito contractu moriatur emptor; aut e contra emptor vivat usque ad ultimam canitiem: nihil interest, nec teneretur ad restitutionem, qui in casu lucratus esset ultra quam sperare poterat. Quando contractus fuit initus, æquale erat dubium, æquale periculum emptoris & venditoris; & iccirco si propter vitam vel brevem, vel diuturnam emptoris, quæ non pendet ab homine, res contigit in favorem unius præ alio; totum hoc de sorte fuit: sicuti de sorte esset, si quis emeret equum, & solutis pro eo centum libris equus postridie moreretur in favorem venditoris, & in damnum ementis. *Nescit homo finem suum.* Ecclesiastes 9. v. 12. -- *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est.* Job. 14. v. 5. Non ergo contrahentes ad vitam determinatum quemdam annum præ oculis habere possunt ad justum constituendum venditionis pretium, sed unice, pensata ætate & sanitate ementis, convenire debent de pretio plus minusve juxta prudentem hominum æstimationem. Si postmodum secus accidat, & conditio unius vel alterius melior reddatur, totum hoc de sorte erit, ut dixi, nec ullam in lucrante inducet obligationem in contractu non appositam.

Idem dixerat Astesanus lib. 3. tit. 11. De quinto, ubi, confutata opinione Goffredi, & confirmata sententia Hostiensis aliter sentientis, ita prosequitur -- Quando ergo prædium aliquod, vel aliquid simile, emitur hæreditarie, vel ad vitam ementis, est contractus licitus ex forma sua: quia est contractus veræ emptionis, & venditionis. Et dico ex forma sua: quia posset esse in emente & vendente intentio corrupta. Est inquam licitus, si ibi fuerit tanta æqualitas, quod, compensatis omnibus circumstantiis secundum rectam rationem consideratis, ex omni parte non apparet manifeste quis, scilicet vendens vel emens, habeat in illo contractu partem notabiliter meliorem. Et tunc unus alteri restituere non tenetur, quicquid contingat. Si vero appareat manifeste, quod alter habeat ibi partem notabiliter pejorem, tunc est contractus illicitus: quia ibi corrumpitur æqualitas juris naturalis, quæ servari debet inter ementem & vendentem --. Hæc ille.

Contractus hic, si ut par est expendatur, videtur census vitalitius

fructuarius, qui nec juri naturali, nec Ecclesiastico adversatur, ut infra ostendam loco proxime laudato.

Quum sermo hic sit de rebus, seu possessionibus ad Ecclesiam pertinentibus, scias oportet eas sine Beneplacito Apostolico locari posse duntaxat ad triennium, ut sancivit Paulus II. Extravag. *Ambitiose*, *De rebus Ecclesiasticis non alienandis* Extravag. comm., quod triennium de tribus annis fructiferis est intelligendum. Quapropter si ageretur de prædio, quod fructificaret duntaxat singulo biennio, locari hoc posset ad sex annos: & si solum singulo triennio fructus redderet, ad novem annos posset locari: quum Constitutio Apostolica non respiciat temporis spatium sine fructu, sed fructus respiciat triennales, ut asseruit Rota Romana 19. Junii 1648. *in una Tiburtina affictus*. Potiori igitur de causa necessarium esset Beneplacitum Apostolicum in casu præsenti, in quo agitur de fructibus alteri concedendis non solum ultra triennium, sed ad vitam ementis.



CIRCA





Irca ſecundam Conſiderationem, in qua de uſuræ perpetratione eſt tractandum, triplex Articulus declarandus eſt. Primus, quid ſit uſura. Secundus, quare prohibeatur uſura. Tertius qualiter committatur uſura.

Primus inquam Articulus, quid ſit uſura, ipſius deſcriptionem habet declarare. Ad cujus declarationem unam ſolum ponam Hoſtienſis deſcriptionem, quæ dicit -- *Uſura eſt quodcumque ſolutioni rei mutuatæ accedit ipſius rei uſus gratia, pactione interpoſita, vel exactione, vel hac intentione habita ex poſt facto* --: in qua quinque ponuntur notanda.

(1) Duplex uſuræ genus diſtinguunt Theologi. Prima dicitur ſpiritualis, corporalis ſecunda: ſancta illa, & laudabilis; iniqua iſta, & vituperanda. Spiritualis definitur a S. Thoma 2. 2. q. 78. art. 1. ad primum -- *Superexcreſcentia bonorum ſpiritualium, quam exigit Deus, volens ut in bonis acceptis ab eo ſemper proficiamus; quod eſt ad utilitatem noſtram, non ejus* --. Ad hanc nos hortatur Chriſtus ipſe Matth. 25. v. 27. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura* --. Jure merito iccirco ſcriptum eſt cap. *Sicut non ſuo* 46. diſt. -- *Fœnus autem hoc ſolum aſpicere, & exercere debemus, ut quod hic miſericorditer tribuimus, ab eo*

 Do-

Domino, qui multipliciter, & in perpetuum mansura tribuit, recipere valeamus --. De hac non loquitur hìc Author, sed unice de usura corporali, quam in cap. *Plerique* 14. quæst. 3. sic definit S. Ambrosius -- *Quodcumque sorti accedit, usura est* --: quamque Theologi definire solent -- *Lucrum ex mutuo vi mutui* --. De usura sic accepta egregie agit more suo Benedictus XIV. de Synodo Diœces. lib. 10. cap. 4. & 5., refellens præsertim errores Calvini, & Caroli Molinæi, qui in mutuo moderatum lucrum licitum esse docuerunt, non quidem a viro paupere, sed a divite recipiendum, contra expressum Domini mandatum Lucæ 6. v. 35. indistincte dicentis -- *Mutuum date, nihil inde sperantes* --. Aliquid discriminis reperitur inter definitionem usuræ reipsa traditam ab Hostiensi, & hanc, quam Author eidem hìc attribuit. Sed quum in levissima quadam unius vel alterius verbi diversa positione unice consistat; iccirco eam relinquo sicuti fuit ab Authore exhibita. En literalem Hostiensis definitionem -- *Quodcumque solutioni rei mutuatæ accedit ipsius rei usus gratia, pactione interposita, vel hac intentione habita in contractu, vel exactione habita ex post facto*.

Primum est *quodcumque*, & bene, quia hoc idem habetur in cap. *Plerique* 14. q. 3.. Unde sive illud sit pecunia, sive spes, sive fructus, sive ligna, sive quodcumque aliud ultra sortem. Et licet multipliciter accipiatur sors, tamen hic accipitur pro capitali, ut in cap. 1. & 2. Extra *De usuris*.

(2) En caput *Plerique* hìc laudatum -- *Plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usurarum emolumenta percipiunt. Ideo audiant quid lex dicat -- Neque usuram, inquit, escarum accipies, neque omnium rerum. Item paullo post -- Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque sorti accedit usura est; quod velis ei nomen imponas, usura est*.

Sors, proprie loquendo, est ars divinandi, & dividi solet in divinatoriam, consultoriam, & divisoriam: qua de re vide Lucium Ferraris ver. *Sors* per totum. Sumitur etiam ad alia significanda: puta pro sortilegio, pro portione hæreditatis, pro fortuna vel eventu &c. Sed nihil interest hæc persequi. Usus invaluit sortem etiam accipere pro capitali: & pro hac acceptione non solum habemus Jus Canonicum ab Authore productum, sed & ipsum Jus Civile L. *Acceptam* C. *De usuris*, ubi sic lego -- *Acceptam*... *sortem cum usuris licitis creditoribus post contestationem offeras: At si non suscipiant, consignatam in publico depone, ut cursus legitimarum usurarum inhibeatur*.

Ad

Ad cujus primi verbi declarationem duo quæruntur dubia.

Primum dubium. Utrum mutuum dans ad captandum amorem, vel benevolentiam, sit usurarius?

Respondeo secundum Thomam 2. 2. q. 78., quod non, nisi spes ulterius procedat: quia si quis daret mutuum Papæ, Imperatori, & hujusmodi, ad captandam benevolentiam, ut posset consequi castrum, aut aliquod Beneficium, usura esset secundum Joannem Calderinum in Cap. finali Extra *De usuris*. Similiter mutuo dare licet ad habenda ea, quæ pecunia non mensurantur secundum Thomam ubi supra. Et illud verbum *quodcumque* intelligitur de iis, quæ pecunia mensurantur. Item secundum eundem licet sperare rem, cujus usus inter amicos concedi solet, sicuti commodatio libri. Item injuriæ remissionem ab illo, qui me persequebatur cum multo incommodo meo, ut Extra *De Simonia* Cap. *Dilectus*, & Cap. *Ad aures* ibidem.

(3) Quum benevolentia non cadat sub æstimatione pecuniæ, nec pecunia mensuretur, S. Thoma id conceptis verbis docente loco laudato in responsione ad tertium, sponte fluit mutuo dantem cum hac spe, & intentione condemnari non posse tanquam usurarium. Et hoc intelligas volo non solum de benevolentia communi in sacris Literis præcepta Matth. 22. v. 39. -- *Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum* --, prima Cor. 13. v. 3.-- *Et si distribuero.... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* --, prima Petri 4. v. 8. -- *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum* --: sed etiam de benevolentia quadam particulari, magis intensa, magisque conspicua; quum & hæc intra benevolentiæ limites contineatur.

Author in Angelica ver. *Usura primo* num. 2., postquam illud idem dixit quod hic asseruit cum Calderino, subdit -- *Hoc limito verum, quando ex mutuo speraret; sed quando ex amore concepto erga ipsum ex mutuo facto, non esset verum; immo licite posset sperare, quia illud non sperat ex mutuo, sed ex amore. Et quod liceat, tenet Thomas supra art. 2. in responsione tertii argumenti* --. Et reipsa S. Thomas id adseruisse videtur, dum ibidem scripsit -- *Si vero munus ab obsequio, vel a lingua non quasi ex obligatione rei exhibeatur, sed ex benevolentia, quæ sub*

sub æstimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare --. Casus tamen hic non caret periculis, ad quæ declinanda opus est, ut qui mutuum dat, alium sibi non præstituat finem nisi puram putamque benevolentiam: quoniam si intentio ulterius progrederetur, sciens quod mutuatarius eos, quos diligit, ad Beneficia promovere solet, sperans iccirco consecuta benevolentia idem sibi eventurum: jam mutuum dando fieret usurarius. Sub pallio benevolentiæ vere tunc intenderet lucrum ex mutuo, quamvis mutuatarius Beneficium illi conferret non motus ex mutuo, sed ex amore concepto erga mutuatorem.

Quod hic ait Author de remissione injuriæ, id limitat ipse in Angelica ibidem num. 3. ad persecutionem injustam; dubio enim procul favoribus & beneficiis, inter quæ connumeratur certe mutuatio gratuita, redimere possum vexationem injustam. Immo id consonum est Dominico consilio Matth. 5. v. 44. -- *Benefacite his, qui oderunt vos*.

Dubium nunc remanet, dum quis me quasi juste persequitur, quia ipse ei præbui causam inimicitiæ. Super qua re distinguas necesse est. Aut ille, quem ego ipse offendi verbis, vel factis, vexat me in judicio, aut extra judicium. Si primum, putarem quod non possit mutuum dari licite hac intentione, vel sub hac conditione, quod mutuatarius recedat ab incepto: quum hic utatur jure suo, & recessio ab incepto æstimari possit pecunia, æstimetur immo communi hominum judicio. Si secundum, arbitror cum Authore annotationum super Angelica, & S. Bernardino ibidem serm. 36. art. 3. cap. 3., fieri id posse citra usuram: quia sicut ipse male egi inferendo injuriam, ita quoque alter male agit, & contra Domini præceptum, fovendo vindictam. Illicitum porro non est, immo laudabile, & pium beneficiis curare, ut amoveatur id, quod displicet Deo, & proximo est in offensionem. Etsi igitur non liceat mutuatio cum pacto apposito, ut remittatur injuria, dum quis justa de causa vexat me in judicio, licet tamen, immo laudabilis est, dum quis signa animi offensi ostendit extra judicium, vel me injusta vexatione conturbat.


Hæc pene omnia paucis docuit Merbesius q. 8., secundo Corollario, inquiens -- *Octavo usurarius est, qui alteri justam litem adversus se persequenti dat mutuas pecunias, ut ab intentata lite abstineat, atque ita declinet sumptus, & mulctam, aut alia id genus, quibus secundum leges jure ac merito plecteretur. Nam, ut perspicuum est, ex mutuo non mediocre lucrum reportaret. Secus dicendum esset, si homini iniquam sibi litem inferenti pecunias mutuo daret, ut hujusmodi litis persequendæ voluntatem abjiceret; tunc enim non caperet lucrum ex mutuo, utpote qui suam vexationem redimeret*.

SE-

SECUNDUM DUBIUM. Utrum liceat petere munus a lingua, vel ab obſequio, propter pecuniam mutuo datam?

Reſpondeo ſecundùm Thomam ubi ſupra, quod non, quia hoc pecunia æſtimari poteſt, ut patet in illis, qui propter hoc locant operas ſuas. Ideo conclude *quodcumque*, ſcilicet omne id, quod pecunia æſtimari poteſt.

(4) En verba Angelici Doctoris -- *Ad tertium dicendum, quod ſi aliquis ex pecunia mutuata expectet, vel exigat, quaſi per obligationem pacti taciti, vel expreſſi, recompenſationem muneris ab obſequio, vel a lingua, perinde eſt ac ſi expectaret, vel exigeret munus a manu: quia utrumque pecunia æſtimari poteſt, ut patet in his, qui locant operas ſuas, quas manu, vel lingua exercent.*



SECUN-

SECUNDUM VERBUM eſt *mutuatæ*. Nota hic, quod in ſolo mutuo proprie committitur uſura; ratione tamen æquipollentiæ etiam committitur in emptione & venditione ad terminum, videlicet quando venditur tempus. Ad cujus ſecundi verbi declarationem quæruntur duo dubia.

(1) JUre omni docet Author in ſolo mutui contractu uſuram proprie committi: quia, quum uſuræ vitium in hoc ſit poſitum, ut aliquid accipiatur ultra ſortem, vitium hoc in ſolo mutuo reperiri poteſt, ſicuti probat S. Bernardinus ſerm. 37. art. 1. cap. 2. inquiens -- *Tale nempe vitium cadere non poteſt primo in contractu emptionis vel venditionis: ſecundo nec in contractu locationis: tertio nec in contractu commodati. Primo uſura cadere non poteſt in contractu emptionis & venditionis, quia in tali contractu non accipitur aliquid, quod accedat ſorti. Nam ſi quis pro centum emat agrum, ac in fine anni fructus inde percepti valeant decem, talis excreſcentia de ſorte eſt. Eodem modo ſi quis emit merces, quæ in uno loco abundant, pro minori pretio, & aliquid lucratur, dum vendit eas in alio loco, ubi deficiunt, lucrum eſt de ſorte; & ideo licitum eſt. Ex his patet, quod in contractu emptionis & venditionis lucrum non accedit ſorti, ſed eſt de ſorte. Secundo non cadit uſura in contractu locationis, & hoc propter eandem cauſam. Proinde id, quod datur pro re locata, eſt utique merces, non uſura. Tertio quoque non poteſt eſſe uſura in commodato, quia, ſi pro re commodata aliquid datur, commodatum tunc in locatum tranſit, ut jam vere dicatur locatum, non commodatum. Ex his patet, quod uſura eſt vitium alicujus contractus; ſed, ut patet, non emptionis, nec venditionis, nec locationis, nec commodati. Neceſſe eſt ergo, quod ſit mutui* --. Placet adjicere quod ibidem ſubdit S. Doctor, duos nempe reperiri contractus ſuapte natura gratuitos, mutuum nempe, & commodatum. Mutuum quidem, quod ſi gratuitum non eſt, jam non eſt mutuum, ſed uſura. Commodatum vero, quod, ſi non eſt gratuitum, non eſt utique uſura, ſed tranſit in locatum.

PRIMUM DUBIUM. Quæ eſt differentia inter mutuum, commodatum, locatum, emptionem, & venditionem?

Reſpondeo multiplex: nam mutuum dicitur quod de meo fit tuum: & qui accipit obligatur ad tantundem reddendum

in

in genere suo: & consistit in iis rebus, quæ numero, pondere, & mensura dantur, ut L. 2. ff. *Si certum petatur*. Et quod mutuum solum consistat in numero, pondere, & mensura, habetur textus Institut. *Quibus modis re contrabitur obligatio* sub initio. Et in hoc mutuo debet tantum substantia rei, & valor ipsius pensari, non usus, vel fructus: & nihil licet accipere nisi valorem rei, non vero rem ipsam, cum transferatur dominium; aliter esset usura.

(2) En legem citatam *Si certum petatur*, vel *De rebus creditis -- Mutuum damus recepturi non eandem speciem, quam dedimus (alioquin commodatum erit, aut depositum) sed idem genus: nam si aliud genus veluti ut pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum. Mutui datio consistit in his rebus, quæ pondere, numero, mensura consistunt: quoniam eorum datione possumus in creditum ire, quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem, quam specie: nam in cæteris rebus ideo in creditum ire non possumus, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest. Appellata est autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit: & ideo, si non fiat tuum non nascitur obligatio.*

En quod habetur in Institutionibus loco laudato -- *Re contrahitur obligatio, veluti mutui datione. Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensura constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quæ res aut numerando, aut metiendo, aut adpendendo in hoc damus, ut accipientium fiant. Et quoniam nobis non eædem res, sed aliæ ejusdem naturæ, & qualitatis redduntur, inde etiam mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat: & ex eo contractu nascitur actio, quæ vocatur condictio --*. Condicere est rem suam in judicio petere, personam pulsando, vel inquietando, & ipsam dicendo obligatam sibi esse ad aliquid dandum, vel faciendum. Tractum est hoc verbum a veteri observatione, quia olim erant in usu solemnia verba, quæ oportebat Actorem, cum litigabat coram Judice, condicere, idest simul dicere quando litigaret, ut si caderet a syllaba, caderet a tota causa. Et quia in personalibus actionibus hoc observabatur, ideo personales actiones dicebantur condictiones. Deinde præfata solemnitas in desuetudinem transiit; hoc tamen nomen adhuc remansit, ut personales actiones adhuc dicantur condictiones, quamvis non sit necesse hanc solemnitatem observare, & hæc verba condicere. Et ex hoc datur intelligi, quod condictio non est aliud nisi personalis actio. Hactenus Vocabularium utriusque juris ver. *Condicere*. Condictio igitur, de qua in præsenti, est actio, quam habet

bet mutuator ad aliquam ſpeciem, vel quantitatem in judicio repetendam.

Mutuum iccirco recte definiri poteſt: gratuita traditio rei numero, pondere, vel menſura conſtantis, eo animo facta, ut ſtatim fiat accipientis, cum obligatione tantundem reſtituendi ejuſdem ſpeciei, & bonitatis, vel aliud æquivalens.

Commodatum eſt alicujus rei ad aliquem uſum gratuita conceſſio: & in eo redditur eadem numero res, quia non transfertur dominium, ſed duntaxat ejus uſus: nec aliquid debet recipi, aliter tranſiret in locatum ſecundum Hoſtienſem, & Goffredum.

(3) Super Commodato, quod ſic dictum eſt quaſi utentis commodo datum, quodque definiri ſolet: rei alicujus, quoad uſum ſolum, gratuita conceſſio ad certum tempus: egregia ſunt quæ leguntur Inſtitut. *Quibus modis re contrahitur obligatio* §. *Item -- Item is, cui res aliqua utenda datur, ideſt commodatur, re obligatur, & tenetur commodati actione. Sed is ab eo, qui mutuum accepit, longe diſtat: namque non ita res datur, ut ejus fiat, & ob id de ea re ipſa reſtituenda tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit ſi quolibet fortuito caſu amiſerit quod accepit: veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum hoſtiumve incurſu, nihilominus obligatus manet. At is, qui utendam accepit, ſane quidem exactam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare tenetur: nec ſufficit ei tantam diligentiam adhibuiſſe, quantam ſuis rebus adhibere ſolitus eſt, ſi modo alius diligentior poterat eam rem cuſtodire: ſed propter majorem vim, majoreſve caſus non tenetur, ſi modo non ipſius culpa is caſus intervenit. Alioqui ſi id quod tibi commodatum eſt domi, peregre tecum ferre malueris, dubium non eſt, quin de reſtituenda ea re tenearis. Commodata autem res tunc proprie intelligitur, ſi nulla mercede accepta, vel conſtituta res tibi utenda data eſt: alioqui mercede interveniente locatus tibi uſus rei videtur. Gratuitum enim debet eſſe Commodatum.*

Locatio vel conductio. Locator dicitur, qui rei ſuæ uſum alteri concedit pro pretio, ut cum loco tibi domum pro pretio: & tunc ego ſum locator, tu conductor, ut patet Inſtitut. *De locatione, & conductione*: & tunc non transfertur dominium.

(4) Ex parte locantis dicitur locatio, & ex parte locatarii vocatur conductio. Qui locat, locator, & qui rem in locationem accipit, conductor nuncupatur. Locari poſſunt non ſolum res illæ, quæ ad uſum deſerviunt, ſicuti domus ad habitandum, bos ad arandum, equus ad equi-

equitandum, & hujusmodi: sed etiam illæ, ex quibus percipiuntur fructus, ut ager, vinea, pascua, &c. Immo & personæ ipsæ locari possunt, seu ipsarum operæ & labores, sicuti patet in famulis, ancillis, & hujusmodi.

In emptione & venditione pensatur substantia rei, & usus ejusdem: & ideo, si aliquid justo pretio emitur, vel recipitur, totum de sorte est.

(5) Emptio est pactio pretii pro merce. Venditio est pactio mercis pro pretio. *Est autem emptio Juris Gentium*, ad rem L. 1. ff. *De contrahenda emptione, & ideo consensu peragitur, & inter absentes contrahi potest, & per nuntium, & per literas --*. Definitur iccirco contractus onerosus mutuo consensu peractus dandi mercem pro pretio determinato, & pretium determinatum pro merce determinata. Emptione secuta dominium transfertur in emptorem. Sed an antea, vel post rei traditionem, disputant Theologi. Quibusdam placet adserere dominium statim transferri celebrato contractu, quia jure gentium res, quæ prius erat mea, jam tua per contractum facta est. Secus opinantur alii, quia Institut. *De emptione, & venditione* §. *Quum autem* scriptum est -- *Qui nondum rem emptori tradidit, adhuc ipse dominus est --*. Vide Concinam lib. 3. de Justitia & Jure Differt. 2. cap. 1. num. 3., qui in hanc postremam sententiam descendit, & iccirco subdit -- *Ut itaque dominium transferatur, & traditio, & pretii solutio requiruntur. Si alterum ex his duabus conditionibus desit, dominium non transferri communiter asserunt Auctores.*

SECUNDUM DUBIUM. Utrum peccet mortaliter, & committat usuram ille, qui principaliter mutuum dat propter charitatem, secundario tamen propter aliquam temporalem utilitatem; sed nihilominus, etiamsi crederet nullam utilitatem inde consequi, non propter hoc desisteret dare mutuum?

Respondeo, quod non: & hujus sententiæ est Baldus in Cap. *Consuluit* Extra *De usuris*. Arguitur 61. dist. Cap. *Quid proderit*, 59. dist. Cap. *Si officia*, & 1. q. 2. Cap. *Quam pio*. Immo tali mutuatori debitor est naturaliter obligatus ad antidora, ut Extra *De testamentis* Cap. *Cum in officiis*, & L. *Sed etsi lege* §. *Consuluit*. ff. *De hæreditatis petitione* secundum Glossam, quæ fuit Alani, cui concordat Goffredus.

(6) Casum

(6) Casum huic non absimilem proponunt Concina Differt. 3. De Justitia & Jure cap. 16. num. 7. & seq., & Joannes Pontas ver. *Usura* casu 13., & ambo in eandem cum Authore nostro descendunt opinationem. Postquam Daniel Concina nonnullos Auctores improbavit non recte sentientes, hæc adjecit numero undecimo tanquam pro regula super hac re -- Mutuator itaque absolute, & gratis mutuum tradat. Ita paratus sit, ut cessante quacumque gratuita remuneratione mutuum daret. Si hanc animi dispositionem aliqua spes muneris gratuiti comitetur, non est usuræ mentalis damnandus. Hæc est S. Thomæ doctrina. Cæterum si lucri spes esset causa princeps, nunquam in praxi illum ab usura ego liberarem. Quid quod reipsa juniores hanc spem periculi plenam fatentur! Dissuadenda ergo, non vanis ratiunculis, & arbitrariis speculationibus confirmanda. S. Raymundi præceptionem transcribo ex lib. 2. cap. *De usuris* §. 4., ubi hæc habet: Ideo hanc naturalem obligationem non potest creditor deducere in pactum expressum, vel saltem sperare effectum ipsius obligationis naturalis: quia creditor nullo modo debet pactum apponere, nec principaliter spem, vel intentionem in tali retributione habere, sed propter Deum, & ex charitate debet mutuare indigenti. Et tunc forte, si secundario speret, quod ille debitor sibi remutuet, vel aliquid simile, si opus fuerit, forte non est reprobandum --. Hæc ille. Pontas vero, consimilibus recitatis ex Sanctis Antonino & Raymundo ita prosequitur -- Atque hæc omnia fundamentum habent in ipsamet definitione, quam ad usuram S. Antoninus accommodat sequenti ratione: Usura est lucrum ex mutuo principaliter intentum. Adeo ut, cum finis principalis, quem Hebertus [de quo casum proposuit] intendit, non habuerit pro objecto suo lucrum aliquod sibi percipiendum, sed solum officium ipsimet Petro conferendum ex mutuo, quod eidem tradebat, non sit censendus usurarius, quanquam speraverit futurum ut a Petro posset aliquando simile officium sibi referri, si necessitas urgeret ad eum recurrendi --. Hactenus Pontas. Ex hucusque recitatis infer, quod, si spes utilitatis, aut benevolentiæ naturali cuidam obligationi innixa non transit in pactum, nec exterius declarata est, nec est finis principalis mutui, usura non est. Quapropter quum hæc tria non habeantur in casu ab Authore proposito, quoniam mutuator supponitur paratus dare mutuum, etiamsi certus foret nullam consecuturum esse utilitatem: jure iccirco concludit ipsum non esse usurarium.

Antidora dicitur obligatio non efficax ad agendum, sed æquitate subnixa ad agendum L. *Sed etsi* §. *Consuluit* ff. *De hæreditatis petitione*, & L. *Ex hoc jure* ff. *De Justitia & Jure*, & *debetur Antidora ab eo, qui servitium recipit* --. Ita Vocabularium utriusque juris verbo *Antidora*. Non tenentur quidem mutuatarii aliquid mutuatoribus elargiri, cum mutua-

tio

tio debeat esse gratuita. Sed -- *Cum in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse* Extra *De testamentis* cap. *Cum in officiis:* Laudandi sunt qui aliquid sponte largiuntur grati animi causa, & improbandi qui secus operantur, cum tamen quidpiam elargiri possint. Apposite iccirco Daniel Concina ibidem -- *Caeterum mutuatarii, qui ingrati sunt mutuatoribus suis, qui, occasione data, signa benevolentiae, & liberalitatis exhibere negligunt, & ipsi improbandi. Siquidem propter ingratitudinem, & infidelitatem debitorum accipientium mutuum, & avaritiam mutuatorum, charitatis officia exulant a Christianis, & usquequaque usurae, ac injustitiae grassantur.*

Antidora, seu naturalem hanc obligationem perbelle exprimit, & describit Glossa ab Authore memorata inquiens -- *Haec naturalis obligatio ex puris, & meris motibus animi cujusque descendit. Omnis enim creatura movetur ad benefaciendum ei, qui sibi benefacit: & talis obligatio ex instinctu naturae procedit. Et non est illa talis donatio, quae ex nudo pacto nascitur: nam illa est efficacior, utpote cum non sit donatio, si id, quod per pactum nudum naturaliter debetur, solvatur, ut infra De donationibus L. Hoc jure §. penultimo. Si autem, quod instinctu naturae debetur, solvatur, donatio est sine dubio, quae nomen assumit remunerationis, ut infra Mandati L. Si vero non remunerandi in principio, & L. Si remunerandi in principio* --. Perbelle pariter eandem naturalem obligationem exponit S. Thomas 2. 2. q. 106. art. 6. scribens -- *Et ideo qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honestatis, ut similiter aliquid gratis impendat. Non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficii: quia quando recompensat minus, vel aequale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit; & ideo gratiae recompensatio semper tendit, ut pro suo posse aliquid majus retribuat.*

Pro clariori tamen intelligentia hujus dubii est sciendum, quod intentio cupiditatis in mutuo, quae facit usuram, tripliciter solet contingere. Primo antecedenter, scilicet ante mutuum: & tunc, si post mutuum cognoscens eam eandem mutat, potest sponte donata recipere, & retinere: & solum peccavit de intentione mala. Secundo subsequenter, quia post mutuum aliquid exigit, quod vult in mente, & ostendit ore, vel signo. Et talis usuram committit, & restituere obligatur quidquid accepit ultra sortem; immo etiam haeres suus 14. q. 3. Cap. primo, si pro tali mutuo aliquid exigit, vel accipit. Tertio consequenter, seu concomitanter. Verbi

gratia

gratia mutuator nullum mutuum dando intendebat lucrum, ſed debitor propter mutuum acceptum ipſi dat prœmium, & creditor propter eandem cauſam prœmium recipit: tunc committit uſuram.

(7) Hæc omnia vide in S. Bernardino ibidem ſerm. 37. art. 3. cap. 3. . Quod ait Author de intentione præcedenti, perſpicuum eſt: quoniam ſi mutuator pravitatem intentionis ſuæ cognoſcens eam mutat, & nihil amplius ſperat, redditur ſimilis illi, qui omnino gratis, & ex charitate mutuum dedit. Si igitur hic citra uſuram recipere poteſt ſponte oblata, etiam ille. Perſpicuum item eſt quod ſcribit de intentione ſubſequenti: nam ſi mutuator poſtmodum, cupidine prævalente, non ſolum lucrum intendit, ſed ore, & opere oſtendit ſe illud velle, jam tum fit uſuræ reus, ſicuti reus factus fuiſſet ab initio, ſi mutuum dando lucrum intendiſſet, & ſe illud velle ore & opere demonſtraſſet. Accipe nunc textum hìc laudatum -- *Si fœneraveris homini, ideſt mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus, quam dediſti, expectes accipere, non pecuniam ſolum, ſed aliquid plus quam dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud, ſi plus quam dediſti expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus* --. Quod hæredes teneantur uſuras reſtituere, textus eſt apertus cap. *Tua nos* Extra *De uſuris -- Reſpondemus, quod filii ad reſtituendas uſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parentes ſui, ſi viverent, cogerentur. Idipſum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum.*

Durum alicui forſan videri poterit quod Author ſubdit de intentione conſequenti, ſeu concomitanti, quum mutuator, ut ait, nullum intenderit lucrum, nullum ſperaverit, nullum petierit, ſed unice datum acceperit. Animadvertat tamen is mutuatorem, de quo in caſu, datum non accipere ſolius gratitudinis, benevolentiæ, & liberalitatis cauſa, ſed tanquam prœmium mutui. Jure iccirco S. Bernardinus ibidem id probat inquiens -- Quia omnis ratio, qua probatur mutuationem uſurariam de ſe eſſe malam, ſimiliter probat ſive præcedat, ſive ſuccedat, ſeu etiam concomitetur intentio lucri, ſicut clare patet diligenter hoc conſideranti. Item quum exterior actio non requiratur ad rationem uſurariæ culpæ, quin immo abſque omni pactione exteriori per ſolam intentionem uſurariam quis contrahat culpam, ſicut prius patuit; ſequitur quod per ſolam intentionem præſentem, etſi nulla talis præceſſit, judicabitur mutuans uſurarius in judicio animarum. Sequitur etiam hoc ex dicto Raynerii, qui ait, quod, ſi creditor tantummodo propter Deum, & omnino ſine lucri intentione, mutuum tradit, debitor tamen propter mutuum acceptum, vel ulterius

terius retinendum, ei aliquid dederit, ipse creditor satisfacere obligatur. Constat nempe quod, si ad hoc tenetur, nec illud observat, peccatum incurrit: & hoc non propter aliud, nisi quia jam intendit habere lucrum illud pro mutuo a se facto, sicut & propter mutuum illud debitor lucrum dedit. Ergo non solum lucrum illud ex mutuo usura est, quod extitit præintentum propter expectationem, sed etiam illud, quod est intentum propter acceptionem, & volitionem præsentem secundum præmissum modum. Hæc quoque sententia roborari videtur ex verbo Hieronymi, qui 14. q. 3. cap. *Putant* inquit, Scripturam appellare usuram omnem superabundantiam propter mutuum susceptum, quidquid sit illud --. Hactenus S. Bernardinus. De spe remunerationis, vel lucri in mutuo redibit inferius sermo.



TERTIUM VERBUM definitionis notandum est *ipsius rei usus gratia*: quia si non hujus rei gratia, sed loco pœnæ apponeretur, & absque fraude, usura non esset, Extra *De arbitris* Cap. *Dilecti*, & 12. q. 2. Cap. *Fraternitas*. Super hoc verbo septendecim dubia declaranda sunt,

(1) REm præsentem quod spectat triplex est pœna, conventionalis una, judicialis altera, & tertia legalis. Conventionalis ea est, quæ ex consensu contrahentium constituitur: Judicialis dicitur, quæ decernitur a Judice contra mutuatarium, nisi satisfaciat tempore constituto: Legalis demum censetur, quæ lege, vel statuto est imposita, qualis est illa, quæ imponitur tutori, ut solvat usuras, si intra sex menses pecunias pupilli steriles adhuc reliquerit, & otiosas L. *Si tutor constitutus* ff. *De administratione & periculo tutorum*. De prima loquitur hìc Author, quam licitam esse docet, si apponatur absque fraude. Hoc idem repetit in Angelica ver. *Usura primo* num. 31.: & pro hac sententia stant Innocentius IV. in cap. *Ut suam* 9. de pœnis lib. 5. tit. 37., S. Antoninus part. 2. Summ. Theolog. tit. 1. cap. 7., S. Bernardinus Serm. 42. art. 3. cap. 1., Scotus in 4. dist. 15. q. 2. §. *Sunt ergo tres contractus*, Joannes Pontas ver. *Usura* casu 34., Colletus Institut. Theol. De contractibus part. 2. cap. 3. art. 3. Quæres 2., Antoine De contractibus part. 2. cap. 3. q. 13., Cuniliati De contractibus cap. 4. §. 5., Gennettus tom. 1. tract. 4. cap. 6. q. 1., Merbesius super septima decisione Concilii Mediol. primi Quæstiuncula 5. conclus. 1., & 2., Natalis Alex. lib 3. art. 5. Regula 6., Astesanus lib 3. tit. 11. de quarto, num. 8., aliique complures, qui hanc sententiam dicunt communem; dummodo accedant necessariæ conditiones, inter quas principem locum tenent rectus animus ab omni avaritia defœcatus, & quod pœna sit proportionata, nec exigatur nisi ob moram culpabilem. Daniel Concina ex adverso lib. 3. De Justitia & Jure dissert. 3. cap. 14. §. 3., & 4. per totum, vestigia sequens, ut ait, Honorati Leotardi celeberrimi Jurisconsulti, aliorumque paucorum, nedum tuetur pœnam conventionalem in mutuo, si non adsit lucrum cessans, vel damnum emergens, esse usurariam, sed insuper scribit hanc opinionem sibi esse probabiliorem. Fatetur quidem plura jura [intellige tum civilia tum canonica, ut ostendit Cuniliati nuper laudatus, probantque cæteri Doctores memorati] adprobare pœnam conventionalem tanquam licitam, nullo habito

bito respectu ad id, quod interest creditoris, scilicet etiam secluso lucro cessante, & damno emergente. Sed cum prædicto Leotardo dicit hæc jura esse abrogata, quemadmodum illa, quæ usuras permittebant moderatas. Adserere hic possem latissimum inter hæc duo versari discrimen: quia moderatæ usuræ uniee permittebantur a nonnullis legibus civilibus, quæ per jus Canonicum correctæ fuerunt, & abrogatæ, ut observat Ferraris ver. *Usura* num. 17.; pœna autem conventionalis in mutuo ab utroque jure permittitur, & Civili, & Canonico. Sed hoc obiter; arbitror enim hanc esse unam ex illis quæstionibus, quas Benedictus XIV. De Synodo Diœces. lib. 10. cap. 4. sub initio vetuit, ne a particularibus Synodis dirimerentur, inquiens -- *Ne a particularibus Synodis quæstiones dirimantur in casibus usurarum, & aliorum vitiorum, quibus timoratæ conscientiæ irretiri possunt: quales sunt quæstiones circa contractus inter graves Theologos controversæ, & nondum ab Ecclesia definitæ* --. Scotus certe, etsi a prima opinione steterit, exemplum tamen protulit, quod secundæ magnopere favet. Ipsius verba audiamus ergo -- *Vel ratione pœnæ conventionalis, dum tamen non fiat in fraudem usurarum: Verbi gratia: ego indigeo pecunia mea ad mercandum, concedo tamen tibi ad certum diem, adjiciens pœnam conventionalem, quod nisi tali die solvas, quia multum damnificabor, solves postea tantum ultra hæc. Hæc pœna adjecta licita est, quia licet me servare indemnem, sic præmonendo illum, cum quo contraho. Signum autem, quando non est in fraudem usurarum, manifestum est illud, quando mercator magis vellet pecuniam sibi solvi die præfixo, quam in crastino cum pœna adjecta sibi. Et per oppositum est in fraudem, quando vult diem transiri potius, quam pecuniam ipso die solvi* --. Æquum nunc est, ut aliqua jura proferam pœnam conventionalem permittentia. Hujusmodi sunt L. *Si pacto* Cod. *De pactis*, ubi scriptum est -- *Si pacto, quo pœnam adversarium tuum promisisse proponis, si placito non stetisset, stipulatio subjecta est, ex stipulato agens vel id, quod in conventionem devenerat, ut fiat consequeris, vel pœnam stipulatione comprehensam more judiciorum exiges* --: Et cap. *Dilecti* Extra *De arbitris*, ubi sic lego -- *Mandamus .... ut arbitrium ipsum .... sicut provide latum est, & ab utraque parte sponte receptum, observent, per pœnam in compromisso statutam appellatione postposita compellatis* --: Et Regula 46. ff. De diversis regulis juris antiqui -- *Quod a quoquo pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur* --. Juribus his placet adjicere verba S. Antonini loco supralaudato -- *Si etiam pœna sit de consensu partium in contractu apposita, ad hoc scilicet, ut saltem metu pœnæ debitum solvatur, usura non committitur, nisi a principio fuerit prava intentio* --. Similia habet Inno. IV. superius memoratus -- *Notandum pœnam impositam ex conventione partium licere exigere, dummodo intentio sit recta, scilicet ut pareatur placitis, & non ad usuras, vel lucrum* --. Hactenus in Jure.

F 2 Praxim

Praxim enim quod respicit, ingenue fateor pœnam hanc gravibus periculis esse obnoxiam: & timendum vehementer est, ne ii, qui ita mutuum dant, usurariam intentionem tegant sub ementito pœnæ conventionalis nomine, & quod ex frequentato ejusmodi usu ingens janua usurariis aperiatur. Consulto igitur Astesanus loco proxime laudato -- *In judicio tamen animæ standum est suæ confessioni: Sed propter præsumptionem contrariam diligenter & caute debet conscientia ejus examinari; secundum enim Hostiensem præsumendum est contra apponentem pœnam in mutuo, nisi forte pœna, quæ loco interesse succedit, petatur, ut supra dictum est, vel nisi ex honestate personæ relevetur.*

PRIMUM DUBIUM. Utrum volens emere merces, aut mercari per se vel per alium, & sola pietate, instanti aliqua necessitate, pecuniam, qua prædicta facere volebat, mutuam dat, possit absque usura petere tantum, quantum de mercibus habiturus erat in tali loco, vel quantum de pecunia probabiliter lucratus fuisset mercando?

Respondeo, quod sic. Similiter de terra quam emere volebat, & erat recepturus annuatim puta decem libras, dummodo hæc concurrant. Primo, quod pericula, & expensas in se recipiat, & computet secundum Hostiensem, & Doctores. Secundo, quod non habeat principalem intentionem lucrandi per hanc viam magis, quam per viam mercandi, & hujusmodi. Tertio, quod non contrahat pactum ad semper, sed ad aliquod rationabile tempus. Quarto, quod ille non sit in tam arcta necessitate, quod ex præcepto teneretur illi mutuum dare gratis.

(2) Agitur hìc de lucro cessante, quod fatentur omnes justum esse titulum exigendi aliquid ultra sortem, ut deducitur ex cap. *Pervenit* Extra *De Fidejussoribus -- Ne dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse --.* Ad rem S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 4 -- *Respondeo dicendum, quod quicumque damnificat aliquem videtur auferre id, in quo ipsum damnificat. Damnum enim dicitur ex eo, quod aliquis minus habeat quam debet habere secundum Philosoph. in 5. Ethic.. Et ideo homo tenetur ad restitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit. Sed aliquis damnificatur dupliciter. Uno modo, quia aufertur ei id, quod actu habebat; & tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem æqualis: puta si aliquis damnificet aliquem diruens domum ejus, tenetur*

ad

ad tantum quantum valet domus. Alio modo, si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi: & tale damnum non oportet recompensare ex æquo: quia minus est habere aliquid in virtute, quam habere actu: qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potestatem; & ideo, si redderetur ei, ut haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum non simplum, sed multiplicatum: quod non est de necessitate restitutionis, ut dictum est. Tenetur tamen recompensationem facere secundum conditionem personarum, & negotiorum.

Monet tamen Antoine ibidem q. 12. inter alia requiri -- Ut mutuum sit vera caussa, cur lucrum cessat: ac proinde ut mutuans ante petitum lucrum habeat facultatem proximam lucrum ex pecunia faciendi alia via justa, & pecuniam, quam mutuat, jam destinarit negotiationi, vel contractui justo quæstuoso, nullasque alias habeat pecunias otiosas, idest non destinatas justo lucro faciendo, nec familiæ sustentationi... Ut lucrum sit certum, aut probabile: nam si solum possibile, non est pretio æstimabile, cum mere possibilium ratio non habeatur... Ut moneatur mutuatarius de lucro cessante, & in illius compensatione consentiat... Ut non exigatur totum lucrum, quod speratur, sed solum quantum spes illius judicio prudentum valet, deductis sumptibus... Ut lucri cessantis compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed solum pro tempore, quo lucrum fuisset... Ut mutuet animo gratificandi proximo, non autem spe commodioris lucri --. Hæc ille. De eo, qui in casu alias habet pecunias negotio lucrativo non destinatas, prudenter scribit Gennettus Tom. 1. tract. 4. cap. 4. q. 6. -- *Si ille mutuo dans habebat aliam pecuniam, qua non utebatur, quamque nulli usui destinaverat, non erat in casu lucri cessantis, cum facile posset substituere talem summam, qua non utebatur, alteri, quam mutuo dabat, & ita lucrari ex ea eodem modo, ac si aliam mutuo non dedisset. Attamen si illam pecuniam servabat ad matrimonio collocandas filias: ut sibi consuleret in casu morbi supervenientis: aut aliorum eventuum fortuitorum; erat revera in casu lucri cessantis: quia vere ob pecuniam mutuo datam lucrum perdebat; habebat enim rationem legitimam non utendi reliqua pecunia, quam consulto servabat.*

Egregia sunt, quæ super hac re adjicit Cuniliati loco cit. §. 2. num. 6. -- Hinc inferas, injuste compensationem exigere illos, qui illam exigunt ex eo quod pecuniam, quam tradunt, poterant negotiationi committere: quia nimis remote se habet illa pecunia a lucro sperando; & hoc ipso quod non inquiritur sollicite occasio opportuna eam tradendi negotiationi, signum est, quod efficaciter ad id non destinabatur. Pejus adhuc faciunt, qui dictitare non cessant, se velle tradere negotiationi suam pecuniam, cum revera non aliam occasionem quærant, nisi ut illam dent mutuo cum intentione lucrandi secure aliquid

sub dicto lucri cessantis titulo. Pessime demum agunt, qui pecuniam negotiationi plerumque de se periculosæ ex industria subtrahunt, ut eam mutuo tradant, quamvis cum lucro certo longe minori, sub dicto lucri cessantis titulo, & cum sortis securitate. Hi, inquam, omnes ficto abutuntur lucri cessantis titulo cum onere restituendi lucrata, quia injuste acquisita --. Hactenus ipse.

Quando autem hæc necessitas sit, Ricardus ostendit in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. dicens: quod, si ille, qui mutuum dat, habet superfluum super decentiam sui status, & ille, qui petit mutuum, indiget, etiamsi non sit in extrema necessitate, quod tenetur nedum mutuum dare gratis, sed facere eleemosynam. Si vero non habeat nisi solum necessaria ad condecentiam sui status, non tenetur nisi solum existenti in extrema necessitate.

(3) Hujusmodi doctrina fundatur super Dominico præcepto faciendi pauperibus eleemosynam de superfluis Lucæ 11. v. 14. -- *Veruntamen quod superest, date eleemosynam* --, & Ecclesiastici 4. v. 8. -- *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum* --: ex quo Theologi communiter inferunt, teneri nos ad subveniendum pauperi extrema necessitate laboranti ex superfluis vitæ, seu naturæ, etsi statui necessariis: laboranti vero necessitate duntaxat gravi, & communi, teneri ex superfluis naturæ, & statui. Doctrinam hanc fuse prosequitur S. Bernardinus Serm. 37. art. 2. per totum, in cujus cap. 3. ita tenaces homines perstringit -- *Sed quidam objiciunt dicentes. Hæc substantia, & hæ divitiæ meæ sunt, ego ipse sudoribus, & solicitudinibus meis, mihi illas coadunavi, & ego mihi illas acquisivi: quare quod meum est aliis debeo erogare? Si divitiis egent multi, sic damnum earum acquirant sibi laboribus multis, sicut & ego feci. Talibus dicendum est, quod superfluum sustentationi eorum, etsi illorum sit proprium quantum ad suæ naturæ sustentationem, seu auctoritatem ministrandi; tamen, quantum ad usum, illorum est, in quibus sunt signa probabilia necessitatis extremæ, nisi subveniatur eisdem. A simili quoque aliquo modo dico de superfluitate decentiæ sui status respectu indigentium citra prædictam necessitatem extremam. Contra illos autem, qui de superfluo prædictis modis nolunt indigentibus subvenire, ac sua dicunt esse quæ habent*, dist. 47. cap. *SICUT II Ambrosius ait in persona eorum dicens: quid injustum est, si cum aliena non invadam, propria diligentius servo! Et exclamando subdit: O impudens dictum! Propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? Quando in hanc ingressus es lucem, quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibusve subsidiis stipatus ingressus es?*

Et

Et post pauca : Proprium nemo dicat, quod commune est. Et addit: Esurientium panis est, quem tu detines : nudorum indumentum est, quod tu recludis.... Et licet transgressores hujus praecepti non semper lege puniantur humana, puniuntur nihilominus lege divina. Nam secundum Augustinum De libero arbitrio multa impunita juste relinquuntur a lege humana, quae tamen juste judicantur lege divina.

Demtis casibus, de quibus Author, mutuum dare indigentibus non est praeceptum, sed consilium, ut adnotat Ferraris ver. *Mutuum* num. 21. Et si cui placet adserere ipsum esse praeceptum, quia dixit Dominus Matth. 5. v. 42. -- *Qui petit a te, da ei : & volenti mutuari a te, ne avertaris* -- Respondeo cum S. Bernardino ibidem sub initio; praeceptum esse affirmativum obligans semper, non ad semper, sed pro loco duntaxat, & tempore occurrenti, in casibus nempe ab Authore enarratis, in quibus mutuum dare quis tenetur sub praecepto legis naturae, divinae, & canonicae, ut probat Tabiena ver. *Usura primo* num. 6. Sapienter iccirco scribit Summus Pontifex Benedictus XIV. in sua Constitut. *Vix pervenit* data anno 1745. -- *Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere* --. Multis, dixit, non omnibus; & iccirco jure optimo S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. ad quartum -- *Dicendum, quod dare mutuum non semper tenetur homo; & ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia.*

Quinto, quod hoc, quod accipit ultra sortem, solum accipiat tanquam interesse. Concordat Antonius de Butrio.

(4) Hoc verbum *interesse* pro neutrali nomine positum significat illud, quod creditoris interest, lucrum videlicet ipsi cessans ex mutuo, vel damnum eidem emergens. Ad rem iccirco S. Bernardinus Serm. 42. art. 1. sub initio -- *Est enim interesse quaedam evitatio damni secundum D. Thomam 2. 2. q. 78. art. 2. Item interesse est recompensatio damni. Innocentius autem in Apparatu de sentent. excommunic. cap. SACRO inquit, quod interesse est aestimatio damni, quod idem est* --. Nihil porro fixum determinari potest super hac re, ut cuique justum titulum habenti liceat exigere tantum & non amplius: quia quod respectu unius est excedens, respectu alterius forte erit deficiens, seu minus justo. Pensandae igitur sunt circumstantiae personarum, locorum, & temporum: & in interesse taxando quisque recordetur se esse catholicum, debere quidem se servare indemnem, non tamen lucrari ex mutuo: quia, ut docet S. Thomas ibidem art. 1. ad quartum -- *Sed quod homo lucrum de mutuo non quaerat, hoc cadit sub ratione praecepti.*

SECUNDUM DUBIUM. Utrum liceat habenti ab usurario centum haec ipsa centum mutuo dare alteri instanter postu-

lanti

lanti eo pacto, ut tantum sibi solvat, quantum ipse solvet usurario?

Respondeo secundum Joannem Calderinum in Repetitione Cap. finali *De usuris*, quod dupliciter fieri hoc potest. Primo, ut usurario satisfaciam, & sic licitum est: quia non fit stipulatio usurarum, sed ut evitetur damnum, nec sibi aliquid accrescit 14. q. 4. Cap. *Si quis oblitus*, ibi *aliqua incrementa*, & Cap. *Quoniam*, ibi *ad quæstum*. Non enim tenebatur cum suo damno alteri subvenire 23. q. 5. Cap. *Si non licet*, & ff. *De præscriptis verbis* L. *Qui servandarum*. Secundo, non ut satisfaciat usurario, & se servet indemnem, sed alio quocumque respectu, & sic non licet; immo sic dans mutuum peccat, cum cessent rationes antedictæ. Hæc ille.

(5) En quod ad rem legitur cap. *Si quis oblitus* -- *Si quis... fœneraverit... aut ex quolibet negotio turpe lucrum quæsierit, aut... emendo, vel vendendo aliqua incrementa susceperit* &c. --: quod item legitur cap. *Quoniam* -- *Quoniam... statuit... ut... omnis, qui tale aliquid conatus fuerit ad quæstum, dejiciatur* &c. --. Duas has leges profert Author, ut ostendat ibi non esse stipulationem usurarum: quia mutuum dans nullum inde incrementum percipit, nec dat mutuum tali modo ad quæstum, sed unice, ut se servet indemnem.

Lex citata *Qui servandarum* ita habet -- *Qui servandarum mercium suarum caussa alienas merces in mare projicit, nulla tenetur actione*.

Hunc eundem casum proponit S. Bernardinus serm. 37. art. 3. cap. 1., &, declarata Calderini distinctione, ita concludit -- *Et hæc distinctio mihi placet, quum æquitate sit plena* --. Et reipsa æquum est adserere secundum mutuatorem, de quo Author, dare mutuo licite in primo, illicite autem in secundo casu: quia in primo usuras exigit, ut se servet indemnem; in secundo autem, ut lucretur ex mutuo. Aliquid negotii facesseret, si mutuator ipse offerret mutuum, & mutuatarius pecuniam sibi necessariam habere posset ab alio sine usuris. Sed casus ipse aliter supponit.

Secus opinatur Monaldus, contendens hunc secundum mutuatorem, de quo in casu, semper esse usurarium. Sed de ipsius opinione merito ita scribit Tabiena ver. *Usura secundo* num. 1. -- *Unde opinio Monaldi, qui tenet simpliciter contrarium, scilicet quod nihil possit recipere, est irrationabilis*.

TER-

TERTIUM DUBIUM. Utrum liceat dare mutuum cum usuris, cum aliquis usurpat mea, nec possum ea habere, nisi sub forma usuræ: puta, tenet quis possessionem meam injuste, nec possum recipere fructus, nisi dem mutuum super eam.

Respondeo, quod sic, & facio fructos meos, ut patet Extra *De Usuris* Cap. 1. & Extra *De Simonia* Cap. *Dilectus*. Similiter idem tenet Alexander de Ales dicens, quod nihil recipio ultra sortem, sed tantum recipio meum. Et hoc licere ostendit etiam Ambrosius 14. q. 4. Cap. *Ab illo*: nec solum super possessionem, sed qualitercumque: & talis acceptio non dicitur proprie usura, sed potius recuperatio sui: & sic licebat Judæis dare ad usuram alienis Deuter. 23. secundum Alexandrum de Ales, & alios expositores. Et hoc intelligo, nisi scandalum famæ tuæ, seu aliorum immineat, quia væ homini illi, per quem scandalum venit.

(6) Eadem habet S. Bernardinus serm. 36. art. 3. cap. 8. scribens -- *Unde si quis tua injuste usurpat, & non potes illa rehabere, nisi sub forma usuræ, licet tibi secundum jura canonica, sicut ex dicto Ambrosii patet, sub tali forma recuperare tua; nisi ex tali specie activum scandalum aliquibus ministres: nam multa de se licita propter tale scandalum sunt evitanda* --. Idem sentit Astesanus lib. 3. tit. 11. de quarto num. 2. Jura canonica hìc memorata hæc sunt: quod scribit Ambrosius cap. *Ab illo*, videlicet -- *Ab illo usuram exige, cui merito nocere desideras: cui jure inferuntur arma, huic legitime indicantur usuræ: quem bello vincere facile non potes, de hoc citò potes centesima vindicare te. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat: sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ* --: Et quod scriptum est cap. 1. *De usuris* ab Authore citato, nempe -- *Quod si post hujusmodi constitutum in Clero quisquam extiterit, qui detestandis usurarum lucris insistat, Ecclesiastici officii periculum patiatur, nisi forte Ecclesiæ Beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur*.

Quod legitur Deuter. 23. v. 19. 20. -- *Non fænerabis fratri tuo ad usuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno* --, hoc limitat S. Bernardinus ibidem ad eos alienos, qui terras Judæorum injuste detinebant, scribens -- *Hoc quidem ex illa litera Deuteronomii*

trahi

trahi potest: nam quum ait -- Non fœneraberis fratri tuo sed alieno --, per alienum quidem non significat quemcumque hominem alienigenam, sed eos alienos tantum, qui terram Judæis, ut prædictum est, a Deo datam detinebant injuste. A talibus enim sic juste poterant Judæi ea, quæ possidebant, sicut prædiximus, etiam armis auferre, bellum justum habentes contra eos; sicut etiam juste poterant usuras accipere, ut sic sua recuperarent ab illis, qui injuste possidebant.

Scio verba Deuteronomii aliter interpretari a S. Thoma, qui 2. 2. qu. 78. art. 1. ad secundum scripsit -- *Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur Isaiæ 56. --*: Aliter quoque fuisse exposita ab Alexandro De Ales part. 3. q. 86. art. 2. inquiendo -- *Nunquam fuit Judæis licitum fœnerari alieno, sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudii, propter duritiam cordis sui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno, sed permittebatur eis duplici de causa: ne scilicet facerent pejus, idest ne fœnerarentur fratribus suis: & quia duri erant, & paullatim trahendi ad perfectionem --*. Sed interpretamentum S. Bernardini, quod etiam fuit S. Ambrosii lib. de Tobia cap. 15. dicentis -- *Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostis? ab illo usuram exige....* (sequuntur verba ex jure Canonico supra recitata), forte magis est veritati consentaneum, nec ipsum rejicit Daniel Concina; quin potius ipso recitato lib. 3. De Justitia & Jure dissert. 3. cap. 3. num. 7. subdit -- *Usura hæc vera non est. Qui enim exigit quod sibi non ratione mutui, sed alio justitiæ titulo debetur, usuram committere nequit. Mutuum alienigenis traditum medium fuit accipiendi extraneorum divitias, quæ populo Dei debitæ erant ex imperio Dei, qui ut supremus Dominus divitias hostis populi adjudicavit populo sibi dilecto.*

Cæterum si verum esset quod super his Deuteronomii verbis animadvertit Astesanus noster lib. 3. tit. 11. de tertio ad secundum, jam in totum evanesceret objectum, quod ex iisdem consurgit. Ipsum audiamus ergo -- *Dicitur autem, quod in vera litera non fuit illa additio -- Sed alieno -- sed fuit per Judæos apposita in sui excusationem talem qualem*. Egregia sane animadversio. Ast, ut candide fatear, indiget probatione.

QUARTUM DUBIUM. Utrum fidejussor, qui pro defectu debitoris compulsus fuit accipere sub usuris, ut solveret: vel solvit creditori usuras & capitale pro ipso debitore, quia juraverat: possit ipsas exigere a debitore?

Respondeo, quod sic: immo etiam omnia damna, quæ habuit

habuit occasione debitoris: quia servari debet indemnis Extra *De fidejussoribus* Cap. 2. & 3., & *De foro competenti* Cap. finali lib. 6.: quia insuper totum hoc interesse est creditoris ff. *De actionibus empti, & venditi* L. *Si sterilis* §. *Cum per venditorem*, ff. *Mandati vel contra* L. *Si mandatu meo* §. *Si fidejussor*, ff. *De administratione & periculo tutorum* L. 2. §. ultimo, & 14. q. 4. Cap. *Si quis Clericus*. Concordant Alexander de Ales, Thomas, Raynerius, & qui de hoc tractant.

(7) Triplex usurarum genus distinguunt Theologi; alia enim est usura lucratoria, alia compensatoria, punitoria altera. Lucratoria ea censetur, quæ continet lucrum ex mutuo principaliter extortum, & intentum. Compensatoria dicitur, in qua ratione interesse, seu aliquo justo titulo exigitur lucrum. Punitoria demum vocatur illa, in qua lucrum exigitur ex pœna in contractu apposita de consensu mutuatarii, quæ pœna dicitur conventionalis. De prima, ut puto, Author hìc non loquitur, quæ proprie usura est, & exigi non potest sine peccato, & onere restitutionis.

Hunc eundem casum proponit Author in Angelica ver. *Fidejussor* num. 6.: & postquam multa dixit super qualitate obligationis, quam fidejussor sibi imposuit, docteque exposuit quid juris, si sponte solvit, & quid si coacte, tandem concludit -- *Sed in contrarium secundum Theologos, & in conscientia tene firmiter, quod tam in isto casu quando solvit coacte, quam etiam quando sponte solvit, eo quod sic promisit eas solvere, quod possit repetere, & quod debitor sibi teneatur, quia sic intelligitur mandasse, ut solvat debitum, ut L. SI PROCURATOR ff. DE CONDICTIONE INDEBITI: & sic sibi imputet debitor, qui eum fidejubere fecit pro usuris, nisi solverit in fraudem, ut faveret usurario, quia sic non repetet. Aut non solum fidejussit solvere usuras, sed etiam juravit, & sic repetet secundum omnes: quia, licet posset petere absolutionem a juramento, non tamen tenetur secundum Goffredum: quia, licet teneatur fidejussor excipere, ut notat Glossa dicto cap. primo per multa jura, non tamen tenetur agere* --. Judicium hoc Authoris tanti fecit Joannes De Tabia Ordinis Præd. in sua Summa Summarum vulgo Tabiena ver. *Fidejussor* num. 12., ut servato literarum cortice ipsum exscribere, & adprobare non dubitaverit. Singularis est Lex citata §. *Si fidejussor* -- *Si fidejussor multiplicaverit summam, in quam fidejussit, sumptibus ex justa ratione factis, totam eam præstabit is, pro quo fidejussit*.

De hoc eodem casu agit Merbesius super septima Decisione Concilii Mediolan. primi quæstiuncula septima. Ipsius verba audire non pigeat --

Utrum

Utrum fidejussio sit justus titulus aliquid ultra sortem accipiendi? Respondeo affirmative, si nimirum fidejussor, ex fidejussis aliquid detrimenti ceperit. Ita enim declaravit Lucius Papa III. cap. *Pervenit*, *De fidejussoribus* -- *Moneatis*, inquit, *eosdem*, *ut memorato Clerico pecuniam*, *quam pro iis solvit*, *restituant*, *ipsumque servent indemnem*, *& damna etiam*, *quæ propter hoc pertulit*, *resarciant* --. Per ista Pontificis verba non approbantur usuræ, per quas nonnulli perditis moribus viri aliquid pecunia æstimabile ultra sortem vi mutui accipiunt. Absit, ut Summus Pontifex tam turpiter aberret a vero; sed damna, quæ fidejussor in solvendis usuris pertulerit, resarcienda imperantur. Quia enim de facto fidejussor compulsus fuerat pro debitore solvere usuras, ideo illum ab ipso indemnem præstari oportere Summus Pontifex declaravit, ne is ex eo, quod prœmium merebatur, afficeretur damno. Nam fidejussor in eo casu non repetit usuras solutas creditori tanquam usuras, quia nullum inde reportat lucrum, sed tanquam damnum, quod in debitoris gratiam, & commodum pertulit: quod quidem omni jure repeti potest L. unica C. *De sententiis*, *quæ pro eo*, *quod interest*, *proferuntur* --. Hactenus Merbesius.

Quod qui juravit usuras solvere, teneatur ad ipsarum solutionem, textus est expressus cap. *Debitores* Extra *De jurejurando* -- *Debitores ad solvendas usuras*, *in quibus se obligaverant*, *cogi non debent*. *Si vero de ipsarum solutione juraverint*, *cogendi sunt Domino reddere juramentum* --. Potest tamen mutuatarius solutis usuris eas in judicio repetere, & mutuator ad eas restituendas debet compelli, quum ibidem subdatur -- *Et cum usuræ solutæ fuerint*, *creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate* [*si necesse fuerit*] *compellendi* --. Potest etiam mutuator compelli ad relaxandum juramentum factum a mutuatario, solutionem ipsi remittendo cap. 1. eod. tit. -- *Mandamus quatenus creditores ad juramenta super usuris sibi solvendis præstita relaxanda Ecclesiastica districtione cogatis* --: etiamsi mutuatarius jurejurando se obligasset ad usuras non repetendas cap. *Tuas dudum* Extra *De usuris* -- *Tuas dudum recepimus quæstiones*, *quod quidam usurarii eos*, *quibus dant pecuniam ad usuram*, *præstare faciunt juramentum*, *quod usuras non repetant*, *& super his*, *quas solverint*, *nullam movent quæstionem*. *Nos igitur respondemus*, *ut usurarios ipsos*, *monitione præmissa*, *per Censuram Ecclesiasticam*, *appellatione remota*, *compellas ante usurarum solutionem ab earum exactione desistere*, *vel restituere ipsas*, *postquam fuerint persolutæ*; *ne de dolo & fraude contingat eos commodum reportare*.

QUINTUM DUBIUM. Utrum liceat exigere usuras, quas solvi, ab eo, qui mihi non solvit in termino?

Respondeo, quod sic, si duo concurrant. Primum, si dixe-

dixerit illi, quod erat coactus sub usuris accipere. Secundum, si non poterat aliter nisi sub usuris invenire mutuum: secundum Alexandrum de Ales, Innocentium, Hostiensem, & Raynerium: quia tunc debitor tenetur, si non solvit in termino, creditorem indemnem in damno servare. Arguitur Cap. *Pervenit*, & Cap. *Constitutus* Extra *De fidejussoribus*. Concordant Cap. *Quoniam* 14. q. 4., & 12. q. 2. Cap. *Si quis de Clericis*.

(8) Pene omnia jura hìc ab Authore collecta eo tendunt, ut ostendant debitorem teneri ad omnia damna, quibus ob causam sui creditor fit obnoxius. Et quidem jure optimo, quia ut ad rem Regula 22. Juris in Sexto -- *Non debet aliquis alterius odio prægravari* --, & Regula 206. ff. *De diversis regulis juris antiqui* -- *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem* --. Hunc eundem casum proponit Tabiena ver. *Usura secundo* num. 3., & eodem modo respondet: nec aliter certe responderi potest, quum in hoc casu non exigantur usuræ tanquam lucrum ex mutuo, tanquam lucrum sortis, sed tanquam interesse, seu damnum emergens.

SEXTUM DUBIUM. Utrum ille a quo emi lapides, ligna, & hujusmodi, ex quibus non percipitur aliquis fructus, teneatur mihi solvere usuras, quas solvi, ut sibi solverem, si ipse non tradiderit mihi prædicta in termino, sed fuerit in mora?

Respondeo, quod sic secundum Baldum L. *Usuras* C. *De usuris*: & hoc tanquam interesse. Et ad hoc habetur notabilis textus ff. *De actionibus empti & venditi* L. *Lucius Titius*. Et idem tenet Innocentius dicendum esse in similibus contractibus, puta locationibus, & venditionibus.

(9) En legem hìc laudatam -- *Lucius Titius, accepta pecunia ad materias vendendas sub pœna certa, ita ut si non integras repræsentaverit intra statuta tempora, pœna conveniatur: partim datis materiis, decessit. Cum igitur testator in pœnam commiserit, neque hæres ejus reliquam materiam exhibuerit, an & in pœnam, & in usuras conveniri possit: præsertim cum emptor mutuatus pecuniam usuras gravissimas expendit? Paulus respondit: ex contractu, de quo quæritur, etiam hæredem venditoris in pœ-*

nam

nam conveniri posse: in actione quoque ex empto, officio Judicis, post moram intercedentem, usurarum pretii rationem haberi oportere.

Eundem casum, idemque responsum vide penes Authorem in Angelica ver. *Usura primo* num. 21., S. Bernardinum ibidem serm. 42. art. 1. cap. 1., & Tabienam ver. *Usura secundo* num. 10. Non defuit qui aliter sensit. Audias, si placet, Authorem ipsum in Angelica ibidem -- *Sed Salycetus in dicta L. USURAS reprobat Baldum dicens, quod interesse usurarum, quas solvit, non debet imputari debitori ante moram. Sed tu tene primam opinionem, quando accipit sub usuris, taliter quod alio modo non accepisset, nisi propter complacentiam, vel utilitatem, quam consecuturus erat ex tali emptione. Et ideo cum talis ex falsa promissione privaverit eum tali utilitate, vel complacentia, quam plus vel tantum extimabat, quantum interesse usurarum, ideo talis ei tenetur* --. Ex his verbis collige Authorem sententiam hanc suam vel aliquantulum mitigasse, vel melius exposuisse, reducendo casum ad damnum, quod emptor patitur: quia vel non potest vendere jam empta & soluta, vel non potest iis uti ad ornatum domus &c., quod est pretio æstimabile, & pecunia mensuratur. Dum audis *complacentiam*, ne quæso aures arrigas, quasi Author in Angelica docuerit privationem cujuscumque complacentiæ titulum esse sufficientem ad repetendas usuras. Non ita profecto, non ita est. Locutus ipse fuit de complacentia rationabili, quam prudens vir tanti facit, quanti fieri solet interesse usurarum, & pro qua habenda coactus est accipere sub usuris. Do exemplum. Emo lapides, aut ligna, quibus uti volo ad ornatum domus, hac lege ut tali determinato tempore venditor ea mihi præbeat, quia eo tempore hospitem expecto magnæ auctoritatis, & dignitatis, vel sponsam filii mei debeo in domum meam recipere. Delectarer certe, seu mihimetipsi complacerem, si præstituto tempore ea mihi præberet; hoc enim conferret ad decentiam mei status, ad diligentiam meam ostendendam, cujus omissio in illis circumstantiis non esset laudabilis. Ut venditori calcar addam, eidem ante tempus rependo pretium conventum: quod ut faciam, coactus sum mutuam accipere pecuniam sub usuris. Venditor nunc, tametsi jam receperit pretium, non stat promissis, & in causa est cur, adveniente hospite vel sponsa, ego privor rationabili illa complacentia, quam sperabam, & pro qua habenda accepi sub usuris, non accepturus sane, si venditor non promisisset omnia mihi præbere tempore præstituto. Hæc est illa complacentia, de qua loquitur Author: complacentia videlicet rei emptori debitæ in illis circumstantiis posito, & cujus privatio ipsi detrimento est. Re igitur diligentius inspecta damnum videtur inseparabile ab hoc contractu: nisi enim quis stipes sit, & fungus, mutuum certe non accipiet sub usuris pro emenda re, cujus non indiget, vel quam alio tempore, aut alio in loco non speret se posse carius vendere.

SEP-

Septimum dubium. Utrum vendens prædium, & tradens illud, possit licite exigere usuras ab eo, cui vendidit, post elapsum terminum, si in termino debito non solverit sibi de pretio: aut interim recipere fructus illius prædii, eosque facere suos?

Respondeo secundum Glossam in Cap. *Conquestus* Extra *De usuris*, quod sic, quum hic non accipiatur aliquid sicut usura, sed sicut interesse 14. q. 4. Cap. *Quoniam*. Et cum dicitur, quod usura est quidquid sorti accedit, intelligi debet in mutuo: vel quando exigitur aliquid in fraudem usurarum: vel quando fit causa lucri, non autem causa damni evitandi: quia, si præcise fit causa damni evitandi, non est usura. Si interim res mihi daretur in pignus ab emptore, qui non solvit, possem inde recipere fructus, etiamsi transcenderent quantitatem interesse: nam licet talis res a venditore non possit peti, quia jam vendita, potest tamen idem venditor fructus ejusdem percipere, postquam contra voluntatem suam res vendita detinetur.

(10) Pro prima responsionis parte textus Glossæ hic citatæ est apertissimus -- *Usuræ possunt etiam peti secundum Canones, ut cum vendo tibi prædium, & trado, & percipis fructus, nec solvis pretium ad terminum. Arg. C. DE USURIS L. 2., quia hujusmodi usuræ, non quasi usuræ, sed quasi interesse petuntur. Arg. 14. q. 4. QUONIAM MULTI, ibi AD QUÆSTUM, & cap. SI QUIS OBLITUS, ibi ALIQUA INCREMENTA, & ff. PRO SOCIO L. SOCIUM QUI; damna vero & interesse secundum Canones peti possunt.*

Pro secunda parte responsionis, quod nempe possit venditor fructus interim percipere, nullum dubium: quum eos sine usura possit etiam petere, ut perspicue docent Author in Angelica ver. *Usura primo* num. 18., & Tabiena ver. *Usura secundo* num. 8., qui insuper adserit hanc esse communem Doctorum sententiam. En ipsius verba -- *Respondent Glossa in cap. Conquestus de usuris, & Panormitanus ibi, & communiter Doctores dicunt, quod potest ratione interesse* --. Id ipse postmodum probat, quia -- *a principio potuit vendere rem suam cum hac conditione, quod retineat sibi fructus quousque habeat pretium; potest enim vendere divisim dominium ab usu in his, quæ habent usum distinctum a consumptione, ut dicit S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1.* --. Accipe verba S. Doctoris, ne ullus

ullus remaneat dubitationi locus -- *Quædam vero sunt, quorum usus non est ipsa rei consumptio, sicut usus domus est inhabitatio, non autem dissipatio. Et ideo in talibus seorsum potest utrumque concedi: puta cum aliquis tradit alteri dominium domus reservato sibi usu ad aliquod tempus, vel e converso cum quis concedit alicui usum domus reservato sibi ejus dominio, & propter hoc licite potest homo accipere pretium pro usu domus, & præter hoc petere domum accommodatam, sicut patet in conductione & locatione*.

Aliquid difficultatis potest inesse, si fructus excederent interesse, quod tamen æque docet Tabiena ibidem scribens -- *Quamvis habeat plus de præsumptione usuræ* --. Sed advertas volo fructus esse incertos, qui siculti quandoque sunt majores, ita quandoque possunt esse minores. Advertas item volo fructus esse illius ejusdem rei, quam vendidit, & cujus pretium nondum accepit; & icciirco semper respondere rei venditæ, tametsi quandoque non respondeant pretio inter contrahentes constituto.

OCTAVUM DUBIUM. Utrum Gener, qui accipit in pignus certas possessiones a socero, faciat fructus suos sine usuræ vitio?

Respondeo quod sic, quod patet per Cap. *Salubriter* Extra *De usuris*. Intellige si ista quatuor concurrant.

(11) Generice loquendo fructus ex pignore percepti computari debent in sortem C. *De pigneratitia actione* L. 1., quæ est hæc -- *Ex pignore percepti fructus imputantur in debitum: qui si sufficiunt ad totum debitum, solvitur actio, & redditur pignus. Si debitum excedunt, qui superetunt redduntur, videlicet mota actione pigneratitia* --: Et cap. *Cum contra* Extra *De pignoribus* -- *Attendentes, quod in talibus perceptio fructuum in solutione sortis accedat, cum secundum canonicas sanctiones fructus restitui, & in sortem debeant computari* --. Secus tamen dicendum est in casu particulari, de quo agitur. Textus est apertus in Capite ab Authore citato -- *Sane generum ad fructus possessionum, quæ sibi a socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum: cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda* --. Egregia est ratio, quam profert Daniel Concina de Justitia & Jure lib. 3. dissert. 3. cap. 18. num. 6. -- *Dos ad onera matrimonii sustinenda datur. Ergo jure gener usquedum dote caret, pignoris fructus percipit. Sicut enim ex justitia debetur ei dos, ita debentur ei fructus dotis. Pignus supplet dotis vicem. Ergo quo jure ex dote, eodem ex pignore dotis loco dato, percipere fructus valet*. Egregia pariter est ratio, quam post Hostiensem exposuit Astesanus noster lib. 3. tit. 11. de quarto num. 6. -- *Potest etiam & alia ratio hujus casus assignari secundum Hostiensem: hoc sci-*

scilicet, ut dos salva maneat mulieri, quæ alias consumeretur, & sic utilitas publica læderetur ff. SOLUTO MATRIMONIO L. 1.

Nollem tamen crederes hoc esse speciale in dote, quasi Innocentius III. cap. *Salubriter* in hoc casu dispensaverit super usuris. *Recipit fructus pro interesse, non pro usura:* opportune Inno. IV. super laudato capite. Si quid speciale in dote reperitur, illud unice est, quod exponit Merbesius quæst. 7. expendens primam decisionem Concilii Mediolan. primi -- Primo speciale est in favore dotis, ut gener, cui dos a socero promissa est, acceptis pignoribus fructiferis fructus percipiat, nec teneatur in sortem computare, etiamsi ab initio nulla pactio de fructibus ultra sortem percipiendis præcesserit. Id enim jure in dotali contractu includitur, & hac de causa in eo præsumitur, in aliis vero minime, nisi probetur. Ita Adrianus in 4. Tract. de Restit. in quæst. De usuris vers. Sed dubium videtur. Hæc ille.

Primum, quod sustineat onera matrimonii ff. *De doli mali, & metus exceptione* L. *Pater* in principio, & in dicto Cap. *Salubriter* Extra *De usuris*.

(12) *Quia*, ait Glossa super cap. *Salubriter*, *fructus dotis cedunt lucro marito propter onera matrimonii* C. *DE JURE DOTIUM* L. *PRO ONERIBUS*. *Ad hoc autem, ut maritus lucretur fructus rei dotalis, requiritur, ut sustineat onera matrimonii* --. En legem hìc laudatam -- *Pro oneribus matrimonii mariti lucro fructus totius dotis esse, quos ipse cepit* --. Quapropter si gener non præstaret alimenta, nec sustineret familiæ onera, nec domi suæ uxorem retineret, tum certe non posset pignoris fructus percipere. Ita Concina ibidem.

Opportune iccirco Innocentius IV. super cap. *Salubriter* -- *Postquam non debet eam alere, non debet fructus accipere* --: Et Merbesius modo laudatus paullo infra -- Ergo ubi vir non ferret onera matrimonii, nec pateretur interesse, quod admodum rarum est, non posset recipere fructus, aut interesse. Ita Panorm. in Consil. 79. in fine lib. 2., Glossa, Bartol., Alex., & alii in L. *Si ab hostibus* §. *Si vir uxorem* ff. *Soluto matrimonio*. Jus ergo permittit generum supra dotem promissam, nec solutam, fructus pignoris recipere, nec computare in sortem propter damnum emergens, aut lucrum probabiliter cessans, ut affirmant Gabriel in 4. dist. 15. q. 11. art. 2. casu 4., Conradus de Contractibus q. 35. conclus. 5. & 7., Joannes Major item in 4. dist. 15. q. 31. vers. tertius casus. Hæc ille.

Secundum, quod onera illa sint certa secundum Dominum Antonium de Butrio in Cap. *Salubriter*: & sic non poterunt

terunt fructus retineri cum sorte, ultra debitam quantitatem onerum: quia causa cessante cessat effectus Extra *De appellationibus* Cap. *Cum cessante*.

(13) Super hac re, de qua idem Author in Angelica ver. *Usura primo* num. 25, egregie fuit eo loci sic adnotatum -- *Baldus in L. finali* §. *PRÆTEREA C. DE JURE DOTIUM dicit, quod per dictum cap. SALUBRITER sunt permissæ usuræ in dote. Tamen istud dicitur esse verum de usuris reducibilibus ad interesse, non de immensis. Unde recurrendum est ad moderatam consuetudinem regionis. Et sic videtur velle, quod si fructus, de quibus in dicto cap. SALUBRITER, essent ultra alimenta condecentia, considerata quantitate dotis, deberent in sortem computari. Quod dictum, dicit Joannes de Anania in dict. cap. SALUBRITER 2. col., esset valde notandum* --. Alimenta postmodum mulieris non sunt æstimanda pro arbitratu ejusdem, aut mariti, sed unice pro mensura dotis, nam secundum hanc majorem vel minorem ipsa de jure est alenda, & non aliter, textu expresso ff. *Soluto matrimonio* L. *Si cum dotem* §. *Sin autem -- Tunc licentiam habeat vel curator furiosæ, vel cognati, adire Judicem competentem, quatenus necessitas imponatur marito omnem talem mulieris sustentationem sufferre, & alimenta præstare, & medicinæ ejus succurrere, & nihil prætermitti, quæ maritum uxori adferre decet, secundum dotis quantitatem* --. Jure igitur & merito docet Author fructus excedentes onera doti respondentia, & debita, in sortem esse computandos.

Tertium, quod fructus subjiciantur fortunæ. Unde si gener pro dote solvenda certo die cautionem recipiat, & promissionem cum pacto, quod interim certa quantitas sibi debeat solvi pro oneribus matrimonii supportandis, talis conventio illicita est, & usuraria. Nec obstat Cap. *Salubriter*, quia ibi loquitur de fructu submisso judicio Dei, videlicet quando pro pignore data est possessio. Et ad rationem textus dicit Joannes Andreæ, qui ibidem hoc tenet, responderi posse per Cap. *Per vestras* in fine Extra *De donationibus inter virum & uxorem:* pro quo bene facit quod ibi legitur in Glossa. Hoc idem tenent Antonius de Butrio ibidem, Joannes de Lignano, & Laurentius de Redulphis Florentinus in quæst. 53. suorum contractuum. Et est securior opinio, licet alii contrarium teneant; quia in

in dubiis tutior via est eligenda Cap. *Juvenis* Extra *De sponsalibus, & matrimoniis.*

(14) Hoc idem docet S. Bernardinus Serm. 42. art. 1. cap. 2.. Re tamen ut par est pensitata, videtur secus esse sentiendum ratione interesse, quod gener reipsa patitur ex onere matrimonii, ut cum Panormitano docet Tabiena ver. *Usura decimo* sub initio. Et mehercle arctare caput *Salubriter* ad solos fructus fortunæ non videtur textui consentaneum: quoniam pone, quod socer det mihi domum in pignus, & ego eam locem sub certa annua pensione mihi solvenda: hic casus certe comprehenderetur in cap. *Salubriter*, quum & domus in possessionibus contineatur, & tamen reciperem fructum non fortunæ, sed certum. Non est ergo caput illud arctandum ad solos fructus fortunæ. Prudenter iccirco Author ipse sententiam immutavit, & in Angelica loco nuper laudato, post declaratam opinionem hic expositam, subdidit -- *Contrarium, scilicet quod certa quantitas recipiatur licite, tenet Paulus de Eleazaris, Joannes Calderinus, Petrus de Ancharano, & Panormitanus in dicto cap. Salubriter. Et est verius, cum sit eadem ratio, scilicet propter interesse damni emergentis. Limito tamen prædicta vera, quando gener, si dotem haberet, poneret eam in possessionem, vel in negotiationem, ex quibus probabiliter tantum haberet. Alias non, cum nullum patiatur interesse* --. Super hæc ultima verba apposite adnotatum lego -- Vide Baldum in L. *Pro oneribus* C. *De jure dotium*. Vide Imolam in L. *In insulam* §. *Usuras* ff. *Soluto matrimonio*, & Dominicum Joannem de Campe in Tract. De dote part. 2. q. 6.

Hanc postremam Authoris sententiam adeo firmiter amplexatus est Merbesius, ut loco proxime laudato indubitanter scripserit paullo antea -- Secundo ex iisdem Innocentii verbis pariter & Canonistæ intulerunt, promissa dote, nec soluta, posse generum cum socero pacisci de summa quadam, habita ratione dotis, quotannis pensitanda, donec ipsa dos persolvatur. Ita Adrianus loco proxime citato, Angelus in ver. Usura primo §. 25., Joannes Major in 4. dist. 15. q. 31. vers. Tertius casus, Sylvester in ver. Usura 3. q. 3., Cajetanus in 2. 2. q 78. art. 2. ad 6.. Theologis assentiuntur Canonistæ, Panormitanus, Calderinus, & alii. Cum enim dilata dotis solutio cum interesse verisimili sit conjuncta, nihil obest, quominus illud ipsum interesse ad arbitrium boni viri, & prudentis in pactum deduci valeat. Hæc ille.

Quartum, quod dos sit promissa simpliciter: nam si gener pacisceretur de recipienda dote ad certum terminum, & interim perciperet fructus, dicti fructus deberent computari in sortem: quia interesse non potest deberi ante mo-

G 2 ram,

ram, quæ non poteſt adeſſe durante termino ſecundum Antonium de Butrio ubi ſupra. Ideo, inquit idem, faciat ſic: dicat gener: ego ſuſtinebo onera matrimonii, da dotem. Et ſi ſocer dicit, non poſſum, tunc gener dicat, ſuſtineas ſaltem onera matrimonii. Et ſic poterit gener dictos fructus facere ſuos tanquam intereſſe, dummodo certa ſint onera matrimonii. Hæc ille.

(15) Quamvis dos ſit quid connexum cum matrimonio l. *Quod Servius* ff. *De condictione cauſa data -- Quod enim ex ea cauſa, nondum coito matrimonio datur [cum ſic detur, tanquam in dotem perventurum] quandiu pervenire poteſt, repetitio ejus non eſt --*: nihiloſecius poteſt vir & uxorem ducere ſine dote, & ſponte concedere parentibus uxoris terminum ad ſolutionem dotis. Hoc ultimum ſi contingat, ut in caſu, non habet amplius gener jus aliquod, aut actionem ad fructus dotis ante terminum, quum iis ſponte ceſſerit. Et ſi eos reciperet, unice ſane reciperet ob dilatam ſolutionem, quod eſt uſurarium. Secus eſt dicendum, dum non conceditur terminus; tunc enim, ut ad rem S. Bernardinus ibidem, -- *dicti fructus a genero percipiuntur in damni ſui recompenſationem, quod inde ſequitur propter pecuniam dotalem, quæ ſibi ſolvenda differtur* --. Nota hic, quod quando vir uxorem accipit ſine dote, quemadmodum fieri poſſe dixi, tenetur eam alere ſecundum qualitatem perſonæ, ut notant Innocentius, & Hoſtienſis in cap. *Per veſtras* Extra *De donationibus inter virum & uxorem*, & deducitur ex Authentica, *quibus modis naturales filii* cap. *Quoniam* [Collat. 6. tit. 3.] -- *Et illam, ſi quidem indotata ſit, noſtræ Conſtitutionis uti bonis, quartam ſubſtantiæ viri percipientem, ſive expellatur, ſive prius moriatur vir* --. Ratio invicta, quia ſecundum eundem Innocentium perſonam ſuam dedit pro dote, ut in eadem Authentica ibidem ſcriptum eſt -- *Quid enim agat aliud, quæ ad dotem non eſt idonea, quam ut ſemetipſam pro omni dote contradat?*

Quæ de dote uſque adhuc dicta ſunt, quod videlicet gener poſſit percipere fructus ipſius, quin eoſdem computet in ſortem, ea intellige, dum dos adſignatur vel a Patre, vel ab Avo, vel ab alio ſponſæ propinquo, ad quem jure naturæ & gentium pertineat eandem dotare. Secus quippe ſtatuendum eſt, ſi dos filiæ aſſignetur a viro extraneo; vere etenim ſcripſit Merbeſius loco jam citato -- *Si tamen dos ab extraneo legata debita ſit, pignoris fructus in dotem computabuntur: quia ex liberaliter datis non poteſt exigi interuſurium, ut obſervat Molinæus Tract. De commerc. num.* 495.

NONUM

Nonum dubium. Utrum mutuam dans summam pecuniæ promissæ, & debitæ genero pro dote, & recipiens ab eodem genero possessionem pignori obligatam cum omni jure, quod in eadem habet gener, possit facere fructus suos, sicut gener ipse faciebat absque vitio usuræ?

Respondeo secundum Baldum in Rubrica C. *De usuris*, & Rodonensem, & Doctores, quod non: quia mutatione personæ mutatur privilegium, quoties persona est immediata caussa privilegii L. 1. C. *De imponenda lucrativa descriptione*, & ff. *De publicanis & vectigalibus* L. *Licitatio* (nunc locatio) §. finali. Et hoc verum credit Rodonensis, quando eo animo mutuum dat, vel convenit de hoc. Sed si gener animo donandi transfert totum jus, quod habet in pignore, in talem non propter contractum pecuniæ, quam accepit ab eo, sed propter amicitiam vel affinitatem: & iste mutuam dat sibi pecuniam propter gratiam, & dilectionem, non propter fructus lucrifaciendos, tunc non esset usura: quia ibi non esset vera ratio mutui.

(16) Ratio ibi adducta -- *quia mutatione personæ mutatur privilegium* -- nec Authori ipsi placet, qui iccirco in Angelica ver. *Usura primo* num. 26. super hoc eodem casu adjecit -- *Sed hæc non est ratio, quia istud non est privilegium propter dotem, sed jus commune propter interesse. Ideo cum iste mutuans non propter interesse, sed propter lucrum accipiat fructus ex mutuo, erit usurarius.*

Quod hic subdit Rodonensis, si speculative accipiatur, hunc mutuatorem certe reddit ab usura liberum -- *Aboletur enim*, ut adnotat S. Bernardinus ibidem, *tunc in hoc casu usuræ vitium, quia gener gratis sibi concessit jus, quod in possessione habebat, & per consequens sibi condonat fructus, quos quidem ipse percipere potest* --. In praxi tamen hoc opus, hic labor est, atque ut in pluribus est verum lucrum ex mutuo sub pallio gratuitæ mutuationis ex parte mutuatoris, & liberæ donationis ex parte mutuatarii. Si gener mutuum petit, & accipit. ergo indiget. Indigentem porro libere velle alteri concedere fructus sibi necessarios ad sustinenda onera matrimonii, ad alendum seipsum, & uxorem, credat qui velit.

DECIMUM DUBIUM. Utrum emens illud jus, quod gener habet in possessionem pignori pro dote obligatam, pretio totius dotis modo solvendo, faciat fructus suos absque vitio usuræ, quos percipiat quousque pater sponsæ det sibi dictam summam pecuniæ, qua illud emit?

Respondeo, quod, si ex amicitia sponsæ, & absque fraude usuræ emit reditus illos, poterit tantum ex ipsis percipere ultra dictam summam pecuniæ, puta centum in emptione datos, quantum jus & possessio centum prævalet juri futurorum redituum per plures annos ascendentium usque ad centum, juxta regulam, & formam datam in secundo dubio articuli secundi primæ Considerationis. Alias usurarius esset censendus.

(17) Vendi possunt, & emi licite nedum possessiones, sed etiam jura ad fructus earundem, seu reditus prædiales, ut cum S. Bernardino præsertim ostendi dubio secundo tertii articuli primæ Considerationis, annotatione super idem dubium: quia & hæc jura, & hi reditus sunt pretio æstimabilia. Necessum tamen est, ut emptor vere intendat emere, & emptionem non fingat intendens mutuum dare. Necessum item est, quod hoc non faciat principaliter propter lucrum, sed amicitia, & charitate ductus, ab ipso venditore rogatus. Hisce positis, contractus, de quo sermo, ab omni est usura & peccato liber, *dummodo*, ut monet S. Bernardinus Serm. 34. art. 2. cap. 2. *naturalis juris æquitas observetur. Quod tunc vere fit, quando in tali contractu tanta æqualitas observatur, quod non propter aliquod apparet quis contrahentium habeat meliorem partem. Si vero apparet, quod pretium minus sit respectu rei jam emptæ, tunc ex parte ementis est corruptio æquitatis, & tenetur emens ad justi pretii supplementum. Et si esset pretium ita parvum, quod esset minus dimidiate justi pretii, posset vendens in foro judiciali recedere a contractu.*

Nec labem aliquam contractui inurit conditio in Dubio apposita, videlicet — *quos percipiat quousque pater sponsæ det sibi dictam summam pecuniæ, qua illud emit* —. Conditio isthæc, si bene pensitetur, efficit contractum illum, qui dicitur venditio & emptio cum pacto retrovendendi, & retroemendi: quod pactum vel est in favorem solius emptoris, ut si diceretur: emo a te rem hanc hoc pacto, ut tempore a me præstituendo tu ipsam redimas: Vel est in favorem solius venditoris, ut si dicas: vendo tibi hoc vel illud sub hac conditione, ut tempore

statuto

statuto, vel a me statuendo tu illud mihi revendas: Vel est in favorem utriusque, ut si apponeretur pactum, quo utrique facultas relinqueretur resiliendi a contractu. Dubium certe est, an hic contractus in favorem solius emptoris sit in praxi tutus, nec ne. Nullum vero dubium, dum apponitur pactum in favorem solius venditoris: & hujus indolis est ille, de quo Levit. 25. v. 23. & seq. -- *Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos advenæ, & coloni mei estis. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur* --. Quum igitur conditio, de qua in præsenti, sit in favorem solius venditoris, non autem emptoris, qui ab eadem gravatur vere & proprie, coactus ad restituendam rem, & virtualiter retrovendendam toties quoties pater sponsæ dotem solvet genero debitam: sponte fluit per illam conditionem non vitiari contractum.

Si petas abs me quare mutuum dans in præcedenti dubio sit usurarius, non autem emens, de quo in præsenti, quum, dempto vocabulo mutuatoris & ementis, cætera sint paria? Responsio est in promptu, quia nempe non solo vocabulo differunt mutuator & emens, sed differunt toto genere; mutuator enim lucratur ex mutuo vi mutui, emens autem ex vero contractu venditionis: & lucrum trahere ex re vendita & empta nulla lege prohibetur; aliter ipsa venditio & emptio esset prohibita contra jura omnia tum civilia, tum canonica secus constituentia.

UNDECIMUM DUBIUM. Utrum hæredes mariti sine usura faciant fructus suos, sicuti faciebat maritus: & hoc quandiu relictam alere obligantur, cum non teneantur restituere dotem usque ad annum post mortem mariti L. unica C. *De rei uxoriæ actione* §. *Cum autem..... exactio?*

(18) Hæredes mariti tenentur alere mulierem relictam anno integro a morte mariti, quia intra annum mulier dicitur quasi in matrimonio, ut cum communi docet Author in Angelica ver. *Dos* num. 26.: dummodo mulier non habeat aliunde unde alatur, & vivat, quia secus non tenentur hæredes ad alimenta ipsi subministranda, ut num. seq. colligit Author ex L. *Extraneo* ff. *De ventre in possessionem mittendo*, quæ est hæc -- *Extraneo posthumo hærede instituto, non aliter venter in possessionem mittitur, nisi mater aliunde se alere non possit* --. Mulier tamen sic alenda habitare debet cum hæredibus mariti, etsi id in jure non sit expressum, ut ibidem subdit Author, dempto casu, in quo apud eos honeste commorari non posset.

Quoad restitutionem dotis distinguas oportet res mobiles a rebus immobilibus; non enim pro utrisque idem fuit lege sancitum. En legem

ab Authore laudatam -- *Exactio autem dotis celebretur non annua, bima, trima die, sed omnimodo intra annum in rebus mobilibus, vel se moventibus, vel incorporalibus: cæteris videlicet rebus, quæ solo continentur, illico restituendis: quod commune utriusque fuerat actionis* --. Id intellige de natura rerum prout est in morte mariti, non vero prout fuit in dotem tradita, si forte maritus cum consensu uxoris res mobiles pro dote habitas in immobiles commutaverit.

Respondeo secundum Joannem Andreæ post Hostiensem in prædicto cap. *Salubriter*, quod non: quia in hoc casu est ratio diversa: & quia possunt hæredes statim se expedire reddendo pignus, quod non potest maritus Extra *De jure-jurando* Cap. *Tua nos* (idest 24.): & quia soluto matrimonio desinit esse dos: & quia secundum Baldum ubi supra, mutatione personæ mutatur privilegium, ut dictum est supra in nono dubio.

(19) Illud vere & proprie est dos, quod datur marito occasione matrimonii vel a muliere, vel ab ejus patre, vel etiam ab extraneo, ut sustineat onera matrimonii. Mortuo igitur marito desinit esse dos, & hæc uxori restituenda est, vel ipsius hæredibus, sicuti donatio propter nuptias mortua uxore restituenda est marito, vel hæredibus ipsius, quum per leges par sit utriusque ratio L. *Lege Leonis C. De pactis conventis* -- *Lege Leonis divæ memoriæ, pacta lucrorum dotis, & ante nuptias donationis, paria esse sanciente* --: & Extra *De donationibus inter virum & uxorem* Cap. finali -- *Sane soluto matrimonio, sicut dos ad mulierem, sic & donatio propter nuptias redit ad virum: nisi de consuetudine secus obtineat, vel ex pacto de lucranda dote, & donatione propter nuptias, quod æquale sit tamen, hinc inde contrarium inducatur* --. Mortuo igitur marito nullus amplius remanet, de quo per jura dicatur, quod sustinet onera matrimonii, cum hoc de solo marito dicatur respectu uxoris L. *Si filia* §. *Hoc amplius* ff. *Familiæ ercifcundæ* -- *Hoc amplius, filius familias hæres institutus, dotem uxoris suæ percipiet: nec immerito, quia ipse onera matrimonii sustinet* --. Jure ideo scribit Author in hoc casu rationem esse diversam. Pignus ergo, aut rem obligatam hæredes mariti reddant uxori, aut ipsius hæredibus; fructus enim quoad ipsos non possunt habere rationem interesse, quia cessavit onus matrimonii sustinendum per mortem viri, cui soli id per leges adjudicatur. Affirmantem sententiam primo statuit Joannes Andreæ; sed re melius inspecta negantem sequitur, ut monet S. Bernardinus Serm. 42. art. 1. cap. 2. scribens -- *Dicendum, quod Joannes Andreæ post Hostiensem in præallegato*

cap.

cap. Salubriter propter rationem illam, quæ redditur, de onere conjugali, arguit quod sic: demum contrarium determinat, quia in hoc casu ratio est diversa ab illo.

Petes forsan hic. Quid juris, si uxor, cujus marito data fuit possessio in pignus, moriatur relictis filiis: poterit ne adhuc maritus facere fructus suos? Nequaquam, quia matrimonium est solutum per mortem uxoris, & cessat ratio adducta in cap. *Salubriter*, ex quo cessant onera matrimonii. Instet ergo maritus apud parentes defunctæ uxoris, ut pignus liberent, vel aliter cum ipso servata æquitate conveniant; secus enim agens fructus, quos percipit a morte uxoris, computare debet in sortem.

Repones. Nonne & filii sunt onera matrimonii? Profecto, quum & ipsi matrimonium consequantur, & ex matrimonio proveniant. Si igitur pro sustinendo onere matrimonii respectu uxoris, hac vivente, potest maritus sine usura facere fructus suos: quare idem non poterit, mortua uxore, pro filiis sustinendis, qui & ipsi sunt onera matrimonii?

Respondeo, oppido disparem esse rationem. Uxor est onus, quod marito advenit jure matrimonii; filii vero onus sunt marito adveniens jure naturæ. Ad alendam uxorem jure naturæ non tenetur ipse maritus, sed pater uxoris: quum parentes teneantur alere filios, & filii parentes L. *Si quis a liberis* ff. *De agnoscendis & alendis liberis* quasi per totam. Ad alendos filios tenetur jure naturæ maritus ipse, non alius quispiam extraneus, ex eadem lege. Ad primum tenetur quia maritus. Ad secundum tenetur quia pater. Primum ipsi est interesse, quia jure naturæ non debitum. Secundum non potest habere rationem interesse, quia jure naturæ ipsi debitum. Æquum est ergo, ut faciat fructus suos assumendo onus extraneum, sibi non debitum; iniquum autem esset, si pari modo vellet eos facere suos propter onus suum proprium, & alteri non competens. Onus quidem matrimonii sunt & ipsi filii L. *Si is, qui Stichum* §. 2. ff. *De jure dotium -- Post mortem patris statim onera matrimonii filium sequuntur, sicut liberi, sicut uxor --*. Sed, ad præsens quod spectat, lato duntaxat modo: quia matrimonium consequuntur tanquam fructus matrimonii. Uxor vero onus est matrimonii verum propriumque: quia matrimonium non consequitur; sed efficit tanquam causa materialis. Sine filiis verum habetur matrimonium. Sine uxore ratio vera matrimonii haberi non potest. Jure igitur cap. *Mulieres* Extra *De donationibus inter virum & uxorem* sancitum est, ut, secuto divortio ex causa licita, tota dos restituatur uxori, nulla facta mentione filiorum, si qui essent, quos pater ipse tenetur alere -- *Mulieres cum pro aliqua licita causa a propriis viris fuerint separatæ, totam dotem præcipimus sibi reddi*.

Duo-

DUODECIMUM DUBIUM. Utrum relicta, cui hæredes viri post mortem ejus obligant possessionem pro dote, faciat fructus suos sine usura?

Respondeo, quod non, sed computabuntur in sortem secundum Hostiensem, & L. *Titia* ff. *De solutionibus & liberationibus*. Hoc idem tenent Ricardus, Innocentius, & Antonius de Butrio in Cap. *Salubriter*: & sibi imputet, quia non recipit in solutum. Ideo faciat distrahi, vel in solutum recipiat L. *A Divo Pio* ff. *De re judicata*. Dicunt tamen quidam, quod, si mulier non est sufficiens talem cautelam habere, & non sit sibi soluta dos post interpellationem legalem, quod poterit alimenta suscepta computare in interesse non solutæ dotis sua die, & non in sortem: & maxime si mulier aliunde non habet bona, ut communiter contingere solet.

(20) Quod mulier, de qua sermo, non possit in casu facere fructus suos, sed eos computare debeat in sortem, repetit Author in Angelica ver. *Usura primo* num. 29.: Docent quoque Tabiena ver. *Usura decimo* num. 1., Joannes Pontas ver. *Dos* casu ultimo in fine, S. Bernardinus ibidem, videlicet Serm. 42. art. 1. cap. 2., aliique. Egregia sunt quæ scribit S. Bernardinus -- *Dicendum, quod sic, nempe quod fructus computare debeat in sortem ff. De solut. L. Titia, & imputet sibi mulier, quia non recipit in solutum; non est enim eadem ratio in primo, & in secundo casu, & ideo non est idem jus, quia maritus sustinet onera matrimonii, & non uxor. Hæc notant Innocentius, & Hostiensis, & Antonius de Butrio in cap. Salubriter. Sit ergo cauta mulier, ne recipiat rem in obligationem* --. Secus certe opinatus est Fulgentius Cuniliati De contractibus cap. 4. §. 4. num. 1. scribens -- *Quod si gener moriatur, fructus pignoris cedent in usum viduæ superstitis ad onera ad se & filios alendos sustinenda, nec in sortem dotis computandi. Excipe excessum, ut dixi. Ita Sotus lib. 6. q. 1. art. 2. cum aliis pluribus* --. Secus pariter opinatus est Merbesius loco cit. scribens -- *Tertio, marito rebus humanis erepto, relicta vidua gaudere potest privilegio per hoc cap. SALUBRITER indulto erga mariti hæredes. Potest quippe ex pignore fructifero sibi tradito percipere fructus, nec computare in sortem, donec ei dos restituta fuerit. Ita Conradus q. 35. conclus. 9., Joannes Medina &c.* --. Sed quum in cap. *Salubriter* maritus dicatur sustinere onera matrimonii, non autem

uxor;

uxor; quum per mortem mariti uxor fiat domina dotis nedum quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructum, qui vivente marito ad ipsum pertinebat; casus non est amplius ille, de quo in cap. *Salubriter*, sed omnino diversus. Arbitror ergo sententiam Authoris esse præferendam, & mulierem relictam debere vel dotem suam petere, & accipere in solidum, vel fructus computare in sortem, nisi ex alio justo titulo eidem debeantur. Idem senserat Astesanus lib. 3. tit. 11. de quarto num. *6.*, qui iccirco sic concludit -- *Mulier discreta non recipiat rem obligatam, sed potius faciat eam distrahi, vel accipiat in solutum; aliter fructus extenuabunt sortem.*

Quod subdit Author, & scribit etiam S. Bernardinus ibidem, id intellige in sensu, in quo Author ipse se explicuit in Angelica ver. *Dos* num. 28., loquens de statuto, si quod esset, quod hæres solvat viduæ certum quid pro quolibet centenario. En ipsius verba -- *Limitat tamen idem Panormitanus hoc in ea, quæ non habet unde aliunde vivat. Sed mihi non placet ista limitatio: quoniam non accipit tale quid ratione lucri, sed ratione interesse lucri cessantis: ut puta quia potius vellet habere dotem, ut eam implicaret in possessionibus, vel aliis negotiationibus, de quibus verisimiliter tantum, vel plus haberet. Alias non liceret* --. Uno verbo: Nisi in muliere relicta habeatur verum lucrum cessans, aut verum damnum emergens, non potest sine usura fructus illius possessionis facere suos, sed eos computare debet in sortem.

Hæc omnia confirmat Natalis Alexander lib. 3. art. 5. Regula undecima inquiens -- Contra si post mortem mariti res in pignus viduæ detur ab hæredibus pro restitutione dotis, illa debet computare fructus, quos perceperit, in solutionem dotis, quia non sustinet onera matrimonii soluto matrimonio. Sibi itaque prospiciat, curetque, ut res oppignorata vendatur, vel detur sibi in solutum pro dote. Ita docet Panormitanus ad cap. *Salubriter* Extra *De usuris*. Si tamen ob dotem non solutam damnum passa sit, aut lucrum amiserit, potest accessionem aliquam ad dotem exigere, ac percipere ad damnum compensandum --. Hactenus ille. Brevibus Innocentius IV. super cap. *Salubriter* -- *Si mulier habet pignora dotis suæ post mortem mariti, debet fructus illos in sortem computare.*

TERTIUMDECIMUM DUBIUM. Utrum pœna apposita in contractu mutui detentori ultra præfixum terminum juste possit exigi?

Respondeo secundum Scotum in 4. dist. 15., quod sic, si de consensu partium sit apposita, absque dolosa tamen intentione usurarii pretii, seu lucri: puta ego indigeo pecunia

cunia ad mercandum, concedo tibi usque ad certum diem, adjiciens pœnam conventionalem, nisi mihi solvas ipsam tali die, quia multum damnificabor. Pœnam hanc exigere licet, quia debeo me præservare indemnem: præmonendo tamen illum, cum quo contraho. Signum tamen usuræ est, si aliquis consuevit esse usurarius L. *Julianus* ff. *De actionibus empti & venditi*, & ff. *De pigneratitia actione* L. *Vel universorum*. Item quando pœna stipulatur in menses, aut in annos singulos. Arguitur C. *De usuris* Authentica *Ad hæc*, & in Authentica *Ne quis quod agricolæ mutuam* Cap. *Sancimus* Collatione 4. Tit. 13. Item usurarius est quando habet intentionem pravam, ut puta vellet potius, quod pœnam incurreret, quam quod solveret in termino. Arguitur 23. dist. Cap. *quamquam*. In omni tamen eventu non est licitum talem pœnam exigere, sed duntaxat quando culpa sua pecuniam non solvit: quia si paupertate, vel aliqua justa necessitate non solvit pecuniam, non tenetur solvere pœnam, nec hoc potest peti ab eo: nam in hoc casu non potest puniri contumacia, quæ non est: & quod acciperetur tolleretur solum ratione temporis, quod esset vere usurarium; & ideo nec ex conventione partium, nec ex aliqua lege introduci potest, ut in Cap. *Ex gravi De usuris* in Clementinis. Item si debitor solvit partem debiti, non poterit accipi pœna nisi pro parte, ut notat Innocentius in Cap. *Suam ad nos* Extra *De pœnis*.

(21) Super hac re jam multa dixi adnotatione prima super hoc tertio verbo definitionis usuræ. Ea igitur recole. Placet adjicere, quod signa, quæ Author hic exhibet, ad cognoscendum an pœna apposita sit in fraudem usurarum, nec ne, locum habent præcipue in foro contentioso, non autem in foro sacramentali, seu pœnitentiali; in hoc enim credendum est pœnitenti, ipsiusque responsis. Confessarius tamen ignorare non debet prædicta signa: quoniam iis uti debet ad interrogandum pœnitentem, ut ex ipsius responsis judicet, an sit usurarius, nec ne.

Quod

Quod hæc pœna non possit exigi, dum mora debitoris culpa vacat, perspicue id docuit S. Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 7. §. 24. inquiens -- *Requiritur, quod debitori non sit impotentia solvendi termino statuto; si enim sine culpa sua factus est impotens ad solvendum, non est licitum aliquid ab illo exigere* -- .

Quod soluta parte non possit amplius exigi tota pœna, id intellige juxta declarationem, quam Author ipse nobis exhibet in Angelica ver. *Pœna* num. 14., ubi, proposito casu, sic constituit -- Respondet Panormitanus in cap. *Suam* De pœnis, quod, si obligatio est dividua, non committit pœnam, nisi pro parte non soluta. Si vero est individua, sic solvet totam pœnam etiam de jure canonico. Et quando dicatur obligatio dividua, est quando solutio per se valet quoad partem tantum, quantum totum ad se totum. Individua vero dicitur, quando non valet illa pars per se. Exemplum. Promisi tibi scribere Bibliam, & Decretum, sic, si scripsi solum Bibliam, non solvam pœnam in totum, quia obligatio est dividua, quia Biblia per se valet secundum totum suum. Secus, si promisissem scribere Bibliam, & scripsi quatuor quinternos, certe non valet pro Biblia; & ideo obligatio erit individua, quia ad nihil per se valere possunt sine aliis --. Hactenus ipse. Eadem habet Merbesius super septima decisione Concilii Mediol. primi, quæstiuncula 5. conclus. 4., proferens idem exemplum, quod a Bartolo usurpatum est in L. *Stipulationes non dividuntur* ff. *De verborum obligationibus*.

A fortiori secundum Alexandrum Lombardum potest exigi pœna legalis, sive canonica, de qua 12. q. 2. Cap. *In legibus*: & etiam judicialis. Arguitur 23. dist. Cap. *Quamquam* in fine. Et hoc propter puniendam contumaciam debitoris, quando culpa sua non solvit; aliter non, nec legalis, nec judicialis, ut patet ex dictis.

(22) Eadem habet Astesanus lib. 3. tit. 11. de quarto num. 8. scribens -- *Est autem alia pœna quæ dicitur judicialis, ut si Judex præcipiat debitori, quod intra mensem satisfaciat sub pœna decem solidorum, vel simili. Hoc etiam non est usura, quia est apposita pro punienda debitoris contumacia. Arguitur dist. 23. cap. QUAMQUAM*.

En caput *In legibus* hìc laudatum -- *In legibus seculi cautum habetur: qui rem surripit alienam, illi, cujus res direpta est, in decuplum quæ sublata sunt restituat. Et in lege Divina legitur: maledictus omnis, qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus, amen. Talia ergo non præsumantur absque ultione, nec exerceantur absque sua damnatione. Proinde si quis Ecclesiasticas oblationes, & quod Deo consecratum est, rapuerit, vel consenserit facientibus, ut sacrilegus dijudicetur, & damnum*

in

in quadruplum restituat, & canonice pœniteat -- . En quod habetur in cap *Quamquam* -- *Pœna etiam juxta Ecclesiasticæ consuetudinis morem, & placitis talium inferenda, & ab iis, qui transgressores fuerint, persolvenda est*.

QUARTUMDECIMUM DUBIUM. Utrum Ecclesia, quæ a Vassallo suo recipit in pignus Feudum, quod ab eadem habuit, teneatur computare fructus in sortem?

Respondeo, quod non per Cap. *Conquestus* Extra *De usuris*. Et hoc intelligo, si tria concurrant. Primum, quod interim non recipiat servitium a Vassallo textu expresso *De Feudis* Extra Cap. 1. Secundum, si fructus Feudi non multum disproportionantur a servitio Vassalli, & non multum excedunt valorem servitii. Tertium, quod non stet nisi per Vassallum ad servitium exhibendum: quia si per Vassallum non staret quominus servitium exhiberet, tunc Ecclesia non faceret fructus suos secundum quod sentit Antonius de Butrio in Cap. 1. De Feudis. Et hoc idem tenet Innocentius: & maxime si fructus disproportionantur vel recipiat servitium a Vassallo.

(23) Casum hunc iterum exponit Author in Angelica ver. *Feudum* num. 31. & ver. *Usura primo* num. 11., exponunt item S. Bernardinus Serm. 42. art. 3. cap. 2., Lucius Ferraris ver. *Mutuum* num. 48., aliique. Accipe interim cap. *Conquestus* hic laudatum -- *Conquestus est nobis C. Clericus. Discretioni vestræ mandamus, quatenus si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus sortem recepistis, prædictam terram Clerico memorato reddatis: nisi terra ipsa de feudo sit monasterii vestri* -- . Accipe etiam caput primum De Feudis ab Authore indicatum -- *Insinuatione præsentium declaramus, quod gageria, quam de feudo Ecclesiæ suæ ab M. dignosceris recepisse, a te potest libere detineri, fructibus non computatis in sortem: ita videlicet ut quandiu fructus illos ceperis in sortem minime computandos, idem M. a servitio, in quo tibi, & Ecclesiæ tuæ pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis* -- . Casum hunc clarius exponit Glossa ibidem scribens -- *Casus. Episcopus Marien. recepit in pignus quasdam possessiones ab M. pro quadam pecuniæ quantitate, quam mutuavit eidem: quas dictus M. ab Ecclesia Marien. tenebat in feudum. Quærebatur, utrum Episcopus deberet computare fructus in sortem? Respondetur, quod Episcopus potest licite retinere gageriam prædictam fructibus non computatis in sortem, quamdiu sortem non restituerit totam. Ita tamen quod, quamdiu fructus illos receperit non computandos in sortem, di-*

ctus

ctus M. a servitio, quo Ecclesiæ illi pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis. Nota hic casum, in quo fructus non computantur in sortem, nec tamen committitur usura .... In hoc casu permittitur Ecclesiæ fructus non computari in sortem, ut res illa citius perveniat ad Ecclesiam. Simile infra De usuris cap. 1., & cap. Conquestus: & in alio casu non computatur fructus in sortem, ut infra eodem tit. De usuris cap. SALUBRITER.

In oppositum proferri potest Regula 45. ff. *De diversis regulis juris antiqui*, quæ ita habet -- *Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest* --. Sed respondeo regulam hanc intelligendam esse de re, quæ omni jure est propria, quod non verificatur in casu. Si igitur unus habeat dominium directum ut Dominus, & alter dominium utile, ut Feudatarius vel Emphyteuta, nihil prohibet, quod qui habet dominium directum, recipiat in pignus illud idem, super quo alter habet dominium utile, & non amplius, sicuti per leges Canonicas hic productas liquido patet: quia accipit in pignus dominium utile, quod, ut supponitur, non erat suum, sed alterius.

Placet summopere quod adnotatum invenio in Angelica super num. 31. ver. *Feudum -- Adderem salvo meliori judicio, quod, si Feudatarius esset in magna necessitate, Ecclesia teneretur gratis mutuare.*

Casum Authoris proponit etiam Joannes Pontas ver. *Usura* casu 24., & eodem modo respondet sub initio responsionis scribens -- *Non obligatur ad deducendos de principali sorte .... fructus, quos ex prædicto prædio percepit, eosdemque jure potuit suos facere tanquam provenientes ex fundo, qui sibi jure legitimo cedit.*

Egregie iccirco Natalis Alexander Lib. 3. art. 5. Regula decima idem statuens, & confirmans -- Cum enim creditor in eo casu directum habeat rei oppignoratæ dominium, fructus non tanquam ex pignore, sed tanquam ex re propria percipit; fructus autem ex re propria percepti computandi non sunt ad extenuationem sortis. Hæc porro exceptio fundata est in natura, & conditione feudorum, quæ cum pignoris loco ad verum & directum Dominium redierint, dominium utile, seu potestas legitima percipiendi fructus, cum dominio directo consolidatur; & propterea fructus ad Dominum feudi pertinent: modo Vassallum absolvat ab omni servitute, & onere, quo propter fructuum possessionem adstringebatur. Hæc ille.

QUINTUMDECIMUM DUBIUM. Utrum liceat hoc idem in Feudis laicalibus?

Respondeo secundum Baldum, quod sic, si, ut dixi, prædicta tria concurrant: quia ubi eadem ratio, & idem jus

jus Cap. *Translato* Extra *De Constitutionibus*, & L. *Illud* ff. *Ad legem Aquiliam*, & ff. *Ut in possessionem Legatorum vel fideicommissorum* L. *Is*, *cui*, & Institut. *Quod cum eo qui in aliena potestate est* §. *Eadem ratione .... Istas tamen duas*. Nam licet execrabilis sit usura respectu laicorum, execrabilior tamen est respectu Clericorum Extra *De usuris* Cap. 1. & 2.: & multa licent laicis, quæ non licent Clericis 88. dist. Cap. *Fornicari*, & Extra *Ne Clerici vel Monachi* Cap. 1.

(24) Hoc idem fuse probat Astesanus lib. 3. tit. 11. de quarto sub initio, nonnullos enumerans casus, in quibus potest aliquid exigi ultra sortem sine usuris.

Sed quid, si Vassallus Ecclesiæ vel Domino servire velit, durante pignoratione prædicta -- numquid, si velit computare, aut recipere fructus, licitum erit ei? Hujusmodi interrogatio est S. Bernardini ibidem. Habeto igitur ejusdem responsum -- *Dicendum, quod, si in hoc casu conveniant, debent computari: secus non debent, ut notat Bern., & Hostiensis Extra De Feudis cap. 1.: quia res de facili revertitur ad id, quod sibi jus & natura ab initio concessit ff. De pactis L. SI UNUS §. PACTUS, & §. seq., & Extra De officio & potestate Judicis delegati cap. Super quæstionum*, §. *Porro* --. Habeto quoque responsum Authoris in Angelica ver. *Feudum* num. 32. -- ℞., *quod, si Vassallus facit tanquam ex debito, tunc fructus teneretur* [intellige Dominus] *restituere, & sic videtur juri suo renunciare, nisi protestetur. Arguitur in L. 2. C. DE JURE DOMINII IMPETRANDO, & in cap. CUM M. FERRARIENSIS Extra DE CONSTITUTIONIBUS. Secus esset, si ex liberalitate, sciens se non teneri, Vassallus exhibet consueta servitia.*

Dices: usura est in mutuo accipere aliquid ultra sortem. Usura aliunde jure Divino est prohibita, ut cuique notum est. Porro quæ sunt juris Divini a Summo Pontifice relaxari nequeunt textu expresso cap. *Sunt quidam* 25. q. 1. -- *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges. Quod & nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum vero summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Ubi vero aperte Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes Sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere* [*quod absit*] *niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed*

hoc

hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optime custodierunt --. Non ergo potuit Romanus Pontifex lucrum permittere in genero, sicuti permisit in cap. *Salubriter*, neque in Ecclesia mutuum dante, sicuti eidem permisit in cap. *Conquestus*, & in cap. 1. *De Feudis* supra productis.

℞. Falleris putans Romanum Pontificem Dominicum relaxasse præceptum in capitibus enarratis. In capite *Salubriter* id permisit ratione interesse, ut superius ostendi. Ratione interesse pariter id licere dixit in casu Ecclesiæ mutuum dantis Vassallo suo, seu Feudatario. Responsum hoc S. Bernardini est ibidem scribentis -- *Preterea, si esset usura, Papa non posset aliquem privilegiare contra præceptum Dei*, 25. *q.* 1. *cap. SUNT QUIDAM sed ad interesse tantum .... Ratio igitur, quare in hoc casu aboletur usura, est, quia Vassallus non est Dominus feudi, quamvis in eo habeat utile dominium, & secundum aliquos non est major Domino --*. Responsum hoc Fagnani est, cujus verba recitat Ferraris ver. *Mutuum* num. 48. inquiens -- *Quia, ut recte notat Fagnanus in dicto cap.* 1. *De Feudis num.* 3., *Cum Vassallus interim non præstet conventa servitia Domino directo feudi, suspenditur obligatio contractus inter Dominum & Vassallum, & sic res feudalis redit ad primævam suam naturam; adeoque Dominus directus licite percipit ejus fructus ac si feudalis non esset, coalescente directo, & utili dominio --*. Non ergo Romanus Pontifex permisit usuram, aut præceptum Dominicum relaxavit: sed unice declaravit in in casibus expositis haberi justum titulum, & iccirco mutuatores sine usura posse facere suos fructus pignoris ultra sortem. Certum quippe est ipsum non posse super hoc præcepto aliquem dispensare, textu expresso cap. *Super eo* Extra *De usuris -- Respondemus, quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus: quia cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri: multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. ---*

SEXTUMDECIMUM DUBIUM. Utrum statutum, vel consuetudo valeat secundum conscientiam, qua ordinatur, quod missus in possessionem lucretur fructus ad rationem quinque pro centum?

Respondeo secundum Baldum in L. *Acceptam* C. *De usuris* q. 18., quod sic, quum illos lucretur ratione interesse. Quod dicit etiam notatum in Glossa super §. seu Cap. *Si vero* in Authentica *De exhibendis, & introducendis reis* (Collat. 5. tit. 8.) quæ Glossa incipit: *Quod leges*, & se-

 cun-

cundum eum est singularis. Nec mirum, quum hoc ob nimiam contumaciam auctoritas Prætoris facere possit, ut L. *Fulcinius* §. finali ff. *Quibus in Causis in possessionem eatur*. Sed tamen de mente Bartoli in L. *Si finita* §. *Julianus* ff. *De damno infecto*, quamvis supradicta Glossa hoc dicat, scilicet quod missus in possessionem lucretur fructus, consuetudo illa non est justa secundum eum, quum sit contra jus divinum in fraudem usurarum: quare dicit eos computandos esse in sortem. Et hoc verum est, si sit in fraudem. Sed si in locum legis pœnalis, ut debitor arctetur ad satisfaciendum, concurrentibus conditionibus positis in tertiodecimo dubio hujus articuli, & tertii verbi definitionis: vel loco interesse cessanter, vel emergenter, talis consuetudo, vel statutum sit emanatum: tunc bene dicit Baldus cum Glossa, quæ sic intelligenda est, & etiam ipse Baldus. Quod ego verum intelligo in eo, qui juste missus est in possessionem, non tantum ex ordine, sed etiam ex causa: hoc est quod in veritate sit creditor, & mittatur in possessionem propter interesse, vel ad puniendam contumaciam debitoris.

(25) Loquitur hìc Author de eo, qui in possessionem missus est legitima Judicis auctoritate. Judicem ob contumaciam unius partis posse alteri parti adjudicare fructus, res est utroque jure sancita, civili nempe & canonico. Civili, inquam L. *Fulcinius* §. finali ab Authore producto, ubi sic lego -- *Divus quoque Pius in persona ejus, qui hæreditatem possidens copiam sui non faciebat, rescripsit, in possessionem rerum hæreditariarum adversarium inducendum: in quo Rescripto & fructum percipere jussit eum, qui per nimiam contumaciam possessoris hæreditatis, ut lucro ejus cedat, in possessionem inductus est rerum hæreditariarum* --. Canonico item cap. *Contingit* Extra *De dolo & contumacia*, quod sic habet -- *Contingit autem quod cum actori ob contumaciam adversæ partis adjudicatur [caussa rei servandæ] possessio: propter Rei potentiam, sive dolum, actor intra annum rem custodiendam nancisci non potest, vel acquisitam amittit: & sic [cum secundum multorum assertionem verus non efficeretur post lapsum anni possessor] reportet commodum de malitia sua Reus. Ne igitur contumax melioris, quam obediens, conditionis existat, de canonica æquitate sancimus*,

cimus, ut in casu præmisso actor verus constituatur elapso anno possessor --. Pœna hæc in omni ferme casu potest imponi, ut colligitur ex cap. *Dilecti* Extra *De arbitris -- Quamvis autem secundum regulam juris civilis fœminæ a publicis officiis sint remotæ.... quia tamen juxta consuetudinem approbatam, quæ pro lege servatur, in partibus Gallicanis fœminæ præcellentes in subditos suos ordinariam jurisdictionem habere noscuntur: mandamus quatenus Hospitalarios, ut arbitrium ipsum, præsertim cum Episcoporum fuerit præsentia & consilio roboratum, sicut provide latum est, & ab utraque parte sponte receptum, observent, per pœnam in compromisso statutam appellatione postposita compellatis.*

Sed quid juris, si cesset contumacia? Arbitror tunc missum in possessionem nihil amplius posse recipere, *eum cessante caussa cesset effectus* cap. *Cum cessante* Extra *De appellationibus*.

Nota hæc quasi postrema Authoris verba -- *Quod in veritate sit creditor* --: quoniam pro debito non vero decretum Judicis interpositum effectum suum habere non debet, textu expresso ff. *Ne vis fiat ei* L. 1. §. 5. -- *Hæc verba: quanti ea res erit, ob quam in possessionem missus erit: continent utilitatem creditoris, ut quantum ejus interest possessionem habere, tantum is, qui prohibuit, condemnetur. Proinde si ob falsum creditum, vel ob falsam petitionem missus est in possessionem, vel si exceptione summoveri potuit, nihil ei debet prodesse hoc Edictum: quia propter nullam caussam in possessionem missus est* --. Jure igitur S. Bernardinus, a quo Author hujusmodi casum accepit, Serm. 42. art. 3. cap. 1., sic rem concludit -- *Quod tamen verum intelligo in eo, qui juste missus est, non tantum ex ordine, sed ex caussa: si enim in veritate creditor non foret, seu justa caussa non subesset, sibi conscientia recta capitale, seu sortem retinere non posset, sic etiam nec fructus nomine interesse.*

DECIMUMSEPTIMUM DUBIUM. Utrum habens ducentos ducatos, qui tradit centum Joanni in suis necessitatibus mox expendendos cum hoc pacto, quod sicut alii centum, quos mercatori in societatem tradit, lucrabuntur, vel perdent, sic isti lucrentur vel perdant, sit usurarius?

Respondeo secundum Innocentium in Cap. finali *De usuris*, & Joannem Andreæ ibidem, quod sic. Ratio, quia aut est tradita talis pecunia per modum mutui, & sic est usura: aut per modum depositi, & tunc ipsa sola debet reddi absque omni lucro; immo remunerandus est qui tale depositum servavit: aut per modum capitalis, ut sci-

licet in persona tradentis deputetur emptionibus & mercationibus. Sed hoc non potest esse, quia pactum repugnat.

(26) S. Bernardinus Serm. 42. art. 2. cap. 1. totus est pro hac sententia non solum propter momenta hic producta, sed etiam -- *quia talis hoc pactum in fraudem usurarum adinvenisse videtur* -- & insimul -- *quia, sicut patet* 88. *dist. cap EJICIENS, pecunia ex se sola minime est lucrosa, nec valet nisi seipsam, sed ex industria mercantium fit propter eorum negotiationes aliquando lucrosa: sed nihil est hic tale* --. Tabiena ver. *Usura secundo* num. 7., ambabus opinionibus expositis, sic concludit -- *Unde casus remanet dubius, & in hoc crederem tutiorem viam eligendam*.

Alii tamen magni Doctores tenent quod sit licitus: quod credo verum, si sit tanquam interesse illud, quod recipit, puta quia volebat omnes ducentum in societatem ponere, & ad instantiam Joannis ipsi dedit centum: dummodo concurrant quæ dicta sunt in primo dubio tertii verbi diffinitionis usuræ.

(27) Author in Angelica ver. *Usura primo* num. 17. hunc eundem casum iterum proponit, & eodem modo respondet scribens -- *Sed si omnes ducentos volebat in negotiationem ponere, & ad instantiam Joannis sibi taliter dedit, erit licitus contractus, dummodo concurrant prædicta quinque præcedentis quæstionis* --. Quintum horum quinque erat hoc -- *quintum, quod id, quod accipit, sit vere interesse suum probabiliter, & pro interesse accipiat; aliter erit usura* --. Et reipsa quum non sit vetitum, immo cuique liceat alteri petenti non satisfacere, nisi ipse servetur indemnis cap. *Pervenit* Extra *De fidejussoribus* -- *Mandamus itaque discretioni vestræ, quatenus si ex confessione prædictorum Clericorum, vel alias legitime vobis rem ita se habere constiterit, moneatis eosdem, ut memorato R. pecuniam, quam pro eis solvit, restituant, ipsumque servent indemnem* -- : & Glossa super cap. *Quoniam* 14. q. 4. -- *Videtur hic, quod prohibeamur sumere usuram causa lucri captandi, non autem vitandi damni* -- : & cap. *Si quis de Clericis* 12. q. 2. -- *Si quis de Clericis documenta, quibus Ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis fortasse tradere, damnabili & punienda obstinatione præsumpserit, quicquid per absentiam documentorum damni Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat* -- : Quum mutuator dubio procul damnum pateretur, si gratis Joanni mutuam daret pecuniam jam societati assignatam, & in gratiam ipsius a societate detractam: non video quare in casu habendus sit tanquam usurarius.

Eo vel maxime quia pecunia hæc apud mutuatorem jam habet rationem sa-

capitalis, ut asserit S. Bernardinus ibidem cap. 2. de consimili pecunia, quam quis rogatus alteri mutuam dat cum lucro, quod per negotiationem, cui jam erat destinata, probabiliter habuisset: de qua superius dixi exponens primum dubium super hoc tertio verbo definitionis. Placet adferre ipsa verba S. Doctoris -- *Tertio quoque licet ratione utilitatis: nam Extra DE USURIS in cap. NAVIGANTI dicitur, quod qui pannum, vel granum, aut alias merces vendit, ut amplius quam valeant in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus, usurarius non reputatur: si verisimile creditur, quod tempore solutionis prætaxato tantum sint valitura. Ecce quod hic notanter dicit, si tempore contractus non fuerat venditurus; illaque conditio hac solum ponitur ratione, quia, si tunc fuerat illa venditurus, tunc pro futuro tempore prætaxato apud eum vendibilis non habuisset rationem. Quia ergo pro illo tempore futuro habuit apud eum rationem vendibilis, ideo licite illa vendit secundum valorem illius futuri temporis probabiliter creditum. Ergo consimili ratione iste, quia sua pecunia jam habet rationem capitalis, potest ex ea ratione suæ capitalitatis exigere in præfato casu.*

Secus certe esset dicendum, si penes se haberet aliam pecuniam inertem, & otiosam, societati non assignatam: quia tunc gratis mutuam dando summam, de qua in casu, nihil damni ei eveniret: quum commode posset pecuniam otiosam substituere, & integram paratam inire societatem. *Illud semper meditandum*, apposite Concina de Justitia & Jure lib. 3. dissert. 3. cap. 14. num. 9., *nempe usuras sensim sine sensu serpere. Quare summa opus est vigilantia, ne sub fictis titulis grassentur. Sed cavendum quoque ab injustitia debitorum. Plurimi mutuum petunt, credito emunt, spondentes promptam restitutionem, & frequentissime oppignoratam fidem frangunt cum damno creditoris. Quare illi cogendi sunt ad damni compensationem .... Extrema tam ex parte creditorum, quam ex parte debitorum diligentissime vitanda sunt.*

Accedit, quod lucrum ex utraque parte est incertum, quamvis ut in pluribus cedat in favorem mutuatoris. Dixi, ut in pluribus: quoniam sæpenumero videmus nihil lucrifieri ex societatibus, vel parum, & quandoque sortem ipsam amitti ex parte, vel in totum.

Cujus indolis igitur, dices, erit hujusmodi contractus? Mutui certe, tametsi firmatus juxta leges contractuum societatis. In mutuo nullum lucrum accipi potest etiam minimum. Ita est ratione mutui, non autem ratione interesse, sicuti est in casu.

Hæc omnia posui propter illud tertium verbum diffinitionis, quo dicitur *ipsius rei usus gratia*. Ubi dixi notanter illud esse dictum, quia loco pœnæ vel interesse, &

 absque

absque fraude aliquid ultra sortem acceptum non est usura, ut ex dubiis positis patet.

(28) Super usura nonnullas habemus propositiones a Summis Pontificibus proscriptas, hanc nempe ab Alexandro VII. die 19. Martii 1666., quæ est 42. in ordine -- *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus* --: Et sequentes ab Inno. XI. die 2. Martii 1679., in ordine 40., 41., 42. -- *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri* -- : *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari* -- : *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum* --. His adde Constitutionem vere singularem & eximiam Benedicti XIV. datam anno 1745. die 1. Novembris, quæ incipit -- *Vix pervenit ad aures nostras*, & quam videre potes apud Lucium Ferraris ver. *Usura* num. 103. In ea enim multa sancivit sapientissimus Pontifex ad usuram in contractibus detegendam aptissima: &, privatos doctores quod respicit, cum omni veritate dixit -- *Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent tanquam illicitam, & cum usura conjunctam. Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment*.

Ad cujus declarationis intelligentiam noto, quod, quando damnum evenit ratione lucri cessantis, æstimatio non debet deduci in infinitum: sed, ubi res est certa, æstimatio interesse non debet excedere duplum rei principalis: ubi vero est incerta, æstimatio fit arbitrio boni viri, adeo quod in immensum non excedat, ut L. unica C. *De sententiis, quæ pro eo quod interest, proferuntur*.

(29) Hæc est lex, de qua Author -- *Sancimus itaque in omnibus casibus, qui certam habent quantitatem, vel naturam, veluti in venditionibus, & locationibus, & omnibus contractibus, hoc quod interest dupli quantitatem minime excedere. In aliis autem casibus, qui incerti esse videntur, Judices qui causas dirimendas suscipiunt, per suam subtilitatem requirere, ut hoc, quod revera inducitur, damnum, hoc reddatur, & non ex quibusdam machinationibus, & immodicis perversionibus in circuitus inextricabiles redigatur .... Et hoc non solum in damno, sed etiam in lucro nostra amplectitur Constitutio* --. Res incerta esset, exempli gratia, captu-

captura piſcium; nemo enim in anteceſſum ſcire poteſt quot capientur; & icciroo ſtatuit L. *Si jactum* ff. *De actionibus empti, & venditi -- Si jactum retis emero, & jactare retem piſcator noluerit, incertum ejus rei æſtimandum eſt: Si quod extraxerit piſcium reddere mihi noluerit, id æſtimari debet, quod extraxit.*

Si autem damnum evenit ratione damni emergentis: aut hoc evenit ratione omiſſionis, & ſic ſolum conſideratur intereſſe intrinſecum, ut ff. *De actionibus empti & venditi* L. *Si ſterilis* §. *Cum per venditorem:* ubi dicitur, quod ſi frumentum vel ſimile non ſit datum emptori tempore ſuo, æſtimatio non veniet, quod animalia ſint mortua ex eo quod emptor ſuo tempore non habuit avenam, nam hoc intereſſe eſt extrinſecum a re: ſed bene veniet ut detur majus illud pretium, quo res valuit tempore, quo debuit dari: quia hoc eſt intereſſe intrinſecum, quod concernit rem, & venit ex ipſa re. Extrinſecum vero illud eſt, quod non ex re venit, ſed propter rem, ut in exemplo jam dicto. Prædicta tamen intelligo vera, quando creditor erat incurſurus damnum, etiamſi debitor nihil promiſiſſet: puta quia aliunde non habebat, unde provideret. Sed ſi evenit ratione commiſſionis, ut quia creditor aliter ſibi providiſſet, nec ejus animalia fuiſſent mortua, ſi non fuiſſet fraudatus promiſſione debitoris: Salvo meliori judicio credo, quod tenetur ſaltem in foro conſcientiæ ſatisfacere tale intereſſe extrinſecum, de morte ſcilicet animalium propter commiſſionem, & falſam promiſſionem: quia in foro conſcientiæ tenetur de omni damno, quod ejus dolo, vel culpa proximus incurrit.

(30) En legem *Cum per venditorem* hic memoratam -- *Cum per venditorem ſteterit quominus rem tradat, omnis utilitas emptoris in æſtimationem venit, quæ modo circa ipſam rem conſiſtit. Neque enim, ſi potuit ex vino, puta, negotiari, & lucrum facere, id æſtimandum eſt: non magis quam ſi triticum emerit, & ob eam rem, quod non ſit traditum, familia ejus fame laboraverit; nam pretium tritici, non ſervorum fame necatorum, conſequitur.*

Dum Author ait -- *quia creditor aliter sibi providisset* --, id intellige in hoc exemplo, quod ipsemet exponit in Angelica ver. *Usura primò* num. 30. -- *Exemplum: Promisisti mihi dare frumentum in tali termino, propterea non providi mihi aliter. Et ex quo tu non dedisti, non potui providere, ex quo animalia mortua sunt* --. Quoad definitionem, & divisionem interesse egregia sunt, quæ ver. *Interesse* scribit Author in Angelica -- *Interesse secundum Bartolum in L. unica C. DE SENTENTIIS, QUÆ PRO EO QUOD INTEREST PROFERUNTUR, proprie & stricte est æstimatio alicujus utilitatis non habitæ propter alicujus factum injustum, vel concessionem injustam: & est duplex: aliud lucri cessantis, & hoc est quando homo impeditur a lucro, quod fecisset, si talis pecunia sibi restituta fuisset, vel si talis læsio sibi non fuisset illata, & hujusmodi. Aliud est interesse damni emergentis, & hoc duplex, aliud in re, aliud extra rem. Interesse damni emergentis in re, vel circa rem, quod etiam dicitur intrinsecum secundum Bartolum ubi supra, & istud est ipsa res, seu ejus æstimatio, vel id, quod provenit immediate ex ipsa re, ut fructus, & partus, & hujusmodi. Ponitur exemplum. Vendidisti mihi vinum, quod valebat viginti, & tibi tradidi pretium, nec dedisti: nunc valet quadraginta: si traditum fuisset, tantum habiturus eram: & de hoc ff. DE ACTIONIBUS EMPTI ET VENDITI L. SI STERILIS §. CUM PER VENDITOREM. Interesse extra rem, vel extrinsecum, est, quod provenit non ex ipsa re, sed propter ipsam rem. Exemplum. Vendidisti vinum, nec tradidisti: sed si tradidisses, ex eo potuissem negotiari, & lucrari. Vendidisti granum, & quia non tradidisti, servi mei fame perierunt.*

Aut damnum emergens evenit ratione commissionis, & sic tenetur, & computabitur interesse extrinsecum, ut L. *Julianus* in principio ff. *De actionibus empti, & venditi*, ubi dicitur quod dans tignum vitiatum scienter tenebitur etiam de ruina domus, & in hoc casu æstimatio fit ultra duplum rei principalis, non tamen in infinitum: quia, licet consideretur ruina domus, non tamen quod forte propter hanc oportuit eum per multum tempus conducere domum. Facit ad hoc L. *In hoc judicium*, & L. *Neratius* ff. *De servo corrupto*: ubi corruptor servi tenetur non solum de servo, sed etiam de aliis rebus omnibus, quas servus tunc fugiens tulit; non autem de aliis, quas postea successive furatus est.

(31) Con-

(31) Consulto ait Author *scienter*, quoniam, si ignorans dedisset tale tignum, secus esset sentiendum, eadem L. sub initio -- *Julianus lib.* 15. *inter eum, qui sciens quid, aut ignorans vendidit, differentiam facit in condemnatione ex empto. Ait enim: qui pecus morbosum, aut tignum vitiosum vendidit, si quidem ignorans fecit, id tantum ex empto actione præstaturum, quanto minoris essem empturus, si id ita esse scissem. Si vero sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei. Sive igitur ædes vitio tigni corruerunt, ædium æstimationem, sive pecora contagione morbosi pecoris perierunt, quod interfuit idonee venisse, erit præstandum.*

Consulto pariter ait æstimationem non esse faciendam in infinitum: quia sola illa pensio restituenda est, cui propter ruinam domus quis subjicitur primo conductionis anno, ut ipsemet in Angelica ver. *Usura primo* num. 30. statuit inquiens -- *Unde non veniet pensio domus per longum tempus, sed videtur, quod veniat sola prima pensio* --. Id ipse probat iisdem legibus, quas hic produxit, quæ sunt hujusmodi --. *In hoc judicium etiam rerum æstimatio venit, quas secum servus abstulit: quia omne damnum duplatur. Neque intererit ad eum perlatæ fuerint res, an ad alium, sive etiam consumptæ sint: etenim justius est eum teneri, qui princeps fuerit delicti, quam eum quæri, ad quem res perlatæ sunt* --. *Neratius ait, postea furta facta in æstimationem non venire. Quam sententiam veram puto, nam & verba Edicti: QUANTI EA RES ERIT: omne detrimentum recipiunt.*

Nonnullæ a Theologis adsignantur conditiones, ut ratione lucri cessantis, aut damni emergentis aliquid ultra sortem possit licite percipi. Præcipuæ sunt sequentes.

Prima, quod damnum acceptum verum sit, reale, & certum, non autem dubium, aut fictitium -- *Ut hoc, quod revera inducitur, damnum, hoc reddatur, & non ex quibusdam machinationibus* &c. -- L. *unica* C. *De sententiis, quæ pro eo quod interest, proferuntur.*

Secunda, quod hoc damnum proficiscatur ex mutuo, idque proxime, & immediate. Nulla quippe ratio habenda est damni aliunde quam ex mutuo accepti, vel imminentis. Quemadmodum enim creditor debitori cum proprio damno beneficium præstare non cogitur; sic debitor ad aliud damnum resarciendum, & compensandum non obstringitur præter illud, quod ipsius causa creditor accepit propter datum mutuum.

Tertia, quod creditor mutuo non det ex motivo avaritiæ, & ut magis, aut commodius lucrari possit; sed potius id faciat ex motivo caritatis, & benevolentiæ, ut gratificetur illi, qui mutuo sibi dari petit: ita ut mutuator potius vellet uti sua pecunia in aliquo commercio, aut negotio licito, quam illam mutuo dare cum interesse. Quod si e converso principaliter dat mutuo, quia putat se eo modo posse amplius,

aut

aut commodius lucrari, lucrum cessans tunc verum non est, sed palliatum.

Quarta, quod damnum æquale sit compensationi, quæ a creditore exigitur vel percipitur, ne cogatur debitor de gravioris damni compensatione transigere.

Quinta, quod debitor præmoneatur de tali mutuo accipiendo cum onere compensandi lucrum cessans, aut damnum emergens: quum nemo teneatur ad ea, quæ contractui sunt adventitia, nisi ei nominatim fuerint expressa.

Sexta, quod in præstituendo lucro cessante deducantur pericula, damna, labores, & impensæ: quia L. *Mucius* ff. *Pro socio* — *Neque enim lucrum intelligitur nisi omni damno deducto: neque damnum nisi omni lucro deducto*.

Septima, quod mutuator nullam aliam habeat pecuniam otiosam, quæ ad negotiationem, emptionem &c. possit substitui in locum ejus, quæ mutuo datur.

Lucri cessantis exactio, & perceptio in foro fori solis mercatoribus, & negotiatoribus adjudicatur, ut passim tradunt Juris periti, Baldus cum text. in L. 3. §. final. ff. *De eo quod certo loco dari potest*, Paulus Castren. ibidem, Jason in L. 1. *De summa Trinitate* num. 50. Cynus in Authentica C. De usuris q. 3., & alii. Ita Merbesius super septima decisione Concilii Mediol. primi quæstiuncula 2.. Id tamen intelligas volo de negotiatoribus lato modo sumptis: quoniam, quum lucrum cessans accidere dicatur, dum quis privatur lucro, quod de præsenti & proximo fecisset, si mutuas non dedisset pecunias: contingere hoc potest etiam in illis, qui ex instituto non negotiantur, sicuti patet in variis casibus jam adductis, & patebit etiam in nonnullis aliis inferius adducendis. *Omnes Judices nostros veritatem, & legem, & justitiæ sequi vestigia sancimus* L. *Nemo* C. *De sententiis & interlocutionibus*. Sive igitur is, cui lucrum cessat, verus negotiator ipse sit, sive improprie talis, Clericus puta, Causidicus, vir nobilis &c., nec forum fori negare eidem potest quod justum est.

Complures, ut audisti, usque nunc ab Authore producti sunt casus de mente ipsius ab usuræ labe prorsus immunes. Nollem tamen inde inferas usuram quandoque concessam esse, atque permissam. Non ita sane, non ita est. En quod unice inferri cum omni veritate potest -- *Ex his igitur patet* [verba sunt S. Bernardini serm. 42. sub initio] *quod improprie dici soleat, quod in tali & tali casu, aut in tali terra, in tali contractu permittitur usura, quia in nullo casu est permissa. Unde quando aliqui casus ab usura a Doctoribus eximuntur, non est intelligendum, quod in illis casibus committatur usura, sed quod in eis prima facie aliquid simile concurrat usuræ, sicut in processu præsentis sermonis in multis casibus diffusius patebit*.

QUAR-

QUARTUM VERBUM diffinitionis usuræ est *pactione interposita*, *vel exactione*: quia, etiamsi sine pacto aliquid extorqueatur, usura est 14. q. 3. Cap. *Plerique*; ideo debet addi -- *vel exactione* --. Pro cujus verbi declaratione quæruntur septem dubia.

(1) EN caput *Plerique* hic memoratum -- *Plerique refugientes præcepta legis, eum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usurarum emolumenta percipiunt. Ideo audiant quid lex dicat: neque usuram, inquit, escarum aceipies, neque omnium rerum. Item paulo post: & esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque sorti accedit usura est: quod velis ei nomen imponas, usura est* --. Apposite igitur Glossa ibidem -- *Nolunt quidam facere contra legem, sed faciunt fraudem legi. Ille vero facit fraudem legi, qui observat verba legis, sed mentem ejus circumvenit, ut ff. DE LEGIBUS L. FRAUS* --. Accipe verba hujus postremæ legis -- *Fraus enim legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit.*

PRIMUM DUBIUM. Utrum licitum sit servitium pro servitio in pactum deducere: ut mutuo do tibi decem cum pacto, ut mutuo des mihi alia decem?

Respondeo secundum Thomam 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. quod non. Sed contra. Talis naturaliter obligatus est ad antidora Extra *De Testamentis* Cap. *Cum in officiis*, & ff. *De hæreditatis petitione* L. *Sed & si lege* §. *Consuluit*, & Extra *De Præbendis*, Cap. *Significatum*. Ad hoc respondet Glossa in Cap. *Si fæneraveris* 14. q. 3., quod non potest deducere in pactum; non enim ex hac naturali obligatione sequitur, quod deduci possit in pactum, ut notat Glossa ibidem. Secunda ratio est secundum Archidiaconum in dicto Cap., quia antidorum est debitum simplex; & ideo, cum deducitur in pactum, nascitur obligatio civilis, & ita plus promittitur. Est ergo debitor post pactum qui prius

prius non erat ex antidoro: & ſic eſt uſura, ex quo plus promittitur. Non ſic autem in caſu, quia ipſa (ſcilicet antidora) debita inſunt ex natura rei, & ex onere ſibi injunɛto. Cum ergo hoc deducitur in paɛtum, non eſt aliud, niſi declarare quod prius inerat. Iis concordant Hoſtienſis, Goffredus, & Ray.: Addit tamen Gloſſa in præcit. Cap. *Si fœneraveris*, quod, ſi eguerit talis mutuator, poteſt exigere per modum gratitudinis, non tamen ex lege, vel neceſſitate ut diɛtum eſt.

(2) Do verba ipſa S. Thomæ -- *Dicendum, quod pecunia non poteſt vendi pro pecunia ampliori, quam ſit quantitas pecuniæ mutuatæ, quæ reſtituenda eſt: nec ibi aliquid eſt exigendum, aut expeɛtandum, niſi benevolentiæ affeɛtus, qui ſub æſtimationem pecuniæ non cadat: ex quo poteſt procedere ſpontanea mutuatio. Repugnat autem ei obligatio ad mutuum faciendum inpoſterum, quia etiam talis obligatio pecunia æſtimari poſſet. Et ideo licet mutuanti unum ſimul aliquid aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum inpoſterum faciendum* -- . Quænam ſit mens Authoris hac ſuper re, vix aut ne vix quidem ex ipſius verbis judicari poteſt. Hinc videtur idem ſentire cum D. Thoma, quæ eſt opinio noſtris hiſce temporibus pene communis. Illinc ſuſpicionem præbet adſerendi, ſe, poſitis quibuſdam moderationibus, contrariam adamare ſententiam, quæ fuit Laurentii de Rodulphis, Cardinalis, Joannis De Anania, aliorumque veterum, ut lego in Annotatione ſuper Angelica ver. *Uſura primo* num. 4., ubi Author agit de eodem caſu. Præſertim quum ibidem ipſe ſcribat -- *Ego tamen credo, quod, quando naturalis obligatio deducitur tali modo in paɛtum, non magis tenetur quam ex ipſa naturali obligatione: ut puta dicendo: ego mutuo tibi, ut tu mutues poſtea mihi ſi indiguero, & hoc commode facere poteris: quia non ſit uſura. Quod etiam tenet Hoſtienſis in Summa: quia iſtud non eſt exigere pluſquam velit natura contraɛtus. Facit ad hoc cap. SIGNIFICASTI, DE ELECTIONE, & quæ ibi notat Panormitanus. Secus eſſet, quando ſimpliciter deduceretur in paɛtum, ut ſibi remutuaret, quia ſic eſſet uſura. Et ſic intellige, & limita prædiɛta.*

Rotunde tamen & abſque ulla moderatione, aut exceptione ceu uſurarium habet ſic mutuo dantem cum paɛto remutuationis S. Bernardinus Serm. 36. art. 3. cap. 3., ubi inter alia ſcribit ſequentia veriori S. Thomæ ſententiæ cohærentia -- *Licet ergo præſtitor poſſit, quum poſtea eguerit, conſimilem mutui gratiam exigere, potius per modum gratiæ, & gratitudinis, quam per modum venalis juſtitiæ: non tamen ſequitur ex hoc, quod de re* mu-

mutuata aliquod pretium superabundans exigere posset. Quare ergo ad consimilem mutuationem præstitori sub pacto astringi derogat, quæ competit mutuo ex sua specie --. Et multis interjectis -- *Et si dicatur, quod non præstat eam pro re, sed pro beneficio: respondetur, quod remuneratio beneficii hujusmodi a jure naturali non est taxata, nec ab aliqua ratione intellectus. Quapropter deducere voluntatem ad necessitatem, & obligationem informem, non est secundum metas justitiæ naturalis. Licet sit ex debito amicitiæ, non est tamen ex debito justitiæ. Ex quo non inducitur necessitas, sed spontanea voluntas.*

Absolute pariter hunc mutuatorem usurarium dixit Astesanus lib. 3. tit. 11. de quinto scribens -- Quid si mutuem tibi pecuniam, pro pretio, ut iterum remutues mihi, nunquid sum usurarius? Respondeo, quod sic; licet enim obligeris mihi ad antidora ff. *De pet. hæred.*, *sed etsi Lege* §. *Consuluit*, & Extra *De testament.*, *Cum in officiis:* illam tamen obligationem naturalem deducere in civilem est species lucri, & ideo est usura secundum Glosf. 14. q. 3. *Si fœneraveris* & secundum Ray. & Gof. -- Hæc ille. Prosequitur postmodum producens rationes Hostiensis in oppositum, easque refellens. Immo statim exhibet alterum casum, in quo etiam vult mutuatorem esse usurarium. En ejusdem verba -- Quid si quis mutuet pecuniam hac spe, sive intentione principaliter alicui, ut ille alia vice remutuet sibi? Respondeo, mutuans sperare illud potest in simili casu ab accipiente, non tamen ex vi mutui, sed ex accipientis charitate. Et quia ex præcepto Dei tenemur mutuare indigenti, si hac intentione principaliter mutuet, non est sibi meritorium: quia non ponit finem Deum. Immo dicitur Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, scilicet ab homine, sed a Deo secundum Alexandrum de Anglia 3. tract. 4. cap. De præcepto mutui art. 2. cap. 2. contra responsionem aliquorum. Unde secundum Rodonensem Scholares, qui mutuant campsoribus, vel aliis Scholaribus principaliter hac intentione, ut illi remutuent sibi, quando indigebunt, usuram committunt --. Hactenus Astesanus.

Quod subdit S. Thomas suprammemoratus, licere nempe mutuatori simul recipere aliud mutuum a suo mutuatario: puta si Titio Evaristus pecuniam mutuam petenti diceret: faciam quod vis, modo hic & nunc mutuum des mihi frumentum, quo indigeo; id ab omnibus ultro probatur. *Ratio est*, ita Continuator Tournely part. 2. De contractibus cap. 3. art. 4. sect. 2., *quia ab eo, qui a me officium amicitiæ postulat, possum vicissim idem officium petere. Quod si præstare nolit, eum ut ingratum repellere licebit* --. Opportuna sunt quæ sequuntur -- *Notant tamen Salmanticenses, id usurarium, aut saltem injustum fore, si Titius frumentum, quod mutuum peto, non posset mihi præbere sine majori suo incommodo. Secus, si utriusque par sit incommodum, quia tunc plena erit æqualitas, ut notat Sylvius.*

Ac-

Accipe nunc, quod habetur in prima & secunda lege ab Authore producta. In cap. *Cum in officiis -- Cum in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse --.* *In* §. *Consuluit -- Quamvis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligaverunt.*

Placet etiam recitare integrum caput *Si fœneraveris*, quia multum confert ad usuras detegendas -- *Si fœneraveris homini, idest mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus, quam dedisti, expectes accipere: non pecuniam solam sed aliquid plus, quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus, quam dedisti, expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus.*

SECUNDUM DUBIUM. Utrum exigere aliquid ex pecunia signata data ad ostentationem, vel ad supponendum pignori, sit usura?

Respondeo secundum Thomam ubi supra art. 1. ad 6., quod non: quia est ibi locatio, quum eadem res numero reddatur, & ibi non sit mutuum. Concordat Hostiensis: & facit L. 3. §. finali, & L. seq. ff. *Commodati*, & Glossa in Cap. *Si fœneraveris* 14. q. 3., item Glossa in Cap. *Conquestus* Extra *De usuris*.

(3) Ad rem Scotus in 4. dist. 15. q. 2. §. *Sunt ergo tres contractus -- Intelligendum etiam, quod pecunia habet aliquem usum utilem ex propria natura, utpote ad videndum, ornandum, vel ostendendum possidentem tanquam divitem: & ad illum finem potest locari, sicut equus, vel aliud locabile: & pro usu isto, retento dominio, pretium recipi; & tunc ex toto est contractus locationis, vel conductionis, non autem mutuatio, seu mutui datio. Et deberet idem pondus numero restitui, nisi forte sufficiat locanti æquale in pondere & valore --.* Adde quod scribit S. Bernardinus eundem casum exponens serm. 42. art. 3. cap. 3. in fine -- *In tali siquidem pecunia non transfertur dominium in mercatorem, nec stat periculo ejus, sed periculo commodantis, sicut si locarentur argentea vasa --.* Adde quod adnotatum lego super Angelica ver. *Usura primo* num. 49. -- *Nec obstat id, quod dicit Archidiaconus in cap. Si fœneraveris, qui videtur innuere quod sit usura: quia hoc esset verum, si daretur pecunia ut quantitas: secus, si datur ut species, ut in hoc --.* Adde quod adjicit Tabiena ver. *Usura primo* num. 8. -- *Hæc debent intelligi secundum Rosellam, usura primo* §. 13. *quando locatio fit propter utilitatem recipientis. Si enim fieret depositum pro custodia, tunc esset depositum, & non commodatum: & tunc non potest plus accipere, immo tenetur recipienti pro labore.*

Accipe nunc verba S. Thomæ ab Authore laudati -- *Similiter potest*

esse

esse aliquis secundarius usus pecuniæ argenteæ : ut puta si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris : & talem usum pecuniæ licite homo vendere potest.

Accipe etiam duas leges ab eodem indicatas -- *Non potest commodari id, quod usu consumitur, nisi forte ad pompam, vel ostentationem quis accipiat* --. *Sæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ.*

Si quis adversus hanc S. Thomæ doctrinam regerat : quod sicuti licite venditur in casu usus pecuniæ datæ ad ostentationem, vel oppignorationem, ita licite venundari poterit usus pecuniæ mutuatæ. Audiat is egregium responsum, quo Merbesius corollario tertio, solvens tertiam difficultatem huic eidem objecto fecit satis -- Ista conclusio non recte ex Sancti Thomæ doctrina colligitur. Nam magnopere discrepat pecunia mutuo data a pecunia duntaxat conducta seu locata : nam in locatione usus a dominio secernitur; licet enim in ea rei locatæ dominium retineatur, ejus tamen usus venundatur, & in hoc locatio posita est. Verum secus accidit in mutuo, in quo rei mutuatæ dominium transfertur cum usu. Nihil ergo mutuanti percipere licet ex usu rei, cujus dominium, cum transtulerit ad alterum, ejus esse desiit. Si quis se aliter habeat, pro usurario se gerit. Quando igitur signata pecunia conducitur, suam quodammodo naturam exuit, neque tunc spectatur veluti moneta ad factitandas commutationes inventa, sed veluti quoddam mobile, cujus usus ab ipso mobili sejungitur, cujus proinde dominium directum non transit ad mutuatarium, seu conducentem, sed penes locantem, aut mutuo dantem remanet.... Unde duo colliguntur. Primum est, eam pecuniam a conducente non posse consumi, aut distrahi, eo quod directum ejus dominium nullo titulo sit adeptus. Quemadmodum enim nemo potest diruere domum conductitiam, quippe qui non sit ejus dominus; ita & qui conduxit pecunias, eas nullo modo consumere, aut distrahere potest, utpote qui earum dominio careat. Secundum est, si hujusmodi pecunia, nihil obstantibus justis conducentium curis, quas ad eam conservandam adhibuerint, pereat, domino peribit, & ad illum unum ejus jactura pertinebit, juxta pronuntiatum illud in utroque jure vulgatissimum -- *Res domino perit* --. Hactenus Merbesius.

TERTIUM DUBIUM. Utrum domini, qui mutuum dant rusticis, ut possessiones eorum colant, committant usuram?

Respondeo secundum Gregorium de Arimino in quæstione *De monte* circa definitionem usuræ, quod non, si istud concurrat, scilicet quod alias satisfaciat ipsi rustico de operibus positis ad colendam possessionem secundum quod

quod justum est. Sed si propter mutuum subtraheret aliquid ab illo de eo, quod juste propter opera sua sibi debetur, sic certum est, quod est usura.

(4) De hac re jam locutus est Author in secundo articulo primæ Considerationis, dubio septimo in fine, & ipse nonnulla ibidem adnotavi annotatione decima. Recole ergo quæ eo loci dicta sunt. Non desunt qui secus opinantur: sive quia mutuator perciperet lucrum ex mutuo, operas scilicet coloni: sive quia aufertur colono libertas conducendi possessionem ab alio. S. Bernardinus tamen Serm. 36. art. 3. cap. 3. Authoris sententiam & docet, & probat exemplo, ratione, & auctoritate. Omisso exemplo audiamus cæteras probationes S. Doctoris -- *Secundo patet ratione. Nam, si in casu prædicti dubii mutuans usuram reciperet, teneretur eam restituere, sicut omnia jura clamant. Sed hoc nullus sanæ mentis sentiret: quia tunc colonus duplum justi pretii reciperet, & dominus duplo justo pretio emeret operas ejus; quod utique impium esset. Tertio hoc idem clarescat auctoritate. Si enim talis mutuans usurarius esset, & per consequens ad restitutionem obligatus, tunc non liceret alicui mutuare injuste detinenti suam possessionem, aliquam pecuniæ quantitatem, & ipsam possessionem in pignus accipere, non computando fructus in sortem; quod tamen est falsum, ut patet Extra De usuris cap.* 1. --. Ad rationes in contrarium productas responderi potest, quod colonus tenetur ad operas ex contractu locationis, non autem ex mutuo: & operando non præbet lucrum mutuatori, sed ipsi verum exhibet debitum. Aufertur quidem colono aliqualis libertas; sed hoc colono non est injurium, quin potius cedit in ipsius commodum & utilitatem: & icirco non est quoad mutuatorem pretio æstimabilis, quod probo. Quum coloni sæpenumero indigeant, & conducere nolint possessiones, nisi domini eisdem aliquid mutuum dent: ipsi sunt qui quærunt locatores dantes mutuum, & inventis hujusmodi mutuatoribus gratias eisdem agunt quas possunt maximas. Ipsi ergo coloni sunt, qui sponte se privant libertate conducendi possessionem ab alio, dummodo dominus eisdem mutuum det quod postulant. Si ita est, mutuator nullam colono infert injuriam, nullam ipsi libertatem aufert, sed unice conditiones a colono oblatas ratas habet, quæ, si ut par est pensitentur, mutuatorem gravant, non mutuatarium.

Apposite subdit Author -- *Sed si propter mutuum subtraheret aliquid &c.* -- dubio enim procul tunc esset usura, ut scribit S. Bernardinus ibidem -- *Nam si ex mutuo aliquid dominus detraheret a colonis de justo pretio operarum eorum: aut si præter operas juste emptas quædam alia ab eis exigeret, & coloni impenderent, tunc quidem manifesta usura esset.*

Quid interim juris, si dominus ipse offerret mutuum colono indigenti cum

cum hac conditione, ut conducat possessionem suam pretio alioqui justo? Casus hic vix contingit in praxi, quum domini non soleant mutuum dare nisi rogati, & magis optent locare possessiones colonis in proprio statu divitibus, quam indigentibus. Posito tamen casu: aut alia via inveniri non possunt coloni, qui velint agros colere, sicuti in nonnullis regionibus sæpenumero contingit, & dixit Author loco supra laudato -- *Cum fundi non possint hodie sine mutuo locari colonis* -- : & tunc arbitror hoc non fieri in fraudem usurarum; non enim usura est offerre mutuum omnino gratuitum, & sine lucro ultra sortem; immo actus est charitatis supposita indigentia mutuatarii. Neque usura est propter appositam conditionem in hypothesi necessariam: quia hæc conditio efficit alium contractum, locati scilicet, qui justus supponitur, & utrique æqualis est utilitatis. Usura demum non est propter conductoris libertatem; quia colonus perfecta adhuc libertate gauderet accipiendi vel non accipiendi tum mutuum, tum locationem. Aut domini aliter possunt rebus suis providere, inveniendo colonos, qui agros colant sine prævio mutuo: & tunc tutum non est, cæteris paribus, hos relinquere, aliosque requirere offerendo mutuum prævium sub ea lege; immo hæc ipsa agendi ratio argumentum præberet suspicandi hoc fieri in fraudem usurarum. Hæc tamen dicta sint salvo meliori judicio.

QUARTUM DUBIUM. Utrum sit usurarius Titius, qui mutuum dat Communitati, ut evitet collectas injustas?

Respondeo, quod non. Secus est, si ut evitet justas. Similiter non est censendus usurarius, qui mutuum dat, ut sibi solvatur debitum, a quo debitor injuste fuerat absolutus: aut ne a se petatur injustum debitum, in quod injuste fuerat condemnatus, sive per factum, sive per instrumentum, & hujusmodi.

(5) De collectis injustis, & justis rationem tradit S. Bernardinus ibidem -- *Quia in prima mutuans damnum evitat, in secunda mutuans lucrum captat.*

Pro secundo casu ab Authore exposito rationem suppeditat Glossa in cap. 1. *De usuris* inquiens -- *Nec est usura, cum tantum suum recipiat.*

Pro tertio demum Authoris casu ratio est in promptu; redimo enim injustam vexationem, & me defendo.

Si in secundo casu agatur de Beneficio Ecclesiæ, textus est expressus eodem cap. 1. *De usuris* -- *Nisi forte Ecclesiæ Beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur* --. Cave tamen, ne credas hoc esse privilegium Ecclesiasticis rebus, aut personis concessum:

quoniam hoc idem licet laicis, ut Glossa ibidem -- *Idem intelligo de laico, quod hoc modo sibi licet redimere possessionem de manu injusti detentoris. Alienam tamen possessionem taliter redimere non posset: quia fructus illi non sunt sui; unde, si illos retineret, usura esset* --. Par est ratio tum in Clerico tum in laico, quia nempe recipit suum. Ergo par jus.

QUINTUM DUBIUM. Utrum dans mutuam rem cum pacto, quod eadem res in genere, numero, pondere, & mensura sibi restituatur, sumpto genere prout sumitur a Juristis, committat usuram?

(6) Non eadem est generis acceptio penes Logicos, & penes Jurisconsultos. Logici genus accipiunt pro eo, quod prædicatur de pluribus specie differentibus; & iccirco penes ipsos animal est genus, quia dicitur de homine & bellua; homo autem non est nisi species, quia prædicari solum potest de hominibus singularibus duntaxat numero distinctis. Jurisconsulti vero non distinguunt genus a specie logica, & juxta ipsos triticum verbigratia a vino distinguitur non specie, sed genere. En textum apertum ff. *De rebus creditis* L. 2. -- *Mutuum damus recepturi non eandem speciem, quam dedimus [alioquin commodatum erit, aut depositum] sed idem genus: nam si aliud genus, veluti ut pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum* --. Sensus igitur quæstionis est: utrum mutuo dare liceat cum pacto, quod reddatur triticum pro tritico, vinum pro vino, oleum pro oleo, lignum pro ligno in eadem quantitate & mensura, in qua fuit acceptum, vel quod reddatur pecunia pro pecunia ejusdem qualitatis, & speciei physicæ, quæ mutuo tradita est, puta nummus aureus pro aureo, argenteus pro argenteo, & hujusmodi?

Respondeo secundum Hugonem, quod non. Dicit Petrus de Ancharano in Cap. *Usurarum* Extra *De usuris*, quod aut verisimile est, quod res non erit pretiosior tempore solutionis, aut de hoc tantum probabiliter dubitatur, & tunc nullum vitium est in his duobus casibus: quia sic creditor tenetur eam recipere, etiamsi vilior facta sit quoad æstimationem, ut patet L. *Vinum* ff. *Si certum petatur*, & notat Glossa in Cap. *Si quis Clericus* 14. q. 4.: non est enim necesse, quod sit ejusdem æstimationis, licet restitui debeat ejusdem bonitatis in qualitate intrinseca. Aut verisimile est, quod erit pretiosior: & tunc aut creditor erat

ser-

servaturus, & aufertur libertas debitori liberandi se quando velit, & sic est usura: quia præsumitur, quod ideo crediderit, ut debitorem oneraret periculo, & se exoneraret: aut non aufertur libertas debitori, sed conceditur ei, ut reddat quando velit infra terminum, & sic non est usura. Si autem creditor non erat servaturus, sed interim consumpturus, tunc est usura. Iis concordat Archidiaconus in Cap. *Si quis Clericus*: & hæc distinctio magnæ innititur æquitati secundum Joannem Calderinum in Cap. finali *De usuris*.

(7) De hac re agunt Author in Angelica ver. *Usura primo* num. 36., Astesanus lib. 3. tit. 11. de quarto, S. Bernardinus Serm. 37. art. 3. cap. 3., Gabriel Antoine De contractibus part. 2. cap. 3. quæst. 4., Concina De Justitia, & Jure lib. 3. Differt. 3. cap. 19. num 11., Lucius Ferraris ver. *Mutuum* num. 31. & ver. *Usura* num. 48., Continuator Tournely De contractibus part. 2. art. 7. sect. 5. cap. 2., aliique complures, & omnes eodem modo respondent. Et quidem jure optimo: quoniam si dubium est, aut probabile, quod res non sit pluris valitura tempore restitutionis, tunc par est contrahentium conditio, & servatur æqualitas; nam erga utrumque est æqualis spes lucri, & æquale periculum damni. Quapropter licet eam exigere, quamvis valor ipsius postea mutetur sive in favorem mutuatoris, sive in favorem mutuatarii. Si vero certum est, aut probabilius tempore solutionis pluris esse valituram, dubio procul usura est, quia exigeretur aliquid ultra id, quod æquivalet rei mutuatæ, si non materialiter, saltim formaliter. Excipitur, quando mutuator rem erat servaturus usque ad illud tempus: quia tunc inspicienda res est non pro tempore, quo traditur, sed pro eo, quo debet restitui, & incrementum, si quod continget, erit mutuatoris, deductis tamen impensis, aliisque ejusdem generis a mutuatario factis pro re usque ad illud tempus conservanda. Postulat Author, quod non auferatur mutuatario libertas restituendi etiam ante illud tempus, quando velit. Et hoc videtur æquissimum, quoniam in vero mutuo possum præfigere tempus, ultra quod non differatur restitutio sortis, non autem obligare mutuatarium, ne antea restituat. Nec ex hoc damnum patior vel minimum, nam si ante tempus mihi restituit triticum verbi gratia mutuatum, ipse possum servare illud usque ad tempus majoris pretii, quemadmodum constitueram: si vero illud mihi restituit tempore præfixo majoris pretii, jam ipse sum in tuto, quia tunc habeo illud eo tempore, usque ad quod eram ipsum servaturus. Mutuator nullum pati debet detri-

trimentum. Sed nullum etiam potest ex mutuo lucrum percipere. Æquissimum est ergo, ut res restituatur ejusdem generis, ponderis, mensuræ, & intrinsecæ qualitatis.

Adverte hæc omnia esse vera juxta allatam distinctionem, quando pactum apponitur, de quo in casu. Secus enim, si generaliter loquamur, & secluso hoc pacto: quoniam, si de pecunia agatur, non species attendi debet, sed pretium; iccirco si mutuos accepisti centum aureos, quorum valor lege publica postea crevit, reddere non debes centum aureos in specie, sed pretium, quod constabant aurei tempore acceptionis, sicuti hoc idem pretium restituere debes, si pretium aureorum lege publica fuit imminutum. Si vero agatur de aliis rebus, quæ mensurantur, frumento puta, vino & hujusmodi, & post acceptionem mensuræ fuerunt adauctæ, reddere non debes totidem mensuras adauctas, sed illud duntaxat, quod necessarium est ad æquandas, & constituendas mensuras a te acceptas, & viceversa si mensuræ post acceptionem rei lege publica diminuerentur. Ratio est in promptu, quia mutuator non debet percipere lucrum, nec pati detrimentum, sed unice recipere suum vel in pretio, vel in mensura, tantum scilicet, quantum mutuo dedit.

Addit tamen Gullielmus, quod, si intentio mutuatoris in hoc esset prava, ut puta quia facit, ut se exoneret periculo, peccatum faceret: non tamen teneretur ad aliquam restitutionem, nisi forte ex consilio pauperibus dispensare.

(8) Prava hac intentione mutuum tradens usurarius non fieret, sed peccati reus, ut etiam docet S. Bernardinus ibidem. Non usurarius, quia nihil sorti accederet, ut supponitur, nihil acciperet ultra sortem. Reus tamen peccati, quia prava intentio inficit actionem, quæ moralem desumit malitiam ab objecto, & fine. Jure igitur Astesanus loco proxime memorato -- *Si autem hoc faciat intentione corrupta, scilicet ut se exoneret periculo eam servandi, peccat; non tamen est cogendus ad restituendum lucrum, licet hoc esset in pœnitentia consulendum, vel quod pauperibus daret.*

SEXTUM DUBIUM. Utrum qui mutuo dant granum vetus & hujusmodi, ut postea recipiant novum, sint usurarii?

Respondeo. Videtur quod sic, quia, ut dictum est in præcedenti quæstione, debet solum reddi ejusdem bonitatis in qualitate intrinseca. Sed hic redditur majoris bonitatis. Ergo usura Extra *De usuris* Cap. *Consuluit*, & Cap. *In Civitate*. Hostiensis vero, & Goffredus volunt, quod sit usura,

usura, quando facit hoc, ut meliorationem illam recipiat. Sed si facit, ne suum frumentum pereat, & inde accipienti gratiam faciat, non committitur usura: quia si ego absque tuo damno, & præjudicio aliquam consequor utilitatem, non ex hoc sum tibi injustus, aut injuriosus. Hugo etiam dicit, quod non audet istos condemnare, si ad hoc dant mutuum, ut subveniant proximo, & secundum quod declaratum est in præcedenti quæstione.

(9) Hugonis opinionem hìc ab Authore laudatam complectitur Tabiena ver. *Usura* 15. num 5. scribens -- *Notandum tamen, quod si quis mutuat vetus, vel aliter minus bonum, ut recipiat magis bonum, & tamen principaliter facit ex charitate, non esset condemnandus* --. Salvo tamen meliori judicio arbitror id fieri non posse, quemcumque finem mutuator sibi præstituat etiam sanctissimum, semel ac habetur aliqua superabundantia, & prævalentia. Prohibetur hæc etiam ob finem redimendi captivum cap. *Super eo* Extra *De usuris* -- *Quia cum scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri: multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur* --. Prohibita igitur pariter est, etiam si quis det mutuum ex charitate, & ut alteri subveniat. *Charitas non quærit quæ sua sunt*, ut optime Apostolus prima ad Cor. 13. v. 5.. Si igitur quis ad mutuum elargiendum vera charitate ducitur, unice sinat, ut sibi restituatur suum, non quid prævalens, non quid superabundans. Ad rem S. Bernardinus Serm. 39. art. 2. cap. 1. -- *Quum quis sub specie commutationis tritici pro tritico ante messes tradit alteri triticum vetus, ut in messibus recipiat novum, & prævalens, usuram committit secundum Goffredum. Ideo dico prævalens, quia, si illud vetus servatum usque ad messes tantum probabiliter valuisset, quantum novum pro illo receptum, non est ibi usura, sed potius æqualitas dici potest: quamvis præstitor reportaret ex hoc aliquam utilitatem renovationis sui tritici, ob quam caussam posset diutius conservari. Et hoc quidem est justum. Nam, si ego sine tuo damno & præjudicio aliquam consequor utilitatem, non ex hoc sum tibi injustus, aut injuriosus. Si tamen ante messem venditurus erat illud vetus, sed mutuavit alteri ad preces, tunc debet, & potest inde habere æquivalens pretium, quod tunc inde habuisset, si illud tunc vendidisset* --. En quomodo S. Doctor intelligit dictum illud -- *Si ego sine tuo damno* &c. --, & omnia reducit ad æqualitatem, qua sublata mutuator semper fit usurarius, etiamsi ad alterius preces quis mutuum det, & ex charitate. Et tu in hisce casibus, & consimilibus æqualitatem præ oculis habeas, quamcumque superabundantiam condemna, & recte judicabis.

Hæc dicta sint facta suppositione, quod triticum novum veteri præ-

valeat; quoniam, si juxta communiorem experientiam judicium feratur, res certe aliter se habet; vetus enim ut in pluribus valet pluris, quam novum, non amplius subjacet illi imminutioni, quæ in novo continget, nec illis periculis, quibus novum adhuc est obnoxium. In casu igitur potior esset conditio accipientis quam tradentis.

SEPTIMUM DUBIUM. Utrum dans decem ulnas panni pro aliis decem ulnis in futuro recipiendis, sit usurarius?

Respondeo secundum Rodonensem, quod non: quia hic est contractus permutationis, & non mutui, quum in mutuo mensura restringatur ad modios, & lagenas, & alia vasorum genera, quibus solent liquida mensurari, & grana similiter. Posset tamen fieri in fraudem usurarum; & ideo attendendum quod dictum est in quæstione præcedenti.

(10) Quæstio præcedens, quam hìc Author appellat, non est dubium immediate antecedens, videlicet sextum, sed quintum dubium, quod potes recolere. Ut permutatio non fiat in fraudem usurarum, servanda est regula, quam tradit Scotus in 4. dist. 15. q. 2. §. *Sunt ergo tres contractus* in hæc verba -- *Quod domini rerum juste eas permutant, si sine fraude servent æqualitatem valoris in commutatis secundum rectam rationem.*

Familiaris, ut audio, inter mercatores est permutatio, de qua in casu; passim enim unus alteri mutuum dat hoc vel illud mercium genus, easdem postmodum recipiens in æquali genere, pondere, & mensura, valorem rei non attendens, sive augeatur, sive decrescat. Pro hisce casibus opportunam censeo doctrinam, quam ibidem tradit Scotus inquiens -- *Quandoque autem relinquitur ipsis commutantibus, ut pensata mutua necessitate reputent sibi mutuo dare æquivalens hinc inde, & accipere. Durum est enim inter homines esse contractus, in quibus contrahentes non intendant aliquid de illa indivisibili justitia remittere sibi mutuo, ut pro tanto omnem contractum concomitetur aliqua donatio. Et si iste est modus commutantium, quasi fundatus super illud legis naturæ -- Hoc facias alii quod tibi vis fieri --, satis probabile est, quod, quando sunt mutuo contenti, mutuo volunt sibi remittere, si secundum aliquid deficiunt ab illa justitia requisita.*

Ex his igitur patet, quod nihil ultra sortem pactione, vel exactione est extorquendum; aliter esset usura.

QUIN-

QUINTUM, & ultimum diffinitionis VERBUM eſt -- *vel hac intentione habita ex poſt facto* --. A fortiori ante factum. Ad cujus declarationem aliqua inſurgunt dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum ſola ſpes lucri faciat uſuram?

Reſpondeo, quod ſic, ut patet in diffinitione uſuræ, & Cap. 1., & Cap. *Conſuluit* Extra *De uſuris*, & 14. q. 3. Cap. *Si fœneraveris*. Intelligendum hoc eſt ſecundum Goffredum, quando cauſa mutuum dandi principaliter ponitur in expectatione lucri, vel emolumenti. Aliter, ſi quis principaliter moveatur ad mutuo dandum propter charitatem, etſi credat, quod mutuatarius retribuet, non erit uſura. Arguitur 77. diſt. Cap. *In ſingulis*, & 59. diſt. Cap. *Si officia*, & 61. diſt. Cap. *Quid proderit:* Cum enim quis dat mutuum liberaliter & gratis, ſcire poteſt debitorem ſibi naturaliter obligari ad antidora, ut Extra *De teſtamentis* Cap. *Cum in officiis*, & ff. *De hæreditatis petitione* L. *Sed & ſi lege* §. *Conſuluit*. Concordant Innocentius, Hoſtienſis, & Gloſſa in dicto Cap. *Conſuluit*, *De uſuris*.

(1) DE hac re jam nonnulla dixi, ubi de ſecundo verbo definitionis uſuræ, dubio ſecundo. Ea igitur recole. Hic caſus eſt expreſſus in cap. *Conſuluit*, ubi ſic lego -- *An ille in judicio animarum quaſi uſurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat* --. Expreſſus item eſt cap. *Si fœneraveris*, quod jam ſupra integrum dedi annotatione ſecunda proxime præterita. Ad rem iccirco Chriſtus Dominus Lucæ 6. v. 34. -- *Et ſi mutuum dederitis his, a quibus ſperatis recipere: quæ gratia eſt vobis? Nam, & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia* --. Id egregie probat S. Bernardinus Serm. 37 art. 3.

I 4 cap.

cap. 3. ſcribens -- *Poteſt etiam de hoc ratio dari: nam ſicut datum, quod traditur ex intentione donandi, ſortitur veram rationem doni, & amittit veram rationem mutui; ſic, ſi mutuum datur ex ſpe, & intentione lucrandi, eo ipſo rationem mutui amittit gratuiti, & ſortitur rationem mutui uſurarii: & ſic ſola intentio, & voluntas faciendi uſuras, facit peccatum uſuræ in corde, ſicut intentio uſuraria exteriori operi juncta facit hominem exſtrinſecus uſurarium opere. Quod patet attendenti naturam uſurarum ſecundum diffinitiones datas .... hinc eſt, quod ſecundum leges humanas voluntas ſola non facit uſurarium, quia lex humana cohibet manum, non animum: ſecundum vero legem divinam, quæ animum cohibet, ſola voluntas uſurarium facit* --. Appoſite igitur S. Auguſtinus, cujus eſt caput *Si fœneraveris -- Si pluſquam dediſti expectas accipere, fœnerator es*.

Subdit Author id eſſe verum, quando ſpes lucri eſt cauſa princeps dandi mutuum; non autem quando cauſa princeps eſt charitas, & ſpes lucri cauſa duntaxat ſecundaria: & in hoc Doctores omnes conveniunt. Quando cauſa princeps ſit, nec ne, docte exponit S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 7. §. 1. ſcribens -- *Dicitur autem intentio principalis hæc, cum ſcilicet magis movetur ad mutuandum propter lucrum, quod ſperat, quam propter aliud. Sed intentio ſecundaria dicitur, cum, etſi ſperat aliquid ſibi dari ab eo, cui mutuavit, ex ſua liberalitate, tamen non illud eum movet, ſed magis benevolentia, ita ut, etiamſi non crederet ſibi aliquid dari ultra ſortem, adhuc tamen mutuaret* --. Rationem hujus adſignat Lucius Ferraris ver. *Uſura* num. 34. inquiens -- *Quia cum mutuatarius aliquid poſſit ſibi dare, immo ex antidorali obligatione mutuatori obligatus ſit, utique poterit hic aliquid etiam ſaltim ſecundario ſperare, & intendere. Licite enim poteſt ſperari, quod licite poteſt acceptari*.

Sed quum ſperare quis poſſit lucrum, etſi ſecundario, vel tanquam debitum, vel tanquam libere donatum; iccirco ad declinandas æquivocationes neceſſum eſt adjicere quod ſcribit Daniel Concina lib. 3. De Juſtitia & Jure diſſert. 3. cap. 16. num. 7. -- *Omnes fatentur ſperare ex mutuo tanquam ex juſtitia debitum, eſſe uſuram mentalem. Diſputatur tantum ſit ne licitum ſperare lucrum ex benevolentia, vel ex gratitudine. Exigere aliquid tanquam ex gratitudine debitum, uſura eſt, ut ex propoſitione damnata conſtat* --. [Hæc eſt propoſitio proſcripta ab Inno. XI., quam ſupra recitavi, ubi de tertio verbo definitionis uſuræ annotatione 28.] *ergo ſi illud ſperas, uſuram committis. Si enim vitioſa actio eſt, ejuſdem quoque ſpes mala ſit neceſſum eſt. Neque exigere ergo licet, neque ſperare aliquod lucrum tanquam ex gratitudine debitum. Verum ſicut licet aliquid accipere ex gratitudine ſponte oblatum, ita licet illud ſperare. Quoniam tum nihil ex mutuo ſperas, ſed tantum ex gratitudine: neque illud ſperas ut debitum, ſed tanquam ſponte oblatum* --. Similia habet Gabriel Antoine De contractibus part. 2. cap. 3. q. 17. in-

inquiens -- *At usura est intendere, etsi secundario, lucrum ex mutuo ut pretium, vel ut aliquid pro mutuo debitum, quia intentio, etsi secundaria, non tollit malitiam objecti, quo actus specificatur* --. Alicui forte videri possunt hæc tanquam nimiæ subtilitates, de quibus altum silentium penes antiquos. Non ita tamen, non ita est. Expendatur ut par est propositio damnata, de qua supra, & sponte fluet in præsenti Theologum non posse aliter opinari: quoniam, si in ea proscriptum est adserere, posse aliquem exigere lucrum in mutuo tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, proscriptum pariter erit id eodem modo sperare. Non enim possum sperare licite, quod licite non possum exigere.

Si quis forte dicat notissimum Evangelii textum -- *Mutuum date, nihil inde sperantes* -- indistincte, indefinite loqui; & iccirco quamcumque spem excludere sive primariam, sive secundariam, quodcumque item lucrum, sive speretur tanquam debitum, sive tanquam ex gratitudine sponte oblatum: Non respondebo certe cum Cornelio Jansenio Commentario super hunc locum, aliisque, verum & genuinum hujus evangelicæ locutionis sensum esse, quod debemus dare mutuum iis, a quibus non speramus recepturos id, quod datum fuerit, sortem videlicet ipsam: ut sensus sit -- Mutuum date, nihil inde sperantes, idest etiam cum desperatione recuperationis, seu recuperandæ sortis. Textum Evangelii ad hanc unicam arctare intelligentiam non decet virum catholicum: quum vere scripserit Benedictus XIV. De Synodo Diœc. lib. 10. cap. 4. num. 6. -- *In novo autem Testamento Lucæ 6. illis Christi Domini verbis -- Mutuum date, nihil inde sperantes -- præceptum tradi, seu verius naturalem legem iterum inculcari, nihil prorsus lucri ex mutuo ab ullo sive paupere, sive divite exigendi, non solum docet D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. ad 4., sed concors fuit Conciliorum, Patrum, Summorumque Pontificum sententia, præcipue Urbani III. in cap. CONSULUIT, DE USURIS, qui præfati textus auctoritate omnem, quantumvis minimam, usuram universim vetitam pronunciavit; explicans enim præfata Christi Domini verba, iis prohiberi ait omnem usuram, & superabundantiam. Dicere autem Summos Pontifices, & Concilia prædicti textus verum, & genuinum sensum non esse assequuta, quod aliquos mussitare non puduit, & temerarium, & fere hæreticum est: quidquid enim sit, an Ecclesia non solum infallibili polleat auctoritate in definiendis quæstionibus fidem aut mores respicientibus, quod nullus catholicorum negat, sed etiam in delectu rationum, quas ad suas definitiones stabiliendas interdum adducit, de quo nonnulli catholici dubitarunt; certum, & indubitatum est eam errare non posse in interpretanda divina scriptura, ejusque genuino sensu Fidelibus aperiendo* --. Respondeo iccirco cum Lucio Ferraris ver. *Usura* num. 35. -- *Nec valet objicere illud Christi Domini Lucæ 6. -- Mutuum date, nihil inde sperantes: Nec illud Canonis CONSULUIT 10. DE USURIS, ubi*

Pon-

Pontifex respondit illum, qui mutuat, alias non mutuaturus, eo proposito, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat, pro hujusmodi lucri intentione judicandum esse male agere, & efficaciter ad restitutionem inducendum. Non valet, inquam, quia illud Lucæ 6. intelligi debet uti consilium, quatenus excludit spem beneficii ex gratitudine a mutuatario accipiendi: præceptum autem est, quatenus excludit spem lucri accipiendi, & præstandi tanquam ex debito, cum sic sit vera usura mentalis. Et illud dicti Canonis CONSULUIT intelligi debet de eo, qui mutuum dat cum intentione lucri, seu pretii recipiendi ex mutuo tanquam ex debito justitiæ, qui utique censeri debet verus usurarius mentalis: Non autem de eo, qui mutuum dat cum intentione recipiendi aliquam compensationem ex sola, & libera gratitudine --. Cum omni igitur veritate scribit S. Thomas q. 13. De malo art. 4. ad 13. -- *Potest usurarius sperare ex mutuo, quod concedit, dupliciter. Uno modo, quasi debitum ex quadam obligatione tacita vel expressa; & sic quodcumque munus speret, illicite sperat. Alio modo potest aliquod munus sperare, non quasi debitum, sed quasi gratuitum, & absque obligatione præstandum; & sic licite potest ille, qui mutuat, sperare aliquod munus ab eo, cui mutuat: sicut qui facit servitium alicui, confidit de eo, ut amicabiliter suo tempore servitium faciat.*

SECUNDUM DUBIUM. Utrum qui ita mutuum dat sub spe lucri, quod aliter non daret mutuo, recipiendo postmodum aliquid, etsi gratis datum, sive pecunia hoc sit, sive alia res, sit usurarius?

Respondeo, quod sic, 14. q. 3. Cap. 1. 2., & 3.

(2) Evidens est, quod in mutuatore, de quo præsens casus, spes lucri est causa princeps mutui. Usurarius ergo nemine discrepante. Casus est expressus in cap. *Si fœneraveris*, quod est caput primum hic ab Authore laudatum.

TERTIUM DUBIUM. Utrum sic gratis mutuum præstans sub spe lucri, teneatur restituere quidquid gratis accepit?

Respondeo. Distinguendum hic est secundum Raynerium. Aut qui dat, absque ulla mutuatoris exactione expressa vel tacita, dat libere, & libera voluntate, credens se minime ad hoc teneri: aut non dat ex libera voluntate. Si primum, dico quod mutuator non tenetur restituere: quia in concedendo magis attendenda est voluntas concedentis, quam accipientis, ut Institut. *De obligationibus quæ ex delicto nascuntur* §. *Placuit* in fine, ubi dicitur,

tur, quod, si quis rem sibi commodatam credit invito domino se contrectare, & domino volente id faciat, furto non est obligatus. Ecce quod, licet voluntas accipientis sit vitiosa, vitium tamen tollitur per voluntatem domini. Item restitutio non fit nisi damnum passo Extra *De regulis juris* Cap. *Peccatum* lib. 6.. Sed talis non est passus aliquod damnùm, quum ex mera voluntate dederit. Ergo &c. Igitur quia vitium in hoc casu esset in sola voluntate, ad purgationem ipsius sufficit sola contritio Cap. finali Extra *De simonia*.

(3) Eadem prorsus habent Tabiena ver. *Usura primo* num. 1., Lucius Ferraris ver. *Usura* num. 37., & Author ipse in Angelica ver. *Restitutio primo*, ubi loquitur de vendentibus, sub initio, qui ibi solvit objectionem aliam hìc non indicatam scribens -- *Item non obstat ratio Joannis Andreæ in Mercurialibus in regula PECCATUM, quia contractus ab initio fuit vitiosus, & ideo effectus similiter. Quia verum esset, si effectus procederet a dicto contractu; sed non est verum, sed procedit ab alio, scilicet libera donatione, qua ille donat, & iste donatum liberaliter recipit* --. Ex hoc collige veteres nonnullos in contrariam abiisse sententiam, inter quos fuit Panormitanus in cap. *Consuluit*, & quos tum Author, tum Tabiena componere conantur in locis supra recensitis. Mihi tamen summopere placet distinctio, quam lego penes Gabrielem Antoine De contractibus part. 2. cap. 3. q. 20. resp. 2., videlicet, sic mutuo dantem non teneri quidem ad restitutionem ratione rei acceptæ, teneri tamen ratione conscientiæ erroneæ, quandiu in illa perseverat. En verba ipsius -- *Si mutuatarius sponte aliquid ultra sortem donet ex liberalitate vel gratitudine, sed mutuans ejus mentem ignorans accipiat tanquam ex mutuo debitum, peccat, & tenetur restituere ratione conscientiæ erroneæ, quando illam non deponit prudenter. Tamen juxta communem sententiam ex parte rei acceptæ ad id non tenetur. Sed postquam scivit illud sibi gratis donatum fuisse, retinere potest: quia alter per illam donationem gratuitam transtulit dominium rei in mutuatorem, si accedat acceptatio legitima. Unde accedente hac notitia potest rem acceptare, & retinere ut liberaliter donatam. Quamvis enim habuerit intentionem injuriam faciendi, cum acceperit tanquam debitum ex mutuo, & ideo peccarit; tamen reipsa nullum damnum inde alterius secutum est* --. Idem docet & brevibus probat Continuator Tournely De contractibus cap. 3., ubi de usura art 5. Concluf. 2. sic scribens -- *Quæres quid facto opus sit. Primo, si mutuatarius sponte aliquid, & ex liberalitate offerat, quod mutuans animo usurario recipiat* ....

Respon-

Respondeo, in primo casu mutuantem teneri ad restitutionem ratione conscientiæ erroneæ, nisi eam prudenter deponat comperta rei veritate: sicut qui pallium rapit, quod alienum putat, cum tamen sit suum, tenetur illud restituere, donec sibi constiterit illud suum esse --. Legibus id probari posset tum civilibus, tum canonicis. Sed adeo perspicuum est, ut majori probatione non indigeat.

Nec obstat L. *Si ego pecuniam* ff. *Si certum petatur:* ubi dicitur, quod, si quis voluerit tibi rem donare, & tu credebas eam tibi mutuo dari, non efficitur tua ante consumptionem: quia hic intentio recipientis & concedentis discordat, sed in casu nostro concordat.

Item nec obstat Cap. *Consuluit* Extra *De usuris*: quia loquitur, quando contra liberam voluntatem debitoris committitur usura; & ideo ibi tenetur ad restitutionem.

Si autem taliter donans non dat ex libera voluntate, sed quia credit me hoc velle, vel ut non auferam ei mutuatum, & hujusmodi: & sic accipiens tenetur ad restitutionem, ut in dicto Cap. *Consuluit*.

(4) Usuram ibi esse nemo est qui non videat. Mutuator ita primario sperat lucrum, ut aliter non daret mutuo. Mutuatarius non elargitur lucrum sponte & libere, sed vel coactus ex mutuo, vel tanquam pretium ex eodem mutuo debitum. Peccat ergo sic dans mutuum, & tenetur ad restitutionem, quamvis mutuum accipiens pravam ipsius intentionem non cognoscat ex integro; quamvis etiam nulla expressa conventio præcesserit, ut supponitur. De hac usura mentali scribit S. Bernardinus loco nuper laudato -- *Et hæc usura est periculosior, quam quæ fit cum pactione expressa: quia hoc in foro communi minime repeti potest* --. Id intellige, quando prava mutuatoris intentio extrinsecus non apparet, neque gravibus signis & conjecturis potest evinci. Cæterum si talis intentio potest aliquo modo in judicio probari, usurarius mentalis etiam in foro judiciali cogendus est ad restitutionem: sicuti docet Cardinalis, Franciscus scilicet de Zabarellis in Clement. *Ex gravi*, De usuris, in cujus §. 1. sic legitur -- *Cæterum quia fœneratores sic ut plurimum contractus usurarios occulte ineunt, & dolose, quod vix convinci possunt de usuraria pravitate: ad exhibendum, cum de usuris agetur, suarum codices rationum, censura ipsos decernimus ecclesiastica compellendos* --. Ratio est in promptu, quia & vera usura est, & idem operatur tacitum, sicut expressum.

Sed

Sed quomodo mutuator hoc ſciet?

(5) Videlicet, quomodo ſciet mutuatarium dediſſe ſponte, & libere, nec ne.

Reſpondeo, quod, niſi aliud appareat ex manifeſtis conjecturis, præſumitur mutuum accipientem ea intentione dare, qua mutuum præſtans dedit mutuo. Unde ſi hic mutuum dedit ex charitate, ille præſumitur dare lucrum ex charitate, & hujuſmodi: nam unuſquiſque præſumitur dare aliquid eo modo, quo accepit ff. *Mandati* L. *Si vero non remunerandi* §. *Inde Papinianus*, ubi dicitur, quod, quando aliquis rem ſimpliciter concedit, præſumitur donare illi, qui prius donaverat ſibi.

(6) Sapienter Author in jure. Pro praxi autem placet ejuſdem Authoris reſponſum in Angelica loco nuper citato num. 1., nempe id repetundum ex ſignis, & circumlocutionibus ipſiuſmet mutuatoris: an talia fuerint, ut mutuatarius ſuſpicari potuerit ipſum velle aliquid ultra ſortem, nec ne. Lucius Ferraris ver. *Uſura* num. 39. id repetit ex ipſo mutuatario; & quidem opportune. Eundem igitur audiamus -- *Debet fieri ſufficiens inquiſitio de intentione dantis: & ſi percipiatur dediſſe gratis, & mere liberaliter, poteſt retineri illud auctarium, & econtra reſtitui debet, ſi percipiatur illud dediſſe tanquam ex debito ratione mutui. Si autem mutuatario jam mortuo, ſeu alias ejus intentio interpellari non poſſit, reſolvendum eſt ex circumſtantiis: nempe quod dederit gratis, & mere liberaliter, ſi mutuatarius erat dives, liberalis, magnificus, & beneficus, ſi dederit hilariter, & hujuſmodi; & aliunde mutuator nec explicite, nec implicite aliquid petierit: & tunc ipſe mutuator non tenebitur ad reſtitutionem. Et econtra quod dederit tanquam ex debito ratione mutui, ſi mutuatarius erat inops, parcus, avarus, ſi mœſte, & moleſte dederit, & hujuſmodi; & tunc mutuator tenebitur ad reſtitutionem.*

Sed pone, quod adhibitis hujuſmodi diligentiis mutuator adhuc hæreat; quid aget in hoc dubio conſtitutus? Reſpondet Continuator Tournely loco proxime laudato -- *quod ſi mutuans dubitet, quo animo, an gratis, an ut lucrum ex vi mutui, rem aliquam ſibi donaverit mutuatarius, peccat, & reſtituere tenetur, etiamſi alter in rei veritate, ſed non comperta, gratis donaverit. Ratio eſt, quia, ut alibi diximus, qui dubitat, num res ſit aliena, non poteſt poſſeſſionem inchoare, quia exponit ſe periculo alienum invadendi.*

Quar-

QUARTUM DUBIUM. Utrum ille, qui aliquid recipit ab eo, cui ipse mutuum dedit sine pacto, ac spe lucri, sed gratis, credens ipsum debitorem similiter gratis dare, qui tamen gratis non dat, teneatur ad restitutionem, & an peccet?

Respondeo, quod non peccat 1. q. 2. Cap. *Sicut*, quia nulla oblatio suscipienti maculam culpæ ingerit, quæ non ex ambientis petitione procedit; & non tenetur ad restitutionem secundum Baldum de Perusio, nam obligatio antidororum justam parit receptionem per errorem soluti L. *Si testamento* §. 1. ff. *De fidejussoribus*, nisi esset error facti alieni, ut puta credebat per suum Procuratorem esse promissum, cum tamen non esset: quia tunc nec de foro judiciali, nec de foro conscientiæ retinere possum acceptum.

(7) En caput *Sicut*, de quo Author -- *Sicut Episcopum non decet manum, quam imponit, vendere, ita Minister, vel Notarius non debet in Ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venumdare. Et paullo post. Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex pacto, neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas, & pallium, aliquid cuilibet ex Clero gratiæ tantummodo caussa, dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.*


Obligatio antidororum, seu antidoralis, est naturalis quædam obligatio cuique hominum a natura insita, qua tenemur benefacientibus benefacere, eisdemque mutuis beneficiis gratum animum ostendere.

Rodonensis vero dicit, quod non tenetur, quandiu bona fides durat, nec de consumptis bona fide durante, sed bene de extantibus, postquam scit, quod non libere dedit: quæ opinio magis est secura. Et dicit etiam, quod talis debitor, seu qui dedit, si habet de bonis creditoris, per retentionem potest sibi consulere de usura, quam illi dedit: nec tenetur ea restituere in foro conscientiæ secundum quosdam.

(8) Idem prorsus docent Author in Angelica loco proxime citato num. 2., Lucius Ferraris ver. *Usura* num. 38., Gabriel Antoine, & Conti-

Continuator Tournely locis nuper laudatis. Ratio est evidens: quia cessante bona fide deest justus titulus retinendi, quum datio rei ut debitæ ex mutuo nulla sit, nullumque legitimum transferat dominium in accipientem. Addit Author ibidem, hoc intelligi debere ante præscriptionem, seu usucapionem, non autem postea. Ita sane est; nemo enim inficiatur bonam fidem præscribere, & completa hujusmodi præscriptione rem transire in legitimum dominium possidentis.

Et hæc sufficiant pro primo Articulo.



Secun-

SEcundus Articulus declarandus eſt, in quo eſt videndum: quare prohibeatur uſura. Ad cujus lucidam intelligentiam quatuor ſunt quærenda.

Primum dubium. Utrum uſura ſit peccatum?

Reſpondeo, quod ſic, ut tota lex Canonica, & Divina, & omnes S. Doctores clamant.

(1) REm hanc fuſo calamo oſtendunt omnes ex inſtituto agentes de Uſura, & ſingillatim S. Bernardinus Serm. 38. per totum. Unum iccirco duntaxat, vel alterum teſtimonium proferam ex utroque Teſtamento, ex Lege Canonica, & ex Sanctis Eccleſiæ Patribus. Ex veteri Teſtamento Exodi 22. v. 25. -- *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes* --, & Levit. 25. v. 37. -- *Pecuniam tuam non dabis ei ad uſuram, & frugum ſuperabundantiam non exiges* --. Et ne quis cum Calvino ad cap. 18. Ezechielis, aliiſque ejuſdem furfuris viris, quorum deliramentum refellit Benedictus XIV. De Synodo Diœceſ. lib. 10. cap 4., adſerat id eſſe intelligendum de ſolis pauperibus, non autem de viris divitibus: addo quod legitur Ezechielis 18., ubi Propheta vitia recenſens, a quibus vir juſtus cavere debet, nulla pauperis, aut divitis mentione facta, ſcribit verſ. 8. -- *Ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit* --. Ex novo Teſtamento jam ſupra dedi perſpicuum Chriſti Domini teſtimonium Lucæ 6.; & iccirco ſtatim tranſeo ad jus Canonicum. De hac re agit univerſus Titulus *De uſuris* in Decretalibus. Unice igitur adjicio quod legimus in Clementina *Ex gravi De uſuris* §. ultimo -- *Sane ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum* --. Remanent S. Eccleſiæ Patres, pro quibus omnibus ſufficiat S. Ambroſius lib. De Tobia cap. 15. -- *David benedictum æſtimavit, & dignum habitatione cœleſti, qui pecuniam non dedit ad uſuram. Si ergo, qui non dedit, benedictus, ſine dubio maledictus, qui ad uſuram dedit*.

Uſuram eſſe peccatum, adverſari juri naturali, & humanis diviniſque legibus

legibus fuse probat Astesanus noster lib. 3. tit. 11. De tertio quasi per totum, erudite solvens difficultates omnes, quæ solent in contrarium proferri. Eundem igitur consule.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum usura sit mala in se, & secundum se?

(2) Mala dicitur in se, & secundum se ad discrimen eorum, quæ secundum se pravitatem non habent, & iccirco citra peccatum possunt aliquando fieri. Ad rem S. Bernardinus Serm. 36. art. 3. cap. 15. -- *Ad quod respondet Alexander de Ales, quod quamvis occidere sit peccatum in se, non tamen secundum se, quia quandoque licet. Dare autem ad usuram est peccatum in se, & secundum se; ideo nunquam in aliquo casu licet.*

Erudite Astesanus noster loco proxime laudato sub initio -- Actus humani ex electione procedentes quidam sunt de se boni; possunt tamen male fieri: ut dare eleemosynam est de se actus virtutis; potest tamen male fieri, ut si fiat propter vanam gloriam. Quidam autem sunt de se, & secundum se boni; & ideo non possunt male fieri: ut Deum vel proximum diligere ex charitate. Quidam sunt de se mali, qui tamen cum debitis circumstantiis possunt bene fieri: ut homicidium, licet de se sit malum, potestati tamen sæculari zelo justitiæ est licitum, & bonum. Quidam sunt de se, & secundum se mali; & ideo non possunt bene fieri: ut odire Deum, proximo invidere, quæ nullo modo ex nulla circumstantia possunt bene fieri. Quidam sunt indifferentes, qui nec boni nec mali sunt de se, nec secundum se: ut ambulare, vel loqui. Dicendum igitur ad quæstionem propositam, quod usura est quidquid accedit in mutuo sorti pacto, vel intentione principali, & sic est de se, & secundum se peccatum, & nullo modo, nullo casu potest bene fieri. Et hoc ostenditur &c. --. Hactenus ille.

Respondeo, quod sic, Ratio una est: quia est contra charitatem, & naturalem hominis cognitionem, ut pro usu rei momentaneo, & naturaliter infructuoso, & cum periculo accipientis, qualis est usus rerum mutuabilium, pretium recipiatur. Unde & Philosophus naturali æquitate, & ratione ductus dicit in principio Politicorum, quod *usuraria acquisitio pecuniarum est maxime præter naturam.*

(3) Usuram & ipsi legi naturæ adversari duodecim argumentis probat S. Bernardinus Serm. 38. art. 1. per totum. Præcipua sunt ea duo, quæ exhibet Scotus in 4. dist. 15. q. 2. §. *Sunt ergo tres* inquiens -- *Potest ergo talis ratio assignari: quia in mutui datione transfertur dominium; hoc enim sonat vocabulum, mutuum do tibi meum. Ergo qui con-*

 cedit

cedit mutuo, non manet dominus pecuniæ mutuatæ; & per consequens si pro illa pecunia recipiat aliquid ultra sortem, pro non suo recipit, sive vendit non suum. Alia ratio est: Esto quod pecunia maneret sua, tamen illa pecunia non habet ex natura sua aliquem fructum, sicut habent aliqua alia ex se germinantia, sed tantum provenit aliquis fructus ex industria alterius, scilicet utentis. Industria autem hujus non est ejus, qui concedit pecuniam. Ergo ille volens recipere fructum de pecunia, vult habere fructum de industria aliena, quam tamen non dedit ille alius sibi ex hoc, quod accepit mutuum ab alio.

Nec obstat, si accipiens mutuum lucretur ex pecunia mutuata: quia tale lucrum potius attribuitur industriæ personæ, quam pecuniæ. Arguitur L. 3. ff. *Ad legem Falcidiam*.

(4) *Et hæc est ratio*, subdit Scotus ibidem, *quare per oppositum fructus pignorum germinantium computantur in sortem:* scilicet, ut explicat ibi S. Bernardinus cap. 7., *quia non sunt ex industria recipientis, sed ex natura germinantium rerum*. Si natura rei mutuatæ inspiciatur, vere scripsit S. Bernardinus ibidem cap. 2. -- *Res mutuabiles, in quibus usura committi solet, habent a natura, vel arte sibi determinatum valorem, ac per consequens in eo minime excrescere possunt, nempe ex hoc ipso fructum generare valent. Naturale utique est, quod res, quæ generat fructum, semper crescat in valore eum ipso fructu, atque majoris est valoris, cum est sub fructu, quam quando permanet sine fructu. Quum igitur usura res habentes determinatum valorem, & per consequens non fructificantes, facit excrescere in valore, relinquitur quod faciat rem non generantem fructum generare lucrum. Proinde secundum Philosophum primo Polit. cap. 6. usura dicitur a Cothos, quod est partus: quia contra naturam rei, scilicet mutuabilis, & pecuniæ, vult usurarius, quod pecunia pariat, scilicet lucrum, ubi non generat fructum. Hoc tamen miraculum facit usura, quia per eam aurum nascitur ex argento, ut ponitur dist. 47. cap. SICUT* --. En quod improbando scribitur hoc capite *Sicut* §. 1. -- *Interdum etiam usuræ arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur*.

Aliæ multæ rationes ponuntur per Doctores Extra *De usuris*. Sed summa omnium rationum est, quod Deus summe est detestatus ipsam in veteri & novo Testamento, ut patet in Cap. *Super eo* Extra *De usuris*: quod non fecisset, si non esset malum in se. Unde nec aliqua dispensatio potest fieri in ipsa, ut patet in dicto Cap. *Super eo*. Ex his igitur patet, quare prohibeatur.

(5) Inte-

(5) Integrum caput *Super eo*, quod est Alexandri III., jam dedi exponens tertium verbum definitionis usuræ annotatione 24. in fine. Ipsum ergo recole, & reperies quidquid ibi ab Authore profertur.

TERTIUM DUBIUM. Utrum leges, quæ permittunt usuras, sint injustæ.

(6) Jus Civile permisisse usuras nemo est qui ire possit inficias statim atque legat in C. Titulum *De usuris*, qui pene totus est super hac re. Unam ipse do legem primam sic expressam -- *Si interrogatione præcedente promissio usurarum recte facta probetur, licet instrumento conscripta non sit, tamen optimo jure debentur* --. Nollem tamen credas lege Civili cuique esse permissum pro arbitratu quodlibet ultra sortem exigere lucrum, etiam summum. Vetitum id fuit eodem tit. L. *Eos qui*, ubi pro diversitate personarum statuitur, quid unusquisque possit recipere -- *Super usurarum vero quantitate etiam generalem sanctionem facere necessarium esse duximus, veterem duram, & gravissimam earum molem ad mediocritatem deducentes. Ideoque jubemus illustribus quidem personis, sive eas præcedentibus, minime licere ultra tertiam partem Centesimæ, usurarum nomine in quocumque contractu vili, vel maximo stipulari. Illis vero, qui Ergasteriis præsunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt usque ad bessem Centesimæ [usurarum nomine in quocumque contractu] suam stipulationem moderari. In trajectitiis autem contractibus, vel specierum fœnori dationibus, usque ad Centesimam tantummodo licere stipulari, nec eam excedere; licet veteribus legibus hoc erat concessum. Cæteros autem [omnes] homines dimidiam tantummodo Centesimæ usurarum [nomine] posse stipulari: & eam quantitatem usurarum etiam in aliis omnibus casibus nullo modo ampliari, in quibus citra stipulationem exigi usuræ solent. Nec liceat Judici memoratam augere taxationem occasione consuetudinis in regione obtinentis* --. Centesima dicitur, in qua pro singulo centenario unum singulo mense persolvitur, & sic pro sorte Centesima singulo anno usura duodecim correspondebat. Quatuor igitur sunt triens, seu tertia pars Centesimæ. Sex sunt dimidia pars, seu semissis Centesimæ: & octo sunt bes, seu duæ partes Centesimæ.

Vetuit quidem usuras nono Ecclesiæ sæculo Basilius Macedo Imperator Orientis Constitutione hac de re edita; sed Leo Sapiens ipsius filius eas, moderatas tamen, iterum permittere quasi fuit coactus: quia divites pene omnes destituti spe lucri ex mutuo percipiendi se præbebant indigentibus immites, atque difficiles. Id totum perspicuum est ex Novella ejusdem Leonis 83., quæ est hujusmodi -- *Si a spiritus legibus ita se mortale genus regi sineret, ut humanis præceptis nihil indigeret, id vero & decorum, & salutare esset: at, quoniam se ad spiritus sublimitatem elevare, divinæque legis vocem amplecti non cujusque est: ac vero,*

quos huc virtus ducat, numero valde pauci sunt: bene se se adhuc res haberet, si saltem secundum leges humanas viveretur. Quæ vocantur pecuniæ creditæ usuræ, ubique a spiritus Decreto condemnantur. Id sciens Pater noster æternæ memoriæ Princeps, usurarum solutionem sanctione sua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res illa non in melius [quem tamen finem Legislator proposuerat] sed contra in pejus vergit. Qui enim antea usurarum spe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, post latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possint, in eos, qui pecuniis indigent, difficiles atque immites sunt. Quin etiam ad facile jurandum, quodque id fere consequitur, ad jusjurandum abnegandum, id occasionem præbuit. Breviter: propter redundantem in humana vita perversitatem non modo non profuit legis virtus, verum etiam obfuit. Quamquam igitur ex se legem culpare [quod quidem etiam absit] nequeamus: propterea tamen quod humana natura [quod diximus] ad illius sublimitatem non perveniat, egregium illud præscriptum abrogamus: ac in contrarium statuimus, ut æris alieni usus ad usuras procedat: idque, quomodo veteribus Legislatoribus placuit, ad trientes Centesimæ, nempe, quæ quotannis in singulos solidos singulas fœneratoribus siliquas pariunt.

Quid plura! Et sua ætate clamabat Augustinus Epist. 153., alias 54. ad Macedonium -- *Quid dicam de usuris, quas etiam ipsæ leges, & Judices reddi jubent! An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore! Hæc, atque hujusmodi male possidentur, & vellem restituerentur; sed non est, quo Judice repetantur.*

Si petas, quare id fuerit lege civili quandoque permissum? Placet responsum Alexandri de Ales relatum a S. Bernardino Serm. 38. art. 3. cap. 3. in hæc verba -- *Ad hoc respondet Alexander de Ales in tertia distinctione, quod permisit comparativa permissione usuras levissimas exigi, ne accideret pejus: quia tunc proni erant homines ad usurarum lucrum. Judicans igitur minus malum sustineri leves usuras, quam graves, concessit illud.*

Glossa tamen in cap. *Quid dicam* 14. q. 4., cui concinunt S. Bernardinus ibidem, Author in Angelica ver. *Usura secundo* num. 1., aliique, arbitratur in præsenti usuras esse vetitas etiam jure civili: idque probat inquiens -- *Quia Imperator* [Justinianus] *jubet servari ea, quæ statuta sunt in Nicæno Concilio, ut in Authent. De Ecclesiast. tit. in princ. Coll. 9. Sed Nicænum Concilium prohibet usuras, ut 47. dist. cap. QUONIAM, & ibi etiam cap. QUONIAM. Cum ergo Imperator Constitutione sua confirmavit statuta Nicæni Concilii, patet, quod voluit derogare omnibus legibus, quæ loquuntur de usuris* --. Addit Astesanus in sua Summa lib. 3. tit. 11. de tertio -- Nec obstat quod ille Canon *Quoniam multi* loquitur tantum de Clericis, quia auctoritas ibi posita, quæ

est

eſt -- *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram* --, Clericis & laicis eſt communis. Nec obſtat etiam, quod ſecundum leges Codicis, & Digeſtorum poſſunt peti uſuræ, quia lex ſupra allegata, quæ eſt in Authentica, eſt poſterior illis; unde omnes leges uſuras permittentes ſunt abrogatæ. Sciendum tamen, quod Juſtinianus prius permiſit uſuras leviſſimas, non quaſi æſtimans eas eſſe licitas, ſed ad majus malum vitandum. Nam homines imperii ſui vidit eſſe pronos ad dandum uſuram; & ideo comparativa permiſſione permiſit minus malum, ut non fieret pejus --. Hactenus ille.

Reſpondeo. Videtur multis omiſſis quod ſic, quia contra legem Dei, & charitatem proximi.

(7) Hoc jam fuit ſupra oſtenſum. Unice addam quod habet Nicolaus Summ. Pontifex 10. diſt. cap. 1., & Symmachus item Papa ibidem cap. 2. *Lege Imperatorum non in omnibus Eccleſiaſticis controverſiis utendum eſt: præſertim cum inveniantur Evangelicæ, ac Canonicæ ſanctioni aliquoties obviare. Lex Imperatorum non eſt ſupra legem Dei, ſed ſubtus. Imperiali judicio non poſſunt Eccleſiaſtica jura diſſolvi* --. Ita Nicolaus --. *Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem cuſtodienti, aliquid contra Divina mandata præſumere, nec quicquam, quod Evangelicis, Propheticis, aut Apoſtolicis regulis obviet, agere* --. Ita Symmachus. Religioſe igitur Carolus Magnus in Capitularibus lib. 1. cap. 25. ſcripſit -- *Uſura eſt, ubi amplius requiritur quam datur, verbi gratia ſi dederis ſolidum, & amplius requiſieris* --, & lib. 5. cap. 36. -- *Uſuram non ſolum Clerici, ſed nec laici Chriſtiani exigere debent* --, & lib. 6. cap. 201. -- *Venerandi Canones, & Divina prohibet authoritas uſuras accipere* --. Religioſe item Ludovicus XII. Rex Galliarum in ſuo Edicto lato menſe Martio 1499. -- *Interdiximus, & prohibuimus: interdicimus, & prohibemus quibuſvis Tabellionibus, ne ullum contractum fœneratitium ſcribant, pœna privandæ dignitatis, & mulctæ arbitrariæ* -- Religioſe demum Victorius Amedeus Rex Sardiniæ lib. 4. ſuarum Conſtitutionum tit. 34. cap. 14. num. 1. -- *Non potrà veruna perſona di qualſivoglia ſtato, grado, o condizione eſercitar in qualunque forma publica, o occulta, direttamente, o indirettamente per mezzo di contratti tanto eſpreſſi, che ſimulati, o in qualſivoglia altro modo, alcuna ſorta d' uſure, ſotto pena della confiſcazione de' beni, la quale avrà anche luogo ogni qualvolta ſi ſcopra, e conſti dopo la morte di qualche perſona, che la medeſima ſia ſtata ſolita ad eſercitar uſure come ſopra, rifatti però ſempre i danni di quelli, che ne avranno patito* --.

QUARTUM DUBIUM. Utrum liceat recipere ad uſuram ſine peccato mortali?

Respondeo secundum Hugonem & Archidiaconum in Cap. *Movet* 22. q. 1., quod sic, si hæc duo concurrant. Primo voluntas usurarii: quia, si quis alium induceret ad mutuo dandum sub usura, mortaliter peccaret. Secundo necessitas: & addit Archidiaconus, quod etiam pro utilitate, quam quis consequitur agendo negotia sua. Item Innocentius, & Joannes Andreæ in Cap. *Dilectus* Extra *De Simonia* recitant multas opiniones, quarum una est, quod cuique licet etiam pro opere virtuoso, ut si velit inde facere eleemosynam, vel Ecclesiam ædificare, & hujusmodi; sed propter luxuriam, & pompam, & hujusmodi non licet. Alia opinio est, quod non liceat pro omni opere virtuoso, sed pro magno solum. Tertia opinio est tenentium indifferenter, quod pro omni re, quæ non sit illicita, licet accipere sub usuris. Quarum opinionum quælibet potest teneri bona, dummodo concurrat intentio, seu voluntas usurarii; aliter, ut puta non concurrente voluntate usurarii, vel propter ludum aleæ, & hujusmodi, Doctores, & Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. tenent, quod peccat mortaliter talis mutuo sub usuris accipiens.

(8) En verba S. Thomæ, de quo Author -- *Respondeo dicendum, quod inducere hominem ad peccandum nullo modo licet: uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est: quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum; ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum, ut dicitur in Enchiridio cap. 11.. Et ideo Augustinus Epist. 154. Publicolæ quærenti, utrum liceret uti juramento ejus, qui per falsos Deos jurat, in quo manifeste peccat, eis divinam reverentiam adhibens, respondet: Quod qui utitur fide illius, qui per falsos Deos jurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per Dæmonia juravit, sed pacto ejus bono, quo fidem servavit. Si tamen induceret eum ad jurandum per falsos Deos, peccaret. Ita etiam in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius* --. Extra omnem controversiam positum est, hanc Sancti Doctoris doctrinam æquitati esse innixam, quia, ut ibidem subdit S. Doctor in responsione ad 2. --

Ille

Ille, qui accipit pecuniam mutuo sub usuris, non dat occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui -- . Extra controversiam pariter est, sine necessitate neminem posse licite mutuum petere, & accipere sub usuris: quia hoc esset alteri præbere occasionem ruinæ spiritualis, & lege charitatis quisque tenetur sub mortali impedire peccatum mortale proximi, quando id potest sine suo notabili detrimento. Tota igitur controversia reducitur ad assignandum, cujusnam conditionis, & qualitatis esse debeat hæc necessitas, ut innocentem reddat petitionem mutui ab usurario parato ad dandum mutuum, dum alius gratis mutuo dans inveniri non potest. Qua in re sicuti tempore Authoris Doctores in varias distrahebantur opinationes, ita & inpræsentiarum. Placet summopere quod scribit Joannes Pontas verbo *Usura* casu 40. -- *Ipse S. Thomas, cujus in decidendo solet stilus accuratus nihil prætermittere, quantum ad præsentem casum neque gravem exigit necessitatem, sed generatim asserit, posse mutuationem ejusmodi sine peccato obtinere propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis. Et simpliciter dicit hoc ipsum unicuique licere, si indigeat: quæ quidem verba certissime non inuunt nisi necessitatem communem, aut pertinentem ad status decentiam* --. Placet summopere quod scribit Astesanus noster lib. 3. tit. 11. de tertio in fine -- *Nec intelligitur secundum Ricardum in 4. dist. 15. q. 5. art. 5. cap. ultimo hic necessitas illa, quæ est extrema, sed quando homo damnificaretur notabiliter, vel notabilem penuriam pateretur, si non acciperet ad usuram. Et secundum Monaldum pro quanta necessitate liceat hoc facere, non determinat ars, vel scientia, sed intentio charitatis* -- Firmum tamen stat, & in æternum stabit, peccare mortaliter eum, qui sine necessitate mutuum petit ab illo, quem scit non esse daturum nisi sub usuris: item eum, qui ita petit sub usuris ad ludos, vel ad pompas superfluas; hæc enim & his similia non sunt veræ necessitates, & petitores hujusmodi peccata peccatis cumulant. Peccare denique mortaliter eum, qui libere accedit ad usurarium paratum mutuo dare sub usuris, quando moraliter, & adhibita mediocri diligentia, reperire potest alium, qui juxta Domini mandatum mutuum præstet gratis, & sine usura.

TERTIUS ARTICULUS eſt, qualiter committatur uſura. Ad cujus intelligentiam triginta duo quæruntur dubia.

PRIMUM DUBIUM eſt. In quo contractu committatur uſura?

Reſpondeo, quod proprie non committitur niſi in mutuo Deuter. 23.. Ad quod facit Caput primum 14. q. 3., & Lucæ *6.*, & Extra *De uſuris* Cap. *Conſuluit*. Quid autem ſit mutuum, & in quibus rebus conſiſtat, dictum eſt in dubio primo ſecundi verbi diffinitionis uſuræ.

(1) QUum Inſtitut. *Quibus modis re contrahitur obligatio* ſub initio appoſite ſcripſerit Juſtinianus -- *Mutui autem datio in iis rebus conſiſtit, quæ pondere, numero, menſura conſtant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpendendo in hoc damus, ut accipientium fiant. Et quoniam nobis non eædem res, ſed aliæ ejuſdem naturæ, & qualitatis redduntur: inde etiam mutuum appellatum eſt, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat: & ex eo contractu naſcitur actio, quæ vocatur condictio* --: recte inferunt Theologi uſuram in ſolo mutuo proprie reperiri: quia, quum in ſolo mutuo aliud reddi debeat ejuſdem naturæ, & qualitatis, in ſolo pariter mutuo verificari poteſt dari aliquid ultra ſortem, quod conſtituit uſuram. Solum iccirco mutuum in definitione uſuræ exprimunt Eccleſiæ Patres; nam Tertullianus lib. 4. contra Marcionem ait -- *Uſura eſt mutui redundantia* --, inquit Auguſtinus in Pſalm. 36. -- *Uſura eſt, ſi pluſquam dediſti expectes accipere* --, & Baſilius in Pſalm. 14. -- *Uſura eſt, ſi plus quam ſortem acceperis* --. Huc conferunt, quæ ibi ab Authore producta ſunt: quoniam caput primum, ſcilicet *Si fœneraveris*, Auguſtini definitionem recitat modo memoratam: Lucæ *6.* v. 35. ſcriptum eſt -- *Mutuum date, nihil inde ſperantes* --: & capite *Conſuluit* præmiſſis hiſce Dominicis verbis ſubditur -- *Cum omnis uſura, & ſuperabundantia prohibeatur in lege* --, & Deuter. 23. v. 19. dicitur -- *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec aliquam rem*.

SECUN-

SECUNDUM DUBIUM. Utrum alias non possit committi nisi in mutuo?

Respondeo, quod proprie non, sed ratione æquipollentiæ sic, ut in emptione, & venditione ad tempus Cap. *Naviganti* Extra *De usuris*, & ex dubiis infraponendis satis bona haberi poterit notitia.

(2) Usura, quam Author sic dicit ratione æquipollentiæ, ea ipsa est, quam Theologi vocant impropriam, palliatam, & virtualem, eo quia sub specie alterius contractus exercetur, & reipsa reducitur ad mutuum, atque in hoc quasi transmutatur. Opportune S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. -- *Quod si aliquis carius velit vendere res suas quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifeste usura committitur: quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ. Similiter etiam si quis emptor velit rem emere vilius quam sit justum pretium, eo quod pecuniam ante solvit, quam possit ei res tradi, est peccatum usuræ: quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est quod diminuitur de justo pretio rei emptæ* --. Nota quomodo S. Doctor hìc loquitur de solutione anticipata, vel protracta; hac enim remota ab emptione, & venditione, non erit amplius usura. Et iccirco si quis vendendo pretium augeret ultra justos limites, injustus quidem esset, avarus esset, & ad restitutionem teneretur; non tamen esset usurarius, nec in pœnas adversus usurarios latas incideret. Usura postmodum palliata vera usura est, sicut homo sub aliena veste, aut larva occultatus verus est homo; parum enim refert, quod mutuum expressum sit, vel tacitum, apertum, aut interpretatum, statim atque mutuum habetur, & in eo aliquid ultra sortem exigitur.

TERTIUM DUBIUM. Utrum munuscula & dona recipere post mutuum, sit usura?

Respondeo, quod non, si per modum meræ gratiæ, & absque fraude sint data. Arguitur 14. q. 3. Cap. *Usura*, 18. dist. Cap. *De Eulogiis*, 77. dist. Cap. *In singulis*, 59. dist. Cap. *Si officia*, & 61. dist. Cap. *Quid proderit*.

(3) Singulare est, quod legitur in cap. *De Eulogiis*, seu munusculis, aut Xeniis ad sacra Concilia deferendis -- *Quæ, ut arbitror, non sunt rationabiliter quærendæ, nec ultro delatæ respuendæ*.

Id

Id erudite probat Merbesius super septima Decisione Concilii Mediolanen. primi, quæstiuncula 8. scribens -- Respondeo hujuscemodi creditorem non posse usurarium haberi, qui aliquid ultra sortem a debitore mutuum restituente gratis oblatum acceperit. Nam, ut videre est, hic cessat usuræ ratio, nempe intentio, aut pactio mutuantis, & accipientis: & multa honeste accipiuntur, quæ inhoneste petuntur L. 1. §. *Proinde ne* ff. *De extraordinariis cognitionibus*, & cap. *De Eulogiis* 18. dist.. Cum igitur intentio præsertim usurarium faciat ex cap. *Consuluit;* nec remunerationes sint prohibitæ [nisi deducantur in pactum] utpote quæ profectæ sunt ex jure naturali, quo ad referendam gratiam obligamur cap. *Cum in officio* [Extra] *De testamentis*, & L. *Sed etsi lege* §. *Consuluit* ff. *De hæreditatis petitione:* certum est creditorem, qui aliquid a debitore libenter oblatum ultra sortem acceperit, omni usuræ flagitio vacare --. Hæc ille.

Posset tamen hoc esse vitiosum: vel ex parte dantis, quia non libere: vel ex parte recipientis, cum credit, quod non det libere: vel propter scandalum, quia de facili posset quis incurrere periculum infamiæ; & ideo bonum esset talia non recipere.

(4) Vide quæ adnotavimus super tertio, & quarto dubio, ubi de quinto verbo definitionis usuræ. Quoad munera attendenda sunt hæc duo carmina, quæ exhibet Glossa super cap. *Etsi quæstiones* Extra *De simonia*.

Muneribus dandis attendas quatuor ista:
Qui dans, quisve petens, quæ res, quæ causa petendi.

Egregia pariter sunt verba Imperatorum Severi, & Antonini L. *Solent* ff. *De officio Proconsulis* -- *Quantum ad Xenia pertinet, audi quid sentimus: Vetus proverbium est, neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus: nam valde inhumanum est a nemine accipere; sed passim, vilissimum est; & omnia, avarissimum* --. Cæterum laudandi sunt illi mutuatores, qui nihil omnino recipiunt nec esculentum, nec poculentum: quoniam, quum mutuatarii plerumque sint indigentes, sæpenumero munera offerunt, vel quia supponunt mutuatores id velle: vel quia timent, ne sibimet ipsis mutuum auferant: vel ut eos facilius ad novum mutuum inducant sub spe munerum: & perraro contingit, eos munerari gratis, & libere, nullo ad id secundo fine impellente. Invicem christiana virtute pugnent mutuatarius, & mutuator. Ille, occasione data, signa benevolentiæ, & liberalitatis exhibeat. Hic contentus sit hujusmodi signis, nec quicquam recipiat etiam sponte oblatum. Se ostendet ille gratum, ut par est, erga eum, qui sibi benefecit. Palam hic omnibus faciet, se ad mutuum præstandum sola fuisse charitate motum.

QUAR-

QUARTUM DUBIUM. Utrum tradens centum mercatori navigaturo per mare tali pacto, quod, si navis pericliteur, non teneatur sibi: si vero in mercando amiserit, semper sibi totum capitale, scilicet centum, reddere teneatur: &, si lucratus fuerit, habeat ipse partem lucri: sit usurarius?

Respondeo, quod sic, ut habetur in Cap. *Naviganti* Extra *De usuris*. Sed Dominus Laurentius de Florentia dicit, quod bene posset recipere pretium periculi, quod in se suscipit: quia, si non dedisset mutuo, posset aliquid recipere suscipiendo in se periculum navigationis. Sed hoc videtur expresse contra Cap. *Naviganti*, quod est de eo, qui suscipit in se periculum: ubi vult quod sit usura, etiamsi recipiatur ratione periculi. Item si ibi haberetur duntaxat respectus ad mutuum, nullum esset dubium, & lex super indubitabili posita foret, quod esse non debet, cum foret superflua; & ideo salvo meliori judicio credo, quod nihil potest talis recipere ultra sortem.

(5) Ad præsens quod spectat, duplex est periculum: intrinsecum unum, seu generale, vel ordinarium, quod de omni mutuo verificatur, & est intraneum ipsi contractui mutui in sua natura considerato, quatenus potest sors data perire, cuicumque tradatur: extrinsecum alterum, seu particulare, vel extraordinarium, quod a natura mutui separari potest, proveniens videlicet a qualitate vel mutuatarii, vel negotiationis; puta si detur mutuatario prodigo, cavilloso, perditæ conscientiæ, exercenti negotia periculosa, navigaturo in periculosa navigatione &c. Ratione primi periculi non posse aliquid recipi ultra sortem adeo certum est, nihil ut magis; huc enim tendunt leges omnes tum Divinæ, tum Canonicæ usuram prohibentes. Utrum autem ratione secundi periculi mutuo prorsus extrinseci, & extraordinarii, mutuator aliquid lucri possit accipere citra usuram, nedum diu disputatum est olim inter antiquos, sicuti ex textu Authoris liquido constat, sed adhuc disputatur in præsenti inter recentiores. Daniel Concina De justitia & jure lib. 3. differt. 3. cap. 11. per totum nihil intentatum relinquit, ut ostendat, probetque in nullo periculo, quantumvis mutuo extrinseco, quantumvis extraordinario, mutuatorem posse aliquid ultra sortem accipere, quin fiat reus usuræ. Joannes Pontas ex adverso ver. *Usura* casu

casu 31., Continuator Tournely part. 2. De contractibus cap. 3. sect. 1., Gabriel Antoine De contractibus part. 2. cap. 3. q. 14. resp. 2., &, quod pluris facio, Fulgentius Cuniliati, ut alios prætercam complures, ejusdem cum Concina Ordinis vir, Concinæ coævus, in eodem Collegio Sanctissimi Rosarii Venetiis cum ipso scribens, immo qui Theologiam suam moralem publici juris fecit, jam vulgata Theologia Christiana consodalis sui Concinæ: hi omnes, aliique sententiam oppositam pro virili parte tuentur, atque mutuatorem in casu, de quo agitur, ita contendunt ab omni esse usura liberum, ut præfatus Cuniliati scribere non dubitaverit De contractibus cap. 4. §. 2. num. 7. -- *Quod vero ratione periculi extrinseci possit aliquid recipi [posito quod mutuatarius non dederit pignus] judicio proborum, & prudentum determinandum ultra sortem, est communior, & rationabilior, immo certa sententia*.

Præcipua discrepantium harumce opinionum causa est Caput *Naviganti*, quod est Gregorii IX. ad Fratrem Raymundum, ita conceptum -- *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus* --. Textum hunc mendosum vult Cuniliati cum Barbosa, aliisque scriptoribus benemultis, iisque gravissimis: ut ibi desit particula *NON*, & legendum sit -- *USURARIUS NON EST CENSENDUS* --. Id ipse repetit præsertim ex casu sequenti in eodem Capite immediate exposito, & definito, qui ibidem declaratur ab usura liber hisce verbis -- *Ille quoque qui dat decem solidos ...., non debet ex hoc usurarius reputari*: quoniam, ut ipse ait, si in primo casu non deesset particula *NON*, non dixisset Pontifex, nec dicere debuisset -- *ILLE QUOQUE*, quin potius -- *ILLE TAMEN*, aut *ILLE E CONTRA*, vel aliud consimile. Hunc eundem textum multis variisque modis fuisse acceptum a Doctoribus scribit Pontas casu citato, quas varias acceptiones indicavit Author in Angelica ver. *Usura primo* num 38. scribens -- *Casus est in dicto Capite NAVIGANTI. Et adverte, quod Doctores diversimode istum textum exponunt* --: & hoc in hypothesi, quod legi debeat sine particula *NON*, sicuti communiter exhibetur. Daniel vero Concina ibidem §. 2. num. 2. utrumque inficiatur, & constanter scribit -- *Multi contendunt mendum irrepsisse in Pontificium textum, & desiderari particulam NON, librariorum oscitantia omissam. Sed effugium istud penitus præclusi in opere De usura contractus trini dissert. 1. cap. 5. §. 2., ubi palam feci non modo codices omnes carere particula NON, verum etiam, quod peremptorium est, S. Raymundum, ad quem directa Decretalis fuit, textum hunc referre absque præfata particula. Cavillantur alii ultima verba -- Usurarius est censendus -- idest in foro exteriori ob præsumptionem, quod ratione mutui, non periculi lucrum captetur. Quisque videt, num sit hæc aperta legis circumventio. Nam istæ dicendi formulæ, usurarius est censendus, &,*

usura-

usurarius est, idem omnino sonant --. Non is ego sum, qui gravissimum hoc doctorum hominum dissidium possim componere. Viderint iccirco, viderint alii; & quantum in me est, sua sit unicuique laus. Paullo infra exscribam quod vulgarunt viri doctissimi: & tu, prudens lector, omnia semoto partium studio expendes, atque seliges quod tibi verius videbitur.

Casum interim nostrum quod respicit, quum ipsemet Cuniliati subdat -- *Nonnullæ tamen sunt a mutuatore circa id conditiones observandæ. Prima, ut periculum extrinsecum sit verum, & non fictum. Secunda, ut de hoc paciscatur antequam mutuum tradat. Tertia, ne plus exigatur, quam a prudentibus & callentibus judicari solet. Quarta, ne mutuatarius cogatur ad potius aliquid pecuniæ erogandum, quam ad aliam præstandam assecurationem, puta pignoris, fidejussionis* &c. --: sponte fluit mutuatorem, de quo in casu, ab usura non posse salvari, quum non instante mutuatario periculum sortis in se suscipiat, sed potius ipse hunc cogat ad accipiendum mutuum cum conditionibus adsignatis. Opportune igitur Author in Angelica loco proxime laudato -- *Talis mutuans non vult mutuare, nisi cum tali pacto susceptionis periculi, & propter hoc gravat debitorem in aliquid plus ex mutuo; & ideo usura est* --: est enim contra naturam mutui lucrum pacisci, lucrum ex mutuo principaliter sperare. Aliis quidem rationibus, sed tamen æque invictis, hunc eundem mutuatorem usurarium probat S. Bernardinus Serm. 39. art. 1. cap. 1. sub initio ita differens -- *Nam, licet capitale currat ad periculum tradentis, quandiu est in itinere, vel in mari, & sic pro illo tempore currat ut suum; in actu tamen, & usu mercandi, & commutandi, currit solum ad periculum mercatoris, cui traditum est. Ideo respectu illius actus, & usus, est ipsius mercantis; propterea per talem actum ipsi lucratur, sicut & soli ipsi perditur. In hoc etiam casu, ut sæpius, alia ratio usuræ contingere solet: nam prius pecuniæ traditor non acciperet super se periculum maris, aut itineris, nisi probabiliter præsumeret partem suam etiam cum hoc toto periculo tutiorem atque utiliorem sibi, quam mercatori, eo quod rarius in mari, vel in itinere amittuntur, quam per usum commutandi, & mercandi.*

Sed quid juris, si mutuator omnino gratis mutuam det naviganti pecuniam, omni alia intentione sublata; & postea mutuatarius sponte adeat mutuatorem, ipsumque roget, ut periculum in se suscipiat, eique ob hoc offerat aliquid ultra sortem? Nullam ibi usuram reperiri respondet Author in Angelica ibidem, & disparem rationem adsignat inquiens -- *Quia receptum in primo casu ultra sortem directe concernit mutuum, in quo omnis superabundantia prohibetur Lucæ 6., & 14. q. 3. cap. 2.. Sed in secundo casu non sic, quia non ex mutuo, sed propter factum, scilicet securitatem; unde est contractus innominatus iste secundus* --. Idem sentit Natalis Alexander scribente Concina ibidem num. 5. --.

Nullam

Nullam tunc usuram committi defendit cum aliis vel ipse Natalis ab Alexandro luxioris Ethices refutator lib. 3. art. 5. Regula 3.: quoniam mutuator ob mutui beneficium deterioris conditionis non est ac alius quisque. Porro quilibet alius assecurare periculum negotiationis sive maritimæ, sive terrestris, valet. Ergo & mutuator --. Et ipse Daniel Concina casum hunc in se inspectum damnare non audet tanquam usurarium, tametsi praxim ipsius velit vehementer esse suspectam, & iccirco ibidem subdat -- *Si casus iste præcisus a praxi spectetur, immo si reipsa innocenter accideret in praxi, non viderem cur damnari usuræ posset. Verum magna hic opus est vigilantia, quia usuræ anguis in herba latet. Vix, aut ne vix quidem hoc in praxi sincere, & innocenter occurrit. Si tamen occurreret, nec ipse post factum absolute usuræ damnarem. Cæterum cum vix, aut ne vix quidem id contingat in praxi; ideo absolute Gregorius IX. declaravit usuræ reum mutuatorem, qui ob tale periculum in se susceptum pretium exigit.*

Si ita est, reponere posset Cuniliati; Ergo per Concinam ipsum excogitabilis est casus, in quo mutuator propter periculum sortis in se susceptum potest aliquid exigere supra sortem sine usura. Ergo Caput *Naviganti* accipi non debet in tota sua latitudine, uti sonat, & jacet. Ergo vel mendosum est, uti contendunt viri gravissimi, vel aliqua debet benigna interpretatione emolliri, ut meliori consilio ab aliis scriptoribus constituitur. Sed jam prætergressus sum limites, quos super hac re mihi ipsi præstitueram. Parce igitur, amice Lector, parce calamo sponte veluti sua scribenti: &, si id tibi videtur, postrema hæc verba habeas tanquam non dicta.

Singularem ejusdem Decretalis expositionem nobis exhibet Pater Franciscus Xaverius Zecch dissert. 2. De usuris cap. 2. §. 132.. Si ipsa stat, jam in tuto est sententia Cuniliati, quod nempe ratione periculi extrinseci licite potest aliquid recipi ultra sortem, & quod Caput *Naganti* huic sententiæ non adversatur. An autem valeat, nec ne, tu ipse judica. Eam igitur accipe -- *Pro interpretatione igitur allegatæ Decretalis existimo, Gregorium respexisse ad fœnus nauticum Romanorum: sicut enim propositus casus intelligi poterat, & eo tempore debebat in sensu legum civilium; ita etiam decisio ad eundem verborum intellectum accommodari debebat. Leges autem civiles circa pecuniam trajectitiam veras admittebant usuras ratione mutui, vehementer tamen auctas ob susceptum periculum, quas usuras sacri Canones damnant: consequenter Pontifex non aliud in sua decisione posuit, quam ut eum usurarium censeri diceret, qui pro pecunia trajectitia ob susceptum in se periculum reciperet aliquid ultra sortem, ea scilicet ratione, qua permittentibus legibus Romanis exigitur fœnus nauticum primario & immediate propter usum pecuniæ, ita ut susceptio periculi non sit causa exigendi usuras simpliciter, sed tantum eas ultra consuetum*

morem

morem augendi. Gregorius ipse, & viri docti, qui casum decidendum proposuerunt, apprehendebant haud dubie ingens discrimen inter mutuum illud, cujus periculum, considerata sola natura contractus, est penes debitorem, & inter illud, cujus periculum speciali pacto in se recipit creditor. Nihilominus cum mens contrahentium præsumeretur eo tempore conformis legibus civilibus, præsumi quoque debuit contractus usurarius. Noluit tamen Pontifex definire usuram esse quidquid sincera mente ratione solius periculi a se suscepti exigitur. Unde mutuantem in casu allegatæ Decretalis non absolute usurarium esse affirmat, sed usurarium esse censendum, idest in foro externo præsumendum, cum videatur contraxisse de fœnore nautico a legibus civilibus permisso. Cum igitur his temporibus doctrina de usuris jam clarius digesta sit, fœnusque nauticum, quatenus ratione mutui exigitur, ab omnibus catholicis reprobetur: hinc etiam decet, ut de mente eorum, qui pecuniæ trajectitiæ periculum pro mercede in se recipiunt, benignius præsumamus. Certe ex Decretali Gregorii IX. non bene concluditur assecurationem pro mercede non posse adjungi mutuo --. Hactenus Pater Zecch.

Melius tamen, meo saltim judicio, Prosper Fagnanus in 1. part. 5. lib. Decretal. De usuris cap. *Naviganti*, cujus verba in suo Tractatu de mutuo & usura exscribit Bonus Merbesius, expendens septimam Decisionem Concilii Mediolan. primi quæstiuncula 3., præmissa distinctione periculi mutuo intrinseci, & eidem extrinseci -- *Aut mutuans*, inquit Fagnanus, *recipit aliquid ultra sortem ratione mutui tantum, alias non mutuaturus, & est usura, non obstante quod periculum sortis in se suscipiat, & in hoc casu loquitur hoc Capitulum. Aut recipit partim ratione mutui, & partim ratione periculi, & similiter usura est quantum ad illud, quod recipit ratione mutui. Aut demum recipit ratione periculi tantum, atque ut pretium periculi, & sic non est usura. Nam etsi non mutuaret, & periculum navigantis subire vellet, licite posset recipere pretium periculi suscepti: nec propter hoc, quod ei inservit mutuando, deterioris conditionis efficitur. Hic intellectus ab Theologis communiter approbatur, sed ipso textu videtur impugnari. Primo, quia hoc Cap. vult esse usuram, etiamsi quid ultra sortem recipiatur ratione periculi, ut sonat litera ibi, PRO EO QUOD. Verba enim textus sic habent -- NAVIGANTI, VEL EUNTI AD NUNDINAS CERTAM MUTUANS PECUNIÆ QUANTITATEM PRO EO QUOD SUSCIPIT IN SE PERICULUM, RECEPTURUS ALIQUID ULTRA SORTEM, USURARIUS EST CENSENDUS --. Deinde quia, si haberetur respectus ad mutuum, nullum fuisset dubium, & sic lex lata esset super indubitabili, quod esse non debet, quia esset superflua. Ad hoc L. QUOD LABEO, & ibi Glossa 1. ff. De Carb. Edic.. Sed Labeonem arguit Sylvester, quod textum perperam intellexerit: quia illa verba [PRO EO QUOD] non denotant causam receptionis lucri, sed causam mutuandi: & secundum hoc poni debet comma post verbum SUSCIPIT, non autem post verbum QUAN-*

QUANTITATEM. Censetur autem creditor moveri ratione mutui, quando vult, & paciscitur, ut sortis periculum omnino ad se pertineat, alias non mutuaturus; & sic ex mutuo vult consequi lucrum, non quidem immediate, sed mediante susceptione periculi, quod usurarium est. Ita hunc textum intelligunt Antoninus in 2. part. lib. 1. tit. 1. cap. 6. §. 21., Sylvester alios adducens in ver. USURA PRIMO num. 35., Conrad. De contract. conclus. 1., Joannes Major in 4. dist. 15. q. 31., & Cajetanus in Summa ver. USURA EXTERIOR vers. DUODECIMUS CASUS. Hunc sensum esse verum, & frequentiori Theologorum judicio probatum attestatur Covarruvias variat. resolut. lib. 2. cap. 2. num. 5. vers. 2.. Quando autem mutuans suscipit in se periculum pecuniæ mutuatæ, & simpliciter recipit aliquid ultra sortem, non exprimens, an id recipiat ratione periculi, an ratione mutui, Canon vehementer præsumit, eum recipere propter mutuum, & susceptionem periculi adhibitam esse ad palliandam usuram: ad quam quidem palliationem de medio tollendam sub colore periculi suscepti emanavit hæc Decretalis. Secus vero, si mutuans exprimat se emolumentum accipere propter periculum, quod in se suscipit, quia tunc contractus non est usurarius, ut patet per Valasc. Consilio 18. num. 4., & alios complures hic congestos a modernis Collectoribus.

Quid dicendum? Ego ad conciliandas opiniones puto sic distinguendum. Aut quæritur, an ejusmodi contractus censeatur usurarius in foro externo, & quantum ad judicium Ecclesiæ: aut quæritur, an sit usurarius in foro animæ, & quoad Deum.

In primo casu existimo contractum judicari usurarium, & ita procedere opinionem Canonistarum: quia cum creditor recipit in se periculum rei mutuatæ, & aliquid accipit ultra sortem, Ecclesia judicat principale objectum illius esse lucrum ex mutuo: ita ut non sit audiendus, si dicat, se non recipere ratione mutui, sed solum ratione periculi: quia cum hoc consistat in intentione, non pertinet ad judicium Ecclesiæ, quæ non judicat de occultis Cap. SICUT TUIS in fine, & ibi Glos. ult., & cap. DE SIMONIA, & Cap. 1. UT ECCLES. BENEFIC.; talis enim intentio, ut inquit Joann. Andreæ in Cap. NOBIS num. 5. DE SIMONIA, non video quomodo probari possit, nisi per ipsum, cui soli sicut criminoso, & in facto suo deponenti non est credendum: alioquin cuique facile esset dicere: ego fuissem alias mutuaturus: occulta enim, & incognita illi soli sunt relinquenda, qui solus novit corda fidelium hominum Cap. CONSULUISTI 2. q. 5.

Et est simile in simonia: nam si pecunia promissa vel data interveniat, non audiuntur electores, si dicant se non fuisse motos ad eligendum propter pecuniam, quia alias electuri erant: sed qualiscumque fuerit eorum intentio, electio judicatur simoniaca, ut firmat Glos. 2. in dict. Cap. NOBIS supra DE SIMONIA, quam ibi sequuntur Hostiensis, Joann. Andr., Abbas, & alii communiter, & videtur sententia D. Thomæ 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.

Eodem

Eodem igitur modo non est audiendus creditor, qui dicit se non moveri ad emolumentum ultra sortem accipiendum ex causa mutui, quia alias erat mutuaturus. Sed nihilominus usurarius ab Ecclesia judicatur, qualiscumque sit ejus intentio. Et propterea textus non dicit -- USURARIUS EST --, sed USURARIUS EST CENSENDUS --: quasi senserit non esse usuram intrinsece, & ex natura rei, sed usuram reputari ab Ecclesia; nam -- CENSERE -- idem importat quod judicare L. CENSERE ff. DE VERB. SIGNIFICAT., Glos. in Clement. 1. in ver. CENSEMUS, DE PROBAT.

Quod sane judicium in eo videtur fundatum, quia ut plurimum creditores suscipiunt in se periculum ad palliandam pravam intentionem, quam gerunt, lucrandi ex pecunia mutuata: & ex his, quæ plerumque accidunt, jura constituuntur L. NAM AD EA ff. DE LEGIBUS, & sic, non quia culpa sit, sed quia solet esse, ut inquit Glos. in Cap. PRÆSENTIAM in ver. ISTAM 1. q. 1., & est simile in Cap. MULIER 15. q. 1.

Limitari tamen posset hoc primum membrum, nisi aliquis primo mutuaret, & postea conveniret, ut ad se periculum pertineret, certa mercede sibi constituta; tunc enim non ex mutuo lucrum acciperet, sed, ut ajunt, pro assecuratione sortis. Ita Navarrus in Manuali cap. 17. num. 221. alios citans: & videtur ex mente Cardinalis num. 1. in 6. Opposit.. Sed ego hoc admitterem, dummodo ejusmodi actus non essent correspectivi, quod ex brevitate temporis inter mutuum & susceptionem periculi, atque ex aliis circumstantiis dijudicari facile potest secundum ea, quæ scribit Anchar. in Consil. 434. incipient. Ex narratis num. 3. vers. PRÆTEREA: & Menochius latissime DE PRÆSUMPTIONE lib. 6. Præsumpt. 12. per tot. num. 38.: alioquin levi negotio posset unusquisque prius mutuare, & paullo post periculum in se suscipere, ut eluderet dispositionem hujus textus: immo intervallum unius diei suspicionem augeret, ut per Moder. Parisiens. in Tract. DE USURIS num. 407., & Menoch. d. præsumpt. 12. num. 29.

In secundo autem casu, idest in foro animæ, vera videtur Theologorum distinctio: nam si mutuans recipiat aliquid ultra sortem ratione mutui, seu ea intentione, ut lucretur ex mutuo, quamvis periculum in se suscipiat, absque dubio usura est, quæ sola voluntate committitur Cap. CUM CONSULUIT, super eod. Glos., in Cap. EX PARTE IN PRIMO in ver. DIMITTERE, DE OFFIC. DELEGAT.. Sed si vere non intendat lucrari ex mutuo, sed tantummodo accipere per mercedem, seu pretium periculi juxta text. in L. PERICULI, ff. DE NAUTICO FOENORE: in foro interiori, & quantum ad Deum non est usurarius. Itaque tota hæc res ab intentione distinguitur, & specificatur, Cap. CUM VOLUNTATE, DE SENT. EXCOMM., L. QUI INJURIA ff. DE FURT., facit tex. IN CIVITATE in fine supra eodem.. In dubio autem, cum non distinguit, an lucrum recipiat ratione mutui, vel ratione periculi, censetur reci-

pere ratione mutui; & ideo usura est secundum ea, quae dicta sunt num. 20.: & sic arbitror posse conciliari dissidentes opiniones. Quod nota --. Hactenus Fagnanus.

Prosequitur nunc Merbesius -- Hactenus Prosper Fagnani loco citato pag. 297., & 298. explicavit praefatum cap. *Naviganti:* & declaravit non posse quicquam percipi ultra sortem a creditore ob susceptum periculum, quin usurae crimen incurrat, si hujusmodi periculum sit mutuo intrinsecum, & ab eo separari nequeat, tametsi aliter de periculo mutuationi extrinseco philosophari oporteat. Haec ille.

Ne graveris Lector, si super hac re gravissima adhuc nonnulla adjicio. Natalis Alexander in sua Theologia dogmatica & morali lib. 3. art. 5. Regula 3. distinguit periculum facti a periculo juris. Periculum facti habetur, cum quis, rem suam mutuo dando, dubiis, incertisque rerum humanarum casibus exponit, non tamen debitorem ipsum obligatione solvendi liberat: vel cum dat mutuum ea lege, ut periculum in se suscipiat, aliter mutuum non daturus, eoque nomine aliquid exigit ultra sortem. Periculum juris est, cum creditor periculum sortis pacto quodam mutuo adjuncto suscipit, ac debitorem obligatione liberat solvendi sortem, si absque hujus culpa pereat. Haec duo pericula, si ut par est, perpendantur, in idem recidunt cum periculo mutuo intrinseco, & eidem extrinseco superius expositis. Prosequitur postmodum Natalis, dicens ob periculum facti nihil posse recipi ultra sortem, & contendens hunc unum esse casum in cap. *Naviganti* comprehensum; & iccirco subdit ob periculum juris creditorem sine usurae vitio aliquid posse exigere, atque percipere, secus ac postmodum scripserit Concina loco supra laudato §. 2. num. 1.. Hoc ut probet, ita disserit -- Hanc regulam confirmat S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 7. §. 21.: *quid* [inquit] *de eo qui mutuavit naviganti, vel eunti ad nundinas, recepturus aliquid ultra sortem pro eo, quod suscipit in se periculum, idest, si pecuniam, vel merces inde emptas portaverit salvas, alias nihil recepturus etiam de sorte? Respondeo, quod aut illud ultra sortem recipit ratione mutui tantum, & sic est usura, non obstante quod periculum ipse suscipiat: & iste est casus capitis NAVIGANTI. Aut recipit illud ultra sortem praecise ratione periculi, ut pretium periculi, & sic non est usura, sed licitum. Nam etiamsi non mutuaret, & periculum navigantis in se vellet suscipere, licite posset recipere pretium periculi; nec propter hoc, quod ei servitium faciat in mutuando, efficitur deterioris conditionis. Aut aliquid ultra sortem recipit partim ratione periculi, & partim ratione mutui; & tunc usura est quantum ad id, quod plus percipit ratione mutui, & illud tenetur restituere* --. Si quis porro dixerit, se non recipere aliquid ultra sortem ratione mutui, sed ratione periculi, nihilominus in foro Ecclesiae judicabitur usurarius: quia Ecclesia de externa duntaxat actione, non de inten-

tentione judicat. Suæ enim intentionis cum nemo homo testis sit præter ipsum, semper diceret creditor, intentionem suam rectam fuisse, seque mutuum fuisse daturum, quamvis hujusmodi pactio non intercessisset. Sicut ergo, ubi pecunia promissa, vel data est pro electione ad Ecclesiasticam dignitatem, aut munus, non audiuntur electores, si dicant se ad eligendum invitatos non fuisse propter pecuniam, quia alias eundem elegissent: sed qualiscumque fuerit eorum intentio, nihilominus electio censetur simoniaca: ita non est audiendus creditor asserens se non moveri ad exigendum aliquid ultra sortem ratione mutui, quia alias mutuum erat daturus; sed nihilominus usurarius est censendus, ut dicitur cap. *Naviganti*. In foro autem conscientiæ, si creditor dicat se non recepisse aliquid ultra sortem ratione mutui, seu ea intentione, ut lucraretur ex mutuo, sed velut pretium periculi, quod suscepit, ipsi fides adhibenda est --. Hactenus Natalis egregie.

QUINTUM DUBIUM. Utrum mutuum dans Venetiis centum, ut recipiat centum & duodecim in Cypro, hac conditione adjuncta, quod, si mercationes, quas de illis centum emet, periclitentur in mari vel in itinere, non teneatur nisi medietatem reddere: si vero non periclitentur, teneatur ad centum & duodecim: sit usurarius?

Respondeo secundum Hostiensem, quod sic. Concordat Raynerius. Ratio secundum Hostiensem est: quia aut pecunia expenditur, & sic consumitur, & fit alterius, & quidquid emit est debitoris; ideo lucrum exigere de re aliena est iniquum. Aut non expenditur, & sic impium est, quod debitor solvat lucrum creditori, quod non habuit.

(6) Et hic mutuator non excusaretur a Patre Cuniliati, aliisque ejusdem opinionis viris, quia se gessit contra quartam ipsius regulam jam recitatam, & quam iterum hic exhibeo -- *Ne mutuatarius cogatur ad potius aliquid pecuniæ erogandum, quam ad aliam præstandam assecurationem, puta pignoris, fidejussionis* &c. --; casus enim supponit, mutuatorem ipsum apponere conditionem de periculo dimidiæ sortis in se suscipiendo cum spe lucri expressi. Aliud sane est, quod mutuator ita velit, ita postulet, ita exigat; & aliud profecto, quod a mutuatario rogatus ita ad paciscendum trahatur. In primo casu palam facit, se mutuare principaliter propter lucrum, & consulto apponere susceptionem periculi sortis, ut lucrum ex mutuo, alias usurarium, reddat, si fieri

 posset,

posset, ab usura liberum. Hunc icc irco impetit prima regula a S. Bernardino super hoc posita articulo primo proxime memorato sub initio, quæ est hæc -- *In mutuis veris, vel interpretatis, spe lucri principaliter factis, dubium, seu periculum a fœnore non excusat* --. In secundo vero casu lucrum unice apponit, ut servetur indemnis, & habeatur æqualitas contractus, ad quem inducitur, ut alteri inserviat.

SEXTUM DUBIUM. Utrum suscipiens periculum alicujus mercantiæ possit licite lucrum suscipere?

Respondeo, quod sic. Puta: est mercator, qui non vult se periculo totius exponere: facit pactum cum aliquo, quod suscipiat periculum, & tantum dabit ipsi pro centenario. Dico, quod talis licite suscipit. Nec obstat Cap. *Naviganti* Extra *De usuris:* quia non est idem casus; nam receptum ultra sortem, de quo dicitur in dicto Cap., mutuum directe concernit, in quo omnis superabundantia prohibetur Lucæ 6., & 14. q. 3. Cap. 2., & q. 4. Cap. *Si quis oblitus*, & Cap. seq.. Sed hic non sic: quia non propter mutuum, quod ibi non est, sed propter factum, scilicet propter securitatem factam lucrum suscipit.

(7) Hoc idem fuse probat S. Bernardinus ibidem cap. 3. scribens -- *Primo propter conditionem locationis: nam videtur esse contractus locationis; quia illi securatori licet accipere conductionem dictarum mercium usque ad talem locum suo periculo, & cum æqua mercede: & quidquid datur pro locato merces est, non usura. Sed objiciunt quidam dictum cap. Naviganti Extra De usuris, quia id cum hoc casu effectualiter idem esse videtur: videor enim, quod tibi mercanti prædictas mutuem merces, & pro eo, quod suscipio in me periculum, percipio aliquid ultra sortem; ex quo videtur, quod hic, sicut ibi, committitur usura. Ad hoc dicendum, quod prædictum cap. Naviganti loquitur in casu multum diverso, nam receptum ultra sortem, de quo dicitur ibi, mutuum directe concernit, in quo omnis superabundantia prohibetur, ut 14. q. 4. cap. Si quis oblitus, & cap. seq.; sed in casu isto non sic. Non enim propter mutuum, quod ibi non est, sed propter factum, idest propter securitatem, quam fecit de mercibus antedictis, recipit tale lucrum. Secundo: talis contractus licitus est propter cessationem sortis: non enim est contra primam, & secundam regulam: quia non est ibi mutuum, quum non sit ibi sors. Ergo non potest dici, quod assecurans lucrum recipiat ultra sortem .... Ad esse enim usuræ oportet intervenire sortem, & amplius ultra sortem, ut patet supra Serm. 33. art. 1. cap. 1.,*

sicut

ficut ad esse cujuslibet entis duo sunt necessaria, scilicet substantia & forma Extra DE SPONSALIBUS Cap. TUA NOS. Tertio: videtur esse licitus talis contractus propter experimentationem communis utilitatis, eo quod inde sequitur Reipublicæ commune bonum, & utilitas mercatorum. Multa enim mercationes fieri possunt, & fiunt, quæ cessarent, si non reperirentur tales assecurantes --. Brevius quidem, sed æque invicte, id probat Tabiena *Usura duodecimo* num. 1., ostendens contractum esse nedum locationis, sed etiam innominatum; do enim ut facias, & non do propter mutuum, quod ibi non reperitur.

De hoc contractu, qui dicitur assecurationis, estque ille, quo, pacto pretio, aliquis rei periculum suscipit, damnum sive in totum, sive in partem compensaturus, agit etiam Daniel Concina De justitia & jure lib. 3. dissert. 4. cap. 16. per totum; & ultro fatetur nedum utilem esse, & necessarium negotiationi, atque Reipublicæ, sed etiam ab omnibus adprobari tanquam licitum, dummodo concurrant nonnullæ conditiones, quæ sunt hæ. Prima, ut pretium sit justum juxta platearum consuetudines, & leges, quæ pro majori, aut minori periculorum quantitate, & qualitate pretium augent, aut minuunt. Secunda præscribit, ut vera sint pericula, quæ tum assecuratori, tum assecuratario nota esse debent. Tertia requirit rem, quæ assecuratur, reipsa existere. Quarta postulat, ut assecurator in bonis habeat tantundem æquivalens merci, pro qua assecurationem præstat. Addunt alii quintam, nempe ut assecuratio libere a contrahentibus fiat, & non coacte. Hæc ille ibidem num. 5.

SEPTIMUM DUBIUM. Utrum ille, qui satisdat, seu fidejubet pro pecunia ab alio mutuo accepta, cum pacto quod habeat duos florenos pro centenario fidejussionis: fit usurarius?

Respondeo, quod sic: quia est ibi mutuum.

(8) Fidejussio communiter definitur -- *alienæ obligationis in se susceptio, qua quis se ad eam implendam obstringit, principali debitore deficiente* --, & eruitur ex L. *Obligationes* ff. *De obligationibus, & actionibus* §. 9., ubi scriptum est -- *Qui autem alieno nomine obligatur, fidejussor vocatur: & plerumque ab eo, quem proprio nomine obligamus, alios accipimus, qui eadem obligatione teneantur: dum curamus, ut, quod in obligationem deduximus, tutius nobis debeatur*.

Author in hac parte secutus est S. Bernardinum, qui ita sensit loco proxime citato scribens -- *Talis quidem contractus duplici ratione illicitus esse videtur: primo, quia est ibi mutuum indirectum: secundo, quia ibi cessat periculum* --, quod utrumque S. Doctor probandum postea assumit,

 ut

ut videre potes apud eundem. Pro eadem opinione ſtetit S. Antoninus 2. part. Summ. Theolog. tit. 2. cap. 7. §. 45., quem ſequitur Joannes Pontas ver. *Fidejuſſor* caſu 14., ipſius verba proferens, quæ ſunt hujuſmodi -- *Paria quidem videntur, mutuare ultra ſortem, & certum quid recipere: & penes creditorem ſatis dare, & aliquid a debitore recipere* --. Sed Author certe ſententiam immutavit: quoniam in Angelica ver. *Fidejuſſor* num. 20., propoſito hoc eodem caſu, nempe utrum fidejuſſor poſſit aliquid a debitore accipere ſine uſura, reſpondet -- *Quidam tenent quod non, quia eſſet uſura. Ratio, quia videtur, quod fidejuſſio ſit quoddam mutuum interpretatum. Sed ego credo, quod non ſit uſura aliquid accipere: dummodo neque fraus, neque dolus interveniat: puta quando convenit cum aliquo, ne credat debitori, niſi fidejubeat, ut ſic lucrari poſſit: quia tunc non liceret. Alias ſic: quia hoc non eſt mutuum verum, neque etiam interpretatum. Sed ſi ratione facti aliquid acciperet, bene eſſet injuſtitia, & contra charitatem, quando nullum periculum habet, vel laborem in fidejubendo. Sed quando aliquid accipit ratione periculi, cui ſe exponit, vel forte laborum, & cæterorum, quæ faciliter incurrunt in talibus fidejuſſionibus, eſſet omnino licitum aliquid accipere, moderate tamen: & ſic eſt contractus innominatus, non mutui* --. Poſtremum hoc Authoris judicium tanti fecit Tabiena, ut loco cit. num. 2., poſthabitis quibuſdam aliis judiciis, de eo ſcripſerit -- *Et hoc ſatis videtur æquum* --. Immo & Recentiores ipſi pro hac eadem ſententia pugnant; licitum enim eſſe hoc lucrum pro ratione quantitatis debiti, & periculi docent, probantque Gabriel Antoine De contractibus part. 2. cap. 10. q. 3., & Continuator Tournely De contractibus part. 2. cap. 9.: Et quia obligatio civilis ſolvendi debitum alterius eſt onus juſtitiæ pretio æſtimabile, nec fidejuſſor tenetur eam gratis ſuſcipere: & quia ibi mutuum virtuale non reperitur; nam fidejuſſio non conſiſtit in traditione rei, ſicuti mutuum, ſed præciſe in ſuſceptione obligationis alienæ: & tandem quia fidejuſſor nihil exigit pro ſolvenda pecunia creditori in locum debitoris, quod eſſet uſurarium, ſed duntaxat pro eo quod obligationem hujus debiti ſolvendi in ſe ſuſcipiat. Immo, quod pluris facio, Rota ipſa in ſuis Deciſionibus huic judicio ſe conformat, teſte Lucio Ferraris ver. *Fidejuſſio* num. 46., & ſeq. ſeribente -- *Fidejuſſor poteſt paciſci, & de jure aliquid recipere in compenſationem imminentis periculi, quod ſubit in fidejubendo. Rota part. 2. deciſ. 69. num. 3., part. 3. deciſ. 139. num. 3., part. 13. deciſ. 121. num. 8., & ſeq., & deciſ. 139. num. 9., & ſeq.. Etiamſi debitor exiſtat idoneus, quia ſemper aliquod fidejuſſori imminet periculum. Rota part. 13. deciſ. 121. num. 15., & deciſ. 539. num. 16., & ſeq.. Regulariter de ſtylo mercatorum perſolvuntur pro fidejuſſore duo in ſingula centenaria. Rota part. 13. deciſ. 121. num. 5., & 15., & deciſ. 539. num. 6., & ſeq.*

OCTA-

OCTAVUM DUBIUM. Utrum deponens pecuniam apud campsorem, pro qua hic, quia negotiatur, dat deponenti decem pro centenario, licite hoc recipiat?

Respondeo secundum Baldum de Perusio, quod aut talis deposuit in specie; & tunc, quia illicite usus est pecunia mea ei deposita, tenetur mihi omne lucrum restituere inde proveniens: quia ex re mea locupletior factus est. Arguitur L. *Qui sine usuris* ff. *De negotiis gestis*. Aut est usus licite, quia deposueram ad numerum; & tunc si dat ex liberalitate, sciens se minime teneri, & talis deponens non habuit animum fœnerandi a principio, licite potest recipere, & retinere. Si vero dat ex quadam æquitate, quæ movet ipsum ad hoc; sic idem dicendum est: quia mera donatio est. Aut dat ex necessitate, credens se esse obligatum; tunc dicendum, ut dictum est in quarto dubio quinti verbi definitionis primi articuli hujus declarationis.

(9) *Depositum est*, ita exorditur L. 1. ff. *Depositi*, *quod custodiendum alicui datum est. Dictum ex eo, quod ponitur; præpositio enim DE auget positum, ut ostendat totum fidei ejus commissum, quod ad custodiam rei pertinet* --. Definitur iccirco a Theologis -- *Contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur sine mercede, ut integrum restituatur* --. Si depositarius utatur re deposita sine consensu domini expresso, vel tacito, reus est furti, Institut. *De obligationibus quæ ex delicto nascuntur* §. *Furtum* -- *Itaque si creditor pignore, sive is, apud quem res deposita est, ea re utatur; sive is, qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quam cujus gratia ei data est, furtum committit* --. Res postmodum deponi potest aut sigillata, & obsignata, aliove modo ostendente animum deponentis, quod nempe prorsus eadem servetur, & intacta: aut numerata duntaxat, vel mensurata, ut liquido constet quantum reddere debebit depositarius. Utrumque hunc modum complexus est Gabriel Antoine De contractibus part. 2. cap. 4. q. 2. num 2. scribens in proposito casu de pecunia -- *Porro, secundum multos, Domini consensus præsumitur circa usum pecuniæ depositæ, cum eam tradit, nec sacculo clauso, nec obsignato, nec alio indicio ostendit se utendi facultatem denegare; modo recipiens sit moraliter certus, se eam soluturum, ut primum exigetur* --. Utrumque pariter respexit Author in casu; & iccirco primum

mum usum dicit illicitum juxta textum expressum L. *Si saceulum* ff. *Depositi -- Si sacculum, vel argentum signatum deposuero, & is, penes quem depositum fuit, me invito contrectaverit, & depositi, & furti actio mihi in eum competit* --; secundum vero licitum asserit: quia ex ipso modo deponendi arguitur deponentem obligare quidem depositarium ad tantundem, non vero ad idem prorsus restituendum.

Lucrum quod spectat ex usu depositi perceptum, vult Author cum Baldo totum esse domino, deponenti scilicet restituendum in primo casu, & id probari posset ex L. *Qui furtum* ff. *De condictione furtiva -- Qui furtum admittit, vel re commodata, vel deposita utendo, condictione quoque ex furtiva caussa obstringitur* --. Ita sane in jure civili. Sed in foro conscientiæ secus opinatus est Author ipse in Angelica ver. *Usura primo* num. 55. scribens -- *Sed ego non credo in conscientia, quod teneatur de necessitate* --. Ratio est, quia deponens nullum damnum ex hoc passus fuit, ut supponitur. Sancitum icciroo legimus cap. *Fraternitas* 12. q. 2. -- *Addis etiam quo augmento ea, quæ furto de Ecclesiis abstulerunt, reddere debeant. Sed absit, ut Ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis quærat* --. In secundo autem casu depositarius dubio procul ad nil tenetur: &, si aliquid deponenti largitur, deponens tuta conscientia conformare se potest doctrinæ hic ab Authore traditæ.

Animum tamen intende ad hæc Authoris verba -- *Si .... talis deponens non habuit animum fœnerandi a principio* --: quoniam secus non esset proprie depositum, sed verum mutuum cum spe habendi ultra sortem sub pallio depositi. In praxi super hoc standum est confessioni pœnitentis, ut ad rem S. Bernardinus Serm. 39. art. 1. cap. 3. -- *Dicunt quidam, quod aut ego deposui cum spe lucri, & tunc est usura: aut principaliter sine tali spe, & tunc secus est: & de hoc statur dicto meo quia hæc quæstio de conscientia est.*

NONUM DUBIUM. Utrum mutuo dans Joanni centum usque ad decem annos hoc pacto, quod, si infra decennium alter ipsorum mortuus fuerit, debitor liberatus sit a debito ex mutuo: si vero supervixerint ambo, dabit ei, qui mutuum dedit, aliquid ultra sortem: sit usurarius?

Respondeo, quod sic: quia secundum Alexandrum Lombardum periculum non excusat, ubi causa temporis non proprii aliquid plus accipitur. Sed ubi non causa temporis, tunc ratio dubii, vel periculi excusare potest.

(10) Ra-

(10) Rationem adſignat S. Bernardinus ibidem cap. 4. inquiens ex eodem Alexandro Lombardo -- *Nam talis contractus non tradit ad æqualitatem juſtitiæ, quum hæc ſuperabundantia nec ex labore, nec ex uſu rei propriæ, nec recompenſatione alterius rei reducatur ad æqualitatem juſtitiæ* --. Rationem alteram profert idem Sanctus art. 1. ejuſdem ſermonis ſub initio -- *Quia ibi ſemper præſumitur eſſe mutuum verum, ſeu interpretatum cum ſpe lucri propter intercurrens tempus* --. Alia via hoc ipſum probat Joannes Pontas ver. *Uſura* caſu 21. ſcribens -- *Enim vero nulla ratione defendi poteſt ejuſmodi mutui genus eſſe gratuitum: quin potius poteſt omnino comparari cum illo mutuo, quod Paſchaſius alicui pauperi traderet, accedente pacto, quod, ſi prædictus pauper fieret intra quinque, aut ſex annos ditior, ei foret redditurus illius duplum, quod commodaviſſet. Quod pactum omnino uſurarium eſt, ac penitus reprobandum. Cui ſententiæ Sylveſter totus adhæret.*

Scias tamen volo, Tabienam ver. *Uſura* 15. num. 10. hunc eundem proponere caſum, &, expoſita opinione Authoris noſtri, & Roſellæ cum rationibus ab iiſdem adductis, ſtatim ſubdere -- *Poſſet tamen dici, quod, ſi iſtæ ambæ partes velint ſe ſubmittere fortunæ, & non ſit melior conditio unius, quam alterius, penſatis periculis, & aliis, quæ circa iſtum contractum occurrunt, quod non ſit uſura: quamvis videatur citius ludus fortunæ, & ſic non conſulendus* --. Proſequitur poſtmodum faciens ſatis argumentis in contrarium allatis, & concludens, quod in hoc caſu, & in ſequenti, quos ambos ipſe una ſimul ſolvendos offert, *non accipitur aliquid ratione expectationis, ſed ratione periculi, & quod tam capitale quam lucrum ſtant ſub periculo uſque ad terminum fortunæ* --. Et reſponſum hoc, meo ſaltem judicio, non eſt contemnendum. Judicent igitur æqui rerum æſtimatores, quid juris in caſu, de quo agitur.

DECIMUM DUBIUM. Utrum Titius, qui dat Communitati ſeptuaginta Ducatos, quia Communitas habet ex Statuto, quod quicumque, antequam habeat filiam, vel infra annum ipſius filiæ, dederit ſeptuaginta, poſtquam filia venerit ad annum quintumdecimum, habeat quingentos ad tradendam ipſam nuptui, ſi ſupervixerit: ſi vero mortua fuerit, amittat illos ſeptuaginta: ſit uſurarius?

Reſpondeo, quod ſic: quia in mutuis veris vel interpretatis ſpe lucri principaliter factis dubium, ſeu periculum a fœnore non excuſat Cap. *Naviganti*, & Cap. *In Civitate tua* Extra *De uſuris:* & uſura eſt quidquid ſorti accedit

cedit Cap. *Plerique* 14. q. 3.. Eſt tamen ſciendum, quod dubium, ſeu periculum tunc excuſat a fœnore, quando apud lucrantem includitur dominium, aut periclitatur uſus rei, cum qua lucratur. Et notanter dico primo *dominium*; quia ex re ſua homo lucrari debet: ſecundo *uſus rei*: quia mediate vel immediate ad lucrantem debet pertinere. Notandum inſuper eſt, quod periculum non excuſat a fœnore, quia nulla conditio, ſeu circumſtantia aliquem actum ex natura vitioſum poteſt excuſare, niſi ab eo rationem vitioſitatis removere valeat. Patet hoc Exod. 12. in expoliatione Ægyptiorum; excuſantur enim filii Iſrael propter præceptum Dei: & Oſeæ 1. v. 2. -- *Vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum* --. Sic in propoſito: ſi dubium, vel periculum excuſare debet crimen uſuræ, neceſſe eſt, quod habeat virtutem tollendi crimen uſuræ veræ, vel interpretatæ. Sed in mutuis veris, vel interpretatis, ſi principaliter fuit ſpes lucri, uſuræ vitium eſt annexum. Dubium ergo, vel periculum de ſui natura a tali mutuo vitioſitatem non tollit, ut patet in dicto Cap. *Naviganti*.

(11) Quum hujuſmodi caſus ejuſdem ſit indolis cum præcedenti, mutatis duntaxat perſonis, aliiſque minimis diverſitatem eſſentialem non inferentibus: nihil adjiciam niſi quod animadvertit Editor annotationum ſuper Angelica ver. *Uſura primo* num. 43.: ſcilicet quod hic contractus olim apud Florentinos erat in uſu poſitus. Tene interim, quod, ſi licet Communitati, licet etiam privatæ perſonæ; & ſi huic non licet, nec Communitati licet: quia ubi eadem ratio, eadem cauſa, idem modus, ibi idem jus.

UNDECIMUM DUBIUM. Utrum, dum quis vendit poſſeſſionem tali conditione quod uſque ad tot annos eam reemere poſſit, ſi reddat pretium: emens poſſeſſionem faciat fructus ſuos abſque uſuræ vitio?

Reſpondeo ſecundum Raynerium, & Hugonem, quos citat Archidiaconus in Cap. *Plerique* 14. q. 3., quod ſi bona

bona fide, & absque fraude contractus fiat, licitus est, & talis emptio, vel venditio licet L. *Si fundum* C. *De pactis inter emptorem, & venditorem*, & L. *Quotiens* ff. *De in diem addictione*. Si vero fit in fraudem, mortaliter peccat, nec ab usura excusatur. Præsumitur autem fieri in fraudem primo: si pretium sit modicum respectu valoris rei Cap. *Ad nostram* Extra *De emptione & venditione*. Idem tenet Hostiensis ibidem allegans L. *Quamvis* §. *Si cum essem* ff. *Ad senatusconsultum Vellejanum*, & Innocentius, & Joannes Andreæ in dicto Cap. *Ad nostram*. Secundo, si sit in pacto, quod restituatur aliquid plus, quam fuit pretium Cap. *Illo vos* Extra *De pignoribus*. Idem tenent Doctores in Cap. *Diocesi*, *De usuris*, ut notat Antonius de Butrio ibidem. Tertio, si emptor consuevit exercere usuras in dicto Cap. *Illo vos*, & Cap. *Ad nostram*. Idem tenent Hostiensis, & Baldus. Dicendum tamen secundum eosdem, quod, si venditio fiat tali pacto, quod, quandocumque reddetur pretium a venditore, vel ejus hærede, reddatur prædium, tunc contractus sit licitus, si fiat bona fide. Concordant Antonius de Butrio in Cap. *Conquestus* Extra *De usuris*, & Innocentius in dicto Cap. *Ad nostram*.

(12) Venditio cum pacto de retrovendendo, seu pactum retrovendendi, & redimendi, tripliciter potest contingere, in gratiam scilicet solius venditoris, in gratiam solius emptoris, & in favorem utriusque. In gratiam est solius venditoris, ut si ea conditione res vendatur, quod emptor teneatur eandem venditori revendere vel tempore quodam statuto, vel quandocumque venditori placuerit. In gratiam est solius emptoris, si venditor teneatur rem suam redimere, & recipere statim atque placebit emptori. In favorem demum est utriusque, quando utrique relinquitur libera facultas resiliendi a contractu. Conveniunt omnes venditionem cum pacto de retrovendendo esse licitam, si cedat in favorem solius venditoris, textibus expressis in Scriptura, & in jure tum Civili tum Canonico. En Scripturam Levitici 25. v. 24. -- *Cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur* --, & v. 29. -- *Qui vendi-*

diderit domum intra Urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus --. En Jus Civile L. *Si fundum* C. *De pactis inter emptorem & venditorem* --. *Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, ut sive ipsi, sive hæredes eorum emptori pretium quandocumque, vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur: teque parato satisfacere conditioni dictæ, hæres emptoris non paret, ut contractus fides servetur, actio præscriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur* --. Jus Canonicum quod respicit, habemus utrumque Cap. *Regimini* in Extravag. comm. *De emptione, & venditione*, quorum primum est Martini V., alterum Calixti III., in quibus ambobus approbantur tanquam liciti, & juri communi conformes census redimibiles, cum facultate scilicet eos redimendi in gratiam venditorum. Jure igitur S. Raymundus lib. 2. tit. 7. De usuris part. 6. huic quæsito -- *Si vendidi tali conditione adjecta, ut quandocumque solvatur pretium a me, vel hærede meo, rehabeam prædium ego, vel hæres meus, quandocumque a septennio usque ad novennium, vel simile; nunquid est usurarius contractus?* --, negative respondet inquiens -- *Ad hoc dico, quod non est mutuum, & emptor facit fructus suos sine periculo usuræ, licet venditor juxta venditionis formam postea recuperet prædium* --. Secus tamen constituunt, si memoratum pactum cedat in favorem solius emptoris; in praxi enim hic contractus vix, aut ne vix quidem est ab usura liber: quia in re nihil aliud est, quam mille nummos verbi gratia mutuo dare pro vinea empta, & hujus fructus ad beneplacitum percipere tanquam pretium pecuniæ datæ, ut deinde, quando libuerit mutuatori, vinea restituatur: quia in praxi sic contrahens non habet sinceram intentionem emendi, sed solum intendit dare pecuniam præsentem ea lege, ut totam postea recipiat cum lucro, quando sibi videbitur. Dixi in praxi: quoniam non inficior contingere posse, quod res vere ematur, quod res sic empta pereat, & pereat emptori, quin huic competat actio ad rehabendum quod solvit. Sed conditio unice favens emptori contractum reddit vehementissime suspectum. Non adeo proximus fœnori contractus est, quando pactum cedit in favorem utriusque; sed & ipse in praxi non vacat periculis, & nemini est consulendus. Vix in hoc contractu servatur æqualitas: quandoquidem, ut observat Cuniliati De contractibus cap. 8. §. 9. num. 2., longe difficilius est venditori invenire pecuniam erogandam emptori pro libito illam petenti, quam ipsi emptori post perceptos fructus rem revendere primo venditori.

Hisce præhabitis quisque videt hanc Authoris doctrinam a Theologis omnibus tum veteribus, tum recentioribus communi consensione firmari: quum sermo hic sit de retrovenditione in favorem solius venditoris. Duo tamen hic adjicienda sunt. Primum, quod in prima venditione res debet minus vendi, quam valeat secundum se: quia gravatur onere retrovenditionis in gratiam solius venditoris, quod est pretio æstimabile.

Quan-

Quantum autem minui debeat de pretio alioqui justo propter hoc onus emptori impositum, aliqui hoc extendunt usque ad tertiam partem. Sed verius asserunt alii nullam super hoc certam regulam generalem posse præscribi; minus enim minuendum erit si facultas redimendi sit ad breve tempus, aliquid plus, si ad tempus longius, & plus etiam, si ipsa sit perpetua. Relinquendum iccirco hoc est arbitrio prudentum, & peritorum, qui, perpensis omnibus circumstantiis, tantum detrahant de justo pretio, quantum reputabunt gravamen adjectum. Secundum, quod res non revendatur quanti primo fuit vendita, aut saltim hoc non transeat in pactum; justum enim ipsius pretium tunc est, quanti tunc æstimabitur a peritis. Ratio est evidens: quia tempore primæ venditionis res erat gravata onere retrovenditionis pretio æstimabili, & quando retrovenditur, nullum onus emptori imponitur, res immo ab omni est onere libera. Non desunt qui secus opinantur; sed eorum opinio non videtur huic præferenda, quæ magis est æquitati consentanea. Si & prima & secunda veræ sunt, & reales venditiones, ut supponitur, quia secus jam fieret in fraudem, res vendi debet quanti valet tempore venditionis. Si igitur in prima venditione res minoris valet propter onus adjectum, pluris in secunda propter idem onus omnino sublatum, retrovendetur non quanti fuit empta, sed quanti judicio prudentum valebit tempore retrovenditionis. Dixi -- *Aut saltim hoc non transeat in pactum* --; non enim prohibetur emptori, si velit, eam libere dare pro minori pretio, pro eo nempe, quo eandem emerat, quum possit ipsam concedere omnino gratis, & sine pretio. Naturam contractus unice respexi, non gratuitam donationem, quæ non a lege, sed a libera duntaxat hominum voluntate pendet -- *Cum quilibet ad renunciandum juri suo liberam habeat facultatem* -- Cap. *Ex conscientia* Extra *De crimine falsi*.

Contra hujus conclusionis veritatem objicitur locus petitus ex Levit. cap. 25. v. 26., & 27. -- *Sin autem* [*ait Dominus*] *non habuerit proximum* [venditor], *& ipse pretium ad redimendum potuerit invenire; computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit, & quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam* --. Ex quo loco inferunt nonnulli, contractum venditionis cum pacto de retrovendendo nihil prohibere, quominus fructus ex fundo per eum contractum vendito profecti computari debeant in sortem, siquidem id divina lege sanciatur.

Hæc objectio passim solvitur a Theologis ajentibus, hisce verbis contineri legem judicialem, quæ quidem cum cæteris abrogata est per Christum, ideoque nec obligare in foro conscientiæ, nec etiam in judicio, nisi eorum, quorum est promulgare leges, auctoritate denuo promulgata fuerit. Ita passim loquuntur graves Theologi, Alexander Alensis 2. part. q. 52. membr. 1., S. Thomas 1. 2. q. 104. art. 3., & 2. 2. q. 87. art. 1. in Corpore, ubi sic loquitur -- *Judicialia præcepta etsi non obli-*

obli-

obligent tempore gratiæ, tamen possunt observari absque peccato, & ad eorum observantiam aliqui obligantur, si statuantur auctoritate eorum, quorum est condere legem --. Hæc ibi. Ita docet S. Bonaventura in 4. dist. 3. art. 3. q. 2. Ita Gabriel in 3. dist. 37. q. 1. art. 2., Angelus in ver. *Decima*, & alii, quibus etiam adstipulantur Jurisperiti, ut Decius in cap. *Consuluit*, & alii, & in primis Tyraquellus lib. 1. *De utroque retract.* in præf. num. 9. -- Hactenus Merbesius super septima Decisione Concilii Mediolan. primi quæstiuncula 9. conclus. 2.

DUODECIMUM DUBIUM. Utrum emens prædicto modo, ut dictum est quæstione præcedenti, qui non vult, quod ante quinquennium (puta si ad decem annos debet redimere) instrumentum revenditionis fiat: sit usurarius?

Respondeo secundum Hostiensem, quod eo ipso detegitur fraus, ut ipse notat, & post ipsum Joannes Andreæ in Cap. *Ad nostram* Extra *De emptione, & venditione* in Novella: & sic videtur, quod sit usura. Archidiacono tamen videtur, quod, si bona fide hoc fit, & non in fraudem, tunc liceat. Puta: ager est macer quando emitur: emens vult ipsum optime impinguare: pinguedo non consumitur nisi in quinquennio. Si iste dicat, nolo quod ante quinquennium reemas, non erit usura, nisi fiat in fraudem. Et Hostiensis, & Joannes Andreæ intelligunt, quando fit in fraudem. Ratio autem, quare non est usurarius talis contractus, est: quia hic non habetur mutuum nec verum, nec interpretatum; & ideo nec usura: cum sit venditio vera.

(13) Opinio hæc Archidiaconi satis æqua videtur: quoniam emptor ita operatur non in fraudem usurarum, sed ut se servet indemnem. Jure igitur Tabiena ver. *Usura 16.* num. 2. adnotat, accedente justa causa, id esse licitum, etsi onus videatur, & reipsa sit venditori impositum. Adjicit Author in Angelica ver. *Usura primo* num. 67. *Nisi sibi alio modo velit satisfacere de expensa --.* Et quidem jure optimo: nam, si venditor se obligaret ad servandum emptorem indemnem ab extraordinariis expensis, de quibus in casu, non posset tunc amplius emptor citra usuram onerare venditorem Lege non rehabendi ante quinquennium.

Si

Si adversus hanc opinionem quis objiciat caput *Ad nostram* Extra *de emptione & venditione*, in quo declaratur usurarius qui ab altero receperat domos, & olivas titulo emptionis cum pacto in instrumento venditionis adjecto, quod, quandocumque a septennio usque ad novennium debitor solveret creditori, creditor domos & olivas debitori restitueret.

Respondeo, Innocentium III. ita sanxisse non propter conditionem in argumento memoratam, sed propter pretium minus justo, quum ibi legatur -- *Quadraginta uncias tarenorum, quæ vix dimidiam justi pretii contingebant* --. Ex quo infert Pontifex, ibi intervenisse fraudem & dolum: infert Glossa ibidem, veram non fuisse venditionem, sed simulatam -- *Et concessio simulata præsumitur propter modicum pretium* --. Cæterum hisce sublatis eadem Glossa contractum licitum esse declarat inquiens -- *Si autem non ageretur in fraudem, secus esset, & haberet emptor fructus, licet venditio rescinderetur*.

Eodem modo respondet Merbesius super septima Decisione Concilii Mediol. primi quæstiuncula 9. conclus. 6. inquiens -- Sed, si spectentur accurate verba Innocentii Papæ III., apparebit instrumentum, de quo agitur, fuisse confectum in usurarum fraudem, & damnatum non præcise propter temporis determinationem, quæ si sola esset, insontem redderet contractum (hanc enim determinationem temporis ab ipso Deo Levitici cap. 25. ad redimendas domos constitutam esse legimus,) sed propter modicitatem pretii, ut pote quod ad justi pretii medietatem non pertingeret. Quia igitur toto tempore inter septennium & novennium intercurrente, justo domorum & olivarum suarum pretio debitor malo creditoris dolo caruit, ideo fraudulentus creditor ab Summo Pontifice ad restitutionem domorum & olivarum obligatus est: eo quod non venditionis, sed pignoris contractum improbe & callide iniisse præsumeretur --. Hæc ille.

Si cui forte videatur oppositum constituisse Concilium Mediolanense primum in medium productum a Natali Alexandro lib. 3. art. 5. Regula 12. dum decrevit -- *Ne fiant contractus, qui libellarii, seu ficti libellarii dicuntur, ubi non antecedat emptio certæ rei immobilis pretio justo; vel ubi venditor redimere cogatur: vel ubi non possit redimere nisi post certum tempus* --: Audiat is Merbesium ibidem conclus. 7. mentem Concilii exponentem -- Tertium contractum (in quo scilicet venditor non possit redimere nisi post certum tempus) damnat idem Concilium. Et revera damnabilis est, & usurarius contractus, in quo apponitur venditorem non posse redimere nisi post certum tempus, si ex illa temporis determinatione venditor detrimentum notabile capiat, vel si ista temporis determinatio apponatur in fraudem usurarum. Alioquin, si fiat bona fide, est innoxia, ut supra probavimus. Verum hujuscemodi temporis determinatio in fraudem usurarum facta præsumitur, si emptor solitus

tus

tus sit fœnerari: nam qui semel est malus, præsumitur esse dehinc malus in eodem genere mali L. *Si cui* §. *Iisdem criminibus* ff. *De accusationibus*, & *qui semel* De Regulis juris in Sexto --. Hactenus Merbesius.

TERTIUM DECIMUM DUBIUM. Utrum vendens vinum, frumentum, & hujusmodi pro pretio, quod currit, cum hoc pacto, quod, si plus usque ad Pascha valuerit, vult illud plus: si vero minus, non vult minuere: sit usurarius?

Respondeo, quod sic L. penultima C. *De solutionibus*, & L. *Qui bona* §. *Si quis* ff. *De damno infecto*. Et hoc idem notant Archidiaconus 14. q. 4. §. 1., & Hostiensis in summa tit. *De usuris*. Facit L. *Si non fuerint* §. *Aristo refert* ff. *Pro socio*.

(14) Aut venditor, de quo in casu, decreverat servare merces usque ad Pascha, aut non ita decreverat, sed paratus erat eas vendere pro tunc. Si non ita decreverat, tenetur eas vendere secundum justum pretium illius temporis, & non amplius, quamvis eas vendat pecunia credita, sicuti sancitum legimus in cap. *Consuluit* Extra *De usuris:* ubi Urbanus III. usurarium dixit negotiatorem -- *qui merces suas longe majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei incontinenti pretium persolvatur* --. Injustitia igitur manifesta erit ultra pretium nunc justum, commune, & consuetum exigere aliquid amplius, si merces pluris valebunt tempore Paschatis; immo verum propriumque furtum, quum ad illud incrementum venditor nullum habeat titulum ne quidem adparentem. Si autem ita merces suas usque ad illud tempus servare reipsa decreverat, adhuc in casu manifestæ injustitiæ reus est venditor: quia in hoc contractu non servaretur æqualitas, nec æquale esset utriusque contrahentis periculum. Licet utique vendenti ante tempus, quo vendere statuerat, convenire cum emptore, ut sibi solvatur pretium sive majus, sive minus quod merces valebunt eo tempore, quo vendere decreverat, deductis expensis necessariis in conservatione ipsarum, earumque imminutione &c., ut Doctores communiter. At ponere se in tuto pro majori lucro, & nolle participem esse decrementi, si minoris valebunt; negotiationem non redolet, sed avaritiam, injustitiam, turpe lucrum, furtum, & oppressionem pauperum. Et quod de consimili societate dicit Lex ultimo ab Authore producta -- *Aristo refert Cassium respondisse societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret: & hanc societatem leoninam solitum appellare. Et nos consentimus talem societatem nullam esse, ut alter lucrum sentiret, alter vero nullum lucrum, sed damnum sentiret;* ini-

iniquissimum enim genus societatis est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum spectet -- : dicam ego de hac venditione. Iniquissimum genus venditionis hoc est, in quo venditor pro se vult unice lucrum, & emptorem non lucri, sed solius damni facit esse participem, immo totum damnum, si quod erit, subire cogitur emptor: quum *in omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda sit*, uti sancitur Regula 90. ff. *De diversis regulis Juris antiqui*.

Brevibus proposito casui respondet Astesanus lib. 3. tit. 11. de quarto -- *Respondet Hostiensis, quod est usurarius, quum claudicet in pretio. Arguitur*. C. *DE SOLUTIONIBUS L. penultima* --, quæ est hujusmodi -- *Cum pro pecunia, quam mutuo acceperas, secundum placitum Evandro te fundum dedisse profitearis: ejus industriam, vel eventum meliorem tibi, non ipsi prodesse, contrarium non postulaturus, si minoris distraxisset, non juste petis*.

Cave tamen, ne statim credas venditoribus dictitantibus, se voluisse, aut velle merces suas servare usque ad hoc, vel ad illud futurum tempus: *quia*, ut scite animadvertit Author in Angelica ver. *Usura primo* num. 34., *tales magis sunt contenti ita expedire, quam periculo suo usque ad aliud tempus servare. Et etiam ut plurimum sunt incerti, si erant servaturi usque ad illud tempus: cum videamus propter quædam emergentia propositum sæpius mutare* -- . Diligenter iccirco examinandi sunt, & concutiendi, *quia fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent*, ut in Cap. *Ad nostram* Extra *De emptione & venditione*.

QUARTUMDECIMUM DUBIUM. Utrum emens prædium cum pacto de retrovendendo, ut dictum est in præcedenti dubio undecimo, qui interim ipsum prædium locat venditori pro certo affictu: sit usurarius?

Respondeo, quod non: nam licitum est emere & vendere cum pacto de redimendo ad certum tempus L. 2. C. *De pactis inter emptorem & venditorem*, ut ibi ostensum est. Sed præsumitur in fraudem fieri ex septem capitibus. Tria jam ibi exposui; & iccirco.

(15) Intellige semper, si contractus bona fide, & sine fraude fiat, quemadmodum Author semel iterumque supra monuit dubio undecimo, & repetit in Angelica hunc eundem casum edisserens ver. *Usura primo* num 68.. Idem tenuit Tabiena ver. *Usura* 16. num 2. inquiens -- *Ille contractus, si assumit conditiones, scilicet intentionem emendi & vendendi, justum pretium, justum fictum, & conditiones ementis, scilicet quod subjiet periculo, est licitus contractus*.

Suspectus tamen vehementer fuit Joanni Pontas, qui propterea ver. *Usura* casu 5. scripsit -- *Quæ in ejusmodi contractibus occurrunt peculiares circumstantiæ evidentissime demonstrant, eos non esse veros, ac proprie dictos venditionis contractus, sed tantummodo mutui quandam speciem, quod tegitur, ac quasi simulatione quadam, nomineque venditionis involvitur: adeoque eosdem esse prorsus usurarios* --. De hoc certe & Author noster valde dubitavit; & ideo tot tantasque conditiones postulat, quæ fere nunquam in praxi omnes reperiuntur.

Tertia ex his, quas memoravit dubio undecimo, erat -- *Si emptor consuevit exercere usuras* --. Et hæc ea ipsa est, ob quam Innocentius III. cap. *Illo vos* Extra *De pignoribus* censuit usurarium contractum, de quo in illa Decretali, quam sic absolvit -- *Contra ipsum emptorem præsumitur vehementer, præsertim cum usuras consueverit exercere* --. Jure quapropter adjicit Glossa ibidem -- *Ex qualitate personæ præsumitur talis contractus in fraudem usurarum factus* --: quia uti docemur Regula 8. *De regulis juris in Sexto* -- *Semel malus, semper præsumitur esse malus* --. Intellige in eodem genere mali. Potiori igitur jure, si sermo sit de viro usuris assueto, ut in casu.

De hoc eodem casu fuse agit Benedictus XIV. De Synodo Diœcesf. lib. 10. cap. 8. num. 3. & seq., & postquam asseruit licitum fuisse declaratum a Rota Bononiensi, & ab Ansaldo, nonnullas enumerat conditiones, a quibus debet esse immunis, ne sit usurarius. Ipsum ergo consule, & attente legito.

Quarto, si in loco, ubi agitur, consuevit hujusmodi fraus in Contractu fieri: Nam præsumitur actum quod est consuetum L. *Quod si nolit* §. *Quia assidua* ff. *De ædilitio edicto*, & L. *Si prius* §. *Recte* ff. *De aqua & aquæ pluviæ arcendæ*.

(16) En quod pro re nostra habetur in duabus legibus ab Authore productis -- *Ea enim, quæ sunt moris, & consuetudinis, in bonæ fidei judiciis debent venire* --. Hæc in §. *Quia assidua* -- *Illa autem, quæ fere in consuetudine esse solent, ut per fistulas aqua ducatur, etiamsi nihil sit comprehensum in servitute constituenda, fieri possunt* --: hæc in §. *Recte*.

Ne credas Authorem ita loqui quasi de re, quæ penes aliquas nationes & urbes possit quidem in more poni, nullibi autem unquam fuerit reipsa in more posita. Consule Joannem Pontas Casu proxime laudato, & intelliges, quod hi contractus familiares erant, & consueti etiam ætate sua apud Turonenses, Andegavenses, & Cenomanenses: qui omnes, ipso scribente, se abstinebant a mutuis evidenter fœneratitiis, quia apud ipsos hypothecæ horum contractuum tum inter præsentes, tum inter

absen-

absentes lapsu quinquennii consuetudine regionis præscribebantur: & ad hoc incommodum declinandum adamabant, & exercebant hunc contractum ab Authore expositum. Intelliges pariter rem illic fuisse notoriam, & manifestam, viros illos ita contrahere consuevisse ad velandum mutuum usurarium. Hi ergo contractus communiter fiebant in fraudem, & sub pallio venditionis, & locationis vera delitescebat usura. Jure itaque docet Author, quod, si hujusmodi contractus fiant in talibus locis, censentur facti more patrio, & in fraudem usurarum.

Quinto, si ex pacto commodum, vel incommodum rei venditæ, excepto constituto affictu, pertineat ad venditorem, qui in casu est etiam conductor ejusdem rei: nam hoc est contra naturam emptionis, quum de re empta commodum vel incommodum statim debeat pertinere ad ipsum emptorem L. *Illud* ff. *De periculo & commodo rei venditæ*.

(17) Nemini dubium, quod, peracta venditione, rei commodum & incommodum pertinet ad emptorem, textu aperto L. *Post perfectam* C. *De periculo & commodo rei venditæ -- Post perfectam venditionem omne commodum & incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emptorem pertinet --*. Huc etiam confert, quod habet Justinianus Institut. *De emptione, & venditione* §. *Quum autem -- Quum autem emptio & venditio contracta sit [quod effici diximus simul atque de pretio convenerit, cum sine scriptura res agitur] periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet --*. In hoc enim venditio differt a locatione, quod in prima dominium & periculum transit ad emptorem, non autem transit ad conductorem in secunda. Inverteretur igitur natura contractus, si venditio fieret hac lege, quod periculum remaneret apud venditorem; & iccirco jure præsumeretur factus in fraudem.

Sexto, si ipse conductor, vel venditor non possit se, quando voluerit, ab hujusmodi affictus obligatione liberare, vel si cogatur conducere: quum in effectu talis contractus sit quædam emptio reditus de novo constituti, ad quam ipsemet constituens, & vendens obligatur: quod est penitus illicitum, ut patet in Cap. *In Civitate* Extra *De usuris*. Concordat Antonius de Butrio ibidem.

(18) Statim atque cogitur venditor, ut fiat rei venditæ conductor, planum fit, quod emptor non vult contrahere, nisi sit certus de lucro. Em-

Emptio igitur illa esset verum mutuum sub pallio emptionis. Injustitiæ pariter reus esset emptor, si, imponendo venditori hanc obligationem, non solveret ipsi nisi justum pretium; obligatio enim hæc est pretio æstimabilis, & venditor recipiendo duntaxat justum pretium rei, & insuper hanc obligationem, esset gravatus, nec in contractu servaretur æqualitas.

Sed contra. Innocentius ibidem non dicit, quod sit illicitum, sed dicit consulendum esse omnibus Fidelibus, ut ab hujusmodi contractibus se abstineant, scilicet quod non emant reditum constitutum propter hoc, vel actionem de novo.

Ad quod dicendum, quod, licet simpliciter emere reditus constitutos de novo nec condemnet, nec laudet, tamen dicit quod est penitus illicitum, quod idem ipse, qui dicitur emptor, constituat in se reditum ad actionem, in qua se obligat ad plus dandum in pecunia, vel specie, quam accepit. Et notat quod hic vocat emptorem illum, qui in secundo contractu resolutivo emit, quique in primo fuit venditor, ut patet per Antonium de Butrio ubi supra.

(19) Quoad reditus de novo constitutos, vide quæ adnotavi super primo dubio tertii Articuli primæ Considerationis. Quamvis postmodum quisque sit sui ipsius dominus, possit quoque rem suam vendere, venditam conducere, aut in emphytheusim accipere: nihilo tamen secius quum hæc insimul fiunt, suspicandum vehementer est, quod venditor non libere, sed indigentia pressus hoc agat, non inveniens gratuitum mutuatorem, & quod id sciens emptor indigentem venditorem cogat ad sic operandum. Merito igitur Author arbitratur hujusmodi reditum de novo constitutum in hisce circumstantiis non esse licitum.

Quamvis autem nulla ibi sit usurarum fraus, tamen tale pactum, quo venditor cogitur conducere, continet inæqualitatem, si emptio facta est æquivalenti pretio ipsius rei: quum rem habeat pro pretio, & insuper hanc obligationem, qua vindicat partem pretii ultra pretium constitutum L. *Fundi partem* ff. *De contrahenda emptione*. Et ideo emptor in hoc gravat venditorem ultra licitum,

emen-

emendo minori pretio dicta obligatione computata, & sic ad restitutionem tenetur.

(20) Non ideo scribit Author -- *Quamvis autem nulla ibi sit usurarum fraus* --, quasi opinetur semel posita conditione proxime præcedenti contractum non esse usurarium; sed sensus horum verborum est -- *Etiam dato quod nulla ibi sit usurarum fraus, tamen tale pactum* &c. -- : quia reipsa, si emptor in ipso contractu cogit venditorem ad conducendam rem venditam, emptio vera non est, & realis, sed ficta, sed simulata, & verum mutuum sub pallio emptionis.

Septimo, si propria prædia vendat ad hujusmodi contractus faciendos: quia non est verisimile, quod intendat emere aliena, qui propria non inutiliora vendit, cum sint hæc contraria, & nemo præsumatur velle ex incontinenti contraria agere L. *Non ad ea* ff. *De conditionibus, & demonstrationibus*.

(21) Crescit præsumptio, si semel consideres hunc emptorem vendere propria, & emere aliena non meliora : non jam ut hæc retineat juxta morem ementium, qui emptione secuta periculum fructuum in se recipiunt, sed ut in contractu ipso ea statim locet ipsimet venditori. Si hic emptor locare decrevit animo sincero & recto, cur non locat propria? Sed hæc vendere, hæc distrahere ad emendum aliena, & statim locanda, & locanda in ipso emptionis contractu, & locanda ipsimet venditori; hoc certe animum indicat non rectum, non sincerum, non perfecte catholicum, sed lucris inhiantem, occasione sumpta ex indigentia venditoris. Mutuum igitur, repetam, mutuum hoc esset sub pallio emptionis.

QUINTUMDECIMUM DUBIUM. Utrum emens tempore messium ac vindemiarum frumentum, & vinum pro pretio, quod tunc valet, ut tot mensuræ sibi dentur tempore paschali, sit usurarius?

Respondeo secundum Hostiensem in Summa, & Joannem Andreæ in Cap. *Naviganti*, & Cap. final. Extra *De usuris*, & Glossam ibidem, quod sic, 14. q. 3. Cap. *Usura*. Nec obstat, quod aliquando sint viliora, vel non cariora; quia ad ea, quæ raro eveniunt, non aptantur jura L. *Nam ad ea*, ff. *De legibus*, & 4. dist. Cap. *Erit autem*: & com-

& communis opinio, communis cursus est, quod illo tempore sint cariora, quæ opinio, seu cursus æstimandus est Cap. *Certificari* Extra *De sepulturis*, & L. 1. §. 1. ff. *De fluminibus*. Et talis inducendus est, ut restituat in foro conscientiæ Cap. *Consuluit*, & Cap. *In Civitate* Extra *De usuris*.

(22) In hoc casu dubio procul contractus est usurarius: quoniam certissimum est, quod L. *Nam ad ea* sancitum legimus -- *Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter, & facile, quam quæ perraro eveniunt* --: & in Paschate merces, de quibus in præsenti, fere semper cariores sunt, quam tempore messium & vindemiarum. Merito iccirco scribit Astesanus lib. 3. tit. 11. de quarto, nonnullos enumerans casus, in quibus quis excusatur ab usura -- Quarto ratione dubii, ut si quis dat decem solidos circa Pascha, ut in Autumno totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ, licet tempore contractus valeant plusquam decem solidos, tamen verisimiliter dubitatur, utrum plus vel minus quam decem solidos sint valituræ tempore solutionis. Si vero daret in Autumno decem solidos, quando talia solent esse parvi pretii, ut ad Pascha totidem mensuræ talium sibi redderentur, quando hujusmodi secundum consuetudinis usum solent esse cariora, esset usura: quia non verisimiliter dubitatur, sed probabiliter creditur, quod plus valebunt tempore solutionis, quam valeant tempore contractus --. Hæc ille. Et quidem jure & merito: quoniam re diligenter inspecta ob solam pretii anticipationem emptor constituitur melioris conditionis, quam venditor: hunc injuste gravat, cogens eundem ad rem conservandam propriis expensis, eamque tradendam pro minori pretio, quam valebit tempore exhibitionis. Alexander III. Cap. *In Civitate* Extra *De usuris* eos duntaxat hujus generis contractus ab usura excusat, in quibus dubium est, an merces pluris sint valituræ, nec ne -- *Nisi dubium sit merces illas plus minusve solutionis tempore valituras* --. Si igitur in præsenti res aliter se habet, emptor ab usura non poterit excusari.

SEXTUMDECIMUM DUBIUM. Utrum emere frumentum, vinum, & hujusmodi tempore, quo colligitur, ut carius postea vendatur, sit usura?

Respondeo, quod non; immo licet, si propter unum istorum quatuor fiat. Primo, propter commune bonum, ut fecit Joseph, scilicet ut de proprio provideat terræ suæ tempore famis; & hoc est meritorium. Secundo, propter pro-

provisionem suam, & suorum: sicut si quis tunc emeret, timens, ne postea deberet carius emere pro se & suis, & postea quia non indiget tanto, vendit illud plus sicut communiter venditur in foro: & hoc licet. Tertio, propter pietatem, ut sic de lucro provideat pauperibus: dummodo hoc ita moderate faciat, quod per caristiam non lædatur Communitas. Quarto, propter exercendam justam commutationem per modum mercantiæ: non ut intendat caristiam inducere, sed potius suam artem, seu negotiationem exercere, quod potissimum locum habet, quando propria negotiatio ipsius est, ut pro opere suo lucrum recipiat. Si vero propter avaritiam, scilicet ut carius vendat nulla aliqua necessitate pensata, vel utilitate: aut ut caristiam inducat, & ita congreget, quod homines cogantur emere ab eo, & ipse possit ad libitum vendere: sic penitus illicitum est, & enormiter peccat. Hæc sumpta sunt ex dictis Raynerii, Innocentii, & Hostiensis: & prædictis concordant Canonistæ, & Petrus de Ancharano in Cap. 1. *De usuris* lib. *6.*, qui Caput *Quicumque* 14. q. 4. solum intelligit de illis, qui non propter aliquod prædictorum quatuor, sed propter avaritiam emunt.

(23) Si hujusmodi res de summa inspiciatur facie, conclamandum statim erit contra hujus indolis negotiatores tanquam usurarios, & Reipublicæ perniciosos: non quidem quia Cap. *Ejiciens* 88. dist. scriptum est -- *Nullus Christianus debet esse mercator, aut, si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia* --, quum in annotatione super dubio secundo primi Articuli primæ Considerationis cum S. Bernardino dixerim Authorem Operis imperfecti, ex quo caput illud fuit depromptum, & quod sub nomine Chrysostomi circumfertur, per exaggerationem ibidem esse locutum: quum insuper phrasis illa, aliæque similes, quæ in eodem Cap. reperiuntur, intelligi possint cum S. Thoma 2. 2. q. 77. art. 4. ad 1. -- *De negotiatione secundum quod ultimum finem in lucro constituit* --: sed præsertim quia Julius summus Pontifex ita sancivit textu expresso Cap *Quicumque* 14. q. 4. -- *Quicumque tempore messis vel vindemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam, vel vinum, verbi gratia de duobus denariis comparat modium unum, & servat usque dum vendatur*

denariis quatuor, aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus --. Super quo Capite scribit Glossa -- *Quæsitum est a Julio Papa, utrum hoc sit turpe lucrum? Respondet, quod sic, & dicit Hugo, quod hoc caput loquitur generaliter tam de Clerico, quam de laico* --. Casum hunc in terminis proponit Daniel Concina lib. 3. De justitia & jure dissert. 2. cap. 3. num. 16., & nulla prorsus adhibita distinctione generatim respondet, hujusmodi negotiationem vetitam esse jure tum naturali, tum positivo: naturali quidem, quia pauperibus & Reipublicæ perniciosa: positivo vero propter memoratum Caput *Quicumque*. Generatim pariter ita sanxerunt illi, de quibus S. Bernardinus Serm. 33. art. 1. cap. 2. inquiens -- *Proinde secundum Fratrem Alvarum in lib. De planctu Ecclesiæ vendere carius, quam ematur, cupiditatis causa est peccatum, & turpe lucrum*, 14. *q.* 4 *QUICUMQUE: ideo tale lucrum est pauperibus dispensandum. Et iterum turpe lucrum a Doctoribus reputatur sine necessitate emere res tempore, quo minus valent, & servare ad tempus carioris fori, ut tunc vendantur; & ad hoc facit Caput prædictum QUICUMQUE, ubi de hoc textus expresse habet*.

Dubio procul negotiatio per se prohibita non est, nec mala, immo licita textu expresso Cap. *Fornicari* eadem dist. 88. -- *Fornicari, omnibus semper non licet: negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari: facto jam, non licet* --: Cui concinit D. Augustinus Enarratione in Psalm. 70. Concione prima scribens -- *Unum tamen scio, quia, si malus fuero, non negotiatio me facit, sed iniquitas mea* --. Licita insuper negotiatio est ob finem lucri moderati, ut egregie S. Thomas 2. 2. q. 77. in probatione conclusionis -- *Et ideo negotiatio secundum se considerata quandam turpitudinem habet in quantum non importat de sui ratione finem honestum, vel necessarium. Lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum: & sic negotiatio licita reddetur. Sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subveniendum indigentibus: vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint: & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris* --. Porro negotiatio in hoc præsertim est posita, ut quis minoris emat merces animo eas integras & immutatas vendendi pluris & cum lucro, textu expresso Cap. *Quid est aliud* eadem dist. 88. -- *Quid est aliud negotium, nisi quæ possint vilius comparari, carius velle distrahere?* -- In qua negotiationis definitione conveniunt Gabriel Antoine in Tractatu *De obligationibus specialibus* cap. 1. q. 1. num. 4., Cuniliati *De contractu venditionis & emptionis* §. 3. num. 1.,
Con-

Continuator Tournely De contractibus part. 2. cap. 1. art. 8. sect. 2. sub initio, Collettus Institut. De contractibus part. 2. cap. 1. art. 6. sect. 2., aliique. Generatim igitur, & indistincte condemnare non possum negotiatores, de quibus in casu, quia ex consequenti negotiatio ipsa deberet condemnari, sicuti eam condemnat Caput *Ejiciens* proxime memoratum, quod, scribente Sylvio in quæst. 77. art. 4. -- *Non pauca habet a fide aliena* --. Summopere iccirco placet responsum Authoris, qui per viam incedens inter laxitatem & rigorem mediam ad veritatem propius accedit: negotiationem improbans pravo fine exercitam, populis perniciosam, & monopolio proximam: probans tamen, eamque permittens, si honesto fine exerceatur, & negotiator emens tempore messium & vindemiarum penuriam non inducat, neque damnum inferat Reipublicæ.

Ita, & non aliter docuere ne dum Ferraris ver. Emptio art. 2. num. 43., Gennettus Tom. 1. Tract. 3. cap. 5. q. 4., Joannes Pontas ver. *Emptio* casu 3., aliique, sed & ipse S. Antoninus part. 2. Sum. Theolog. tit. 2. cap. 23. §. 16. scribens -- *De ementibus tempore messium blada, & tempore vindemiarum vinum, & alios fructus, ut postea carius vendant in futurum ...... fit tripliciter .... Secundo fieri potest secundum justitiam commutativam, ut faciunt mercatores, & licite possunt pro opera sua recipere lucrum, ut sustententur, dummodo non intendant caristiam inducere*.

Quomodo ergo, inquies, exponendum erit Caput *Quicumque?*

Præmitto cum Joanne Pontas ibidem quod subdit S. Antoninus -- *Nam tertio modo fieri potest, hoc est avaritia, ita quod unus tantum emit de hujusmodi, & congregat, quod postea compelluntur homines emere ab eo ad placitum suum, & ideo vendit care ut vult; & isti enormiter peccant contra proximum & Communitatem: & tales, qui victualia, vel alias res emunt, ut caristiam inducant, vocat Raymundus nefandas belluas; & mortale est* --. Præmissa eximia hac S. Antonini doctrina, quæsito respondet idem Pontas inquiens -- De hujusmodi personis solum, ut docet idem Sanctus, intelligendus est Canon antiquus, quem Julio Papæ tribuit Gratianus, & qui e primo Capitularium libro Carolomanni cap. 131. depromptus est, ut observarunt Emendatores Romani, qui indistincte hoc genus lucri damnare videntur ut lucrum turpe -- *Hoc turpe lucrum dicimus* --: quamvis de iis solummodo loquatur, qui *propter cupiditatem* illud exercent commercium, ut cum populi ruina divitias parent. Quod adeo verum est, ut nullus ab ea re dissentire possit Theologus. Hactenus ille. Et quidem jure omni: quoniam quum hinc in eo Capite legatur -- *Sed propter cupiditatem comparat annonam* --: illinc negotiatio, de qua in casu, ipso jure Canonico permittatur, ut superius ostendi: cupiditas hujusmodi exponatur oportet per avaritiam & non aliter; secus contra jura omnia improbari deberet negotiatio, quod rigo-

rismum

rissimum saperet, atque, ut Evangelii verbis utar, alligaret onera gravia, & importabilia, & ea imponeret in humeros hominum.

Eodem prorsus modo respondet Gennettus nuper laudatus; præmisso enim tum Capite *Quicumque;* tum textu S. Antonini, ita prosequitur -- Ex quibus concludi posse videtur, tale commercium licitum esse, dum fit sine intentione penuriæ inducendæ, & eo tempore, quo messis adeo modica non sit, ut tales res ad victum necessariæ ob id deficere possint, aut aliquo extraordinario pretio vendi: modo etiam tale commercium ad aliquem bonum finem dirigatur, veluti ad faciendum honestum lucrum, ex quo quis sibi, & familiæ necessaria habere possit. Immo illud commercium bono publico utilissimum est, ut rustici ex fructibus collectis pecuniam congregare possint variis usibus necessariam. Et authoritati Canonis, qui prima fronte contrarius videtur, responderi potest, quod eos tantum damnat, qui vinum aut frumentum emunt *propter cupiditatem*, non autem illos, qui, ut suis necessitatibus subveniant, id agunt --. Hactenus Gennettus.

Opportune igitur Astesanus lib. 3. tit. 8. de decimo in fine -- *Ad hoc nota secundum Ray., quod illi, qui tempore messium bladum, vel tempore vindemiæ vinum emunt vilius, ut vendant carius, committunt peccatum, & turpe lucrum. Et hoc intelligitur, ut ipse postea dicit, de illis, qui faciunt hæc, nulla pensata necessitate, vel utilitate, sed ex sola cupiditate.*

Caveant tamen hujusmodi congregantes, & negotiatores, ne pretextu negotiationis permissæ avaritiam foveant: nam vere ait S. Bernardinus loco proxime citato -- *Mercans licet nullum mendacium, nullam fraudem, nullum perjurium, nihilque injustum, quod committere solet hoc hominum genus, in mercationibus committat; nihilominus non eximitur a mortali, si per injustam caussam, licet alias juste, exerceat mercantias* --: verissime Apostolus prima ad Tim. 6. v. 9. & seq. -- *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

DECIMUM SEPTIMUM DUBIUM. Utrum locans rem, quam æstimat, cum hac conditione quod, qualitercumque perdatur, seu deterioretur, vult recuperare rem suam ejusdem pretii: sit usurarius?

Respondeo, quod hic contractus fit in fraudem usuræ; quia res æstimata intercedit loco pecuniæ L. *Si vero* §. *Quod ait* ff. *Soluto matrimonio*. Nec vera locatio est: quia locator

tor rem suo periculo tradit, & pro hoc constituitur sibi merces, ut patet Extra *De locato & conducto*. Per Doctores propterea usurarius est talis censendus Cap. *Naviganti*, & Cap. *Consuluit* Extra *De usuris*.

(24) Locatio, uti dictum est dubio primo super secundo verbo definitionis usuræ, est contractus, quo quis rem aliquam alteri utendam, fruendamve concedit, certo pretio, sive mercede constituta. Locans dicitur locator, & locationem accipiens conductor appellari solet, ut passim ff. *Locati conducti*, & C. *De locato & conducto*. Conductor varia nomina sortitur juxta diversitatem rerum, quas conducit; inquilinus enim dicitur, si prædium urbanum, vel domum: colonus, si agrum, vel prædium rusticum: redemptor, si operam personæ: publicanus demum, si conducit vectigalia.

In casu, de quo agitur, duplex conditio apposita est contra naturam locationis, rei scilicet æstimatio, & periculum rei conductori impositum. *Æstimatio venditio est* L. *Plerumque* ff. *De jure dotium*, quod confirmat L. *Cum fundus* ff. *Locati conducti* -- *Cum fundus locetur, & æstimatum instrumentum colonus accipiat, Proculus ait, id agi, ut instrumentum emptum habeat colonus: sicuti fieret, cum quid æstimatum in dotem daretur* --. Pugnat ergo quod res æstimetur simul & locetur. *Non solet locatio dominium mutare* L. *Non solet* ff. *Locati conducti*. Contra naturam locationis igitur est, quod periculum rei imponatur conductori. His de causis Author improbat hujusmodi locationem: & quidem jure optimo, quoniam natura contractus postulat, ut locator semper sit dominus rei locatæ, & quod, si res pereat, vel deterior reddatur, pereat domino, & domino fiat deterior: dempto casu, in quo id contingeret culpa conductoris L. *Item quæritur* §. 1. ff. *Locati conducti* -- *Si navicularius onus Minturnas vehendum conduxerit, &, cum flumen Minturnense navis ea subire non posset, in aliam navem merces transtulerit, eaque navis in ostio fluminis perierit, tenetur primus navicularius. Labeo, si culpa caret, non teneri ait. Cæterum, si vel invito domino, vel quo non debuit tempore, aut si minus idoneæ navi imposuit, tunc ex locato agendum* --. Hunc eundem casum proposuit Astesanus lib. 3. tit. 14. de septimo, & iisdem pene verbis respondit.

Verum enimvero quum lege non prohibeatur, permittatur immo, quod super hac re contrahentes mutuo consensu derogent legibus memoratis L. *Si quis domum* §. 2. ff. *Locati* -- *Si quis fundum locaverit, ut, etiamsi quid vi majori accidisset, hoc ei præstaretur, pacto standum esse* --, & L. *Item quæritur* §. 2. ff. eodem titulo -- *Si gemma includenda, aut insculpenda data sit, eaque fracta sit, si quidem vitio materiæ factum sit, non erit ex locato actio; si imperitia facientis, erit. Huic sententiæ addendum*

dum est, nisi periculum quoque in se artifex receperat: tunc enim, etsi vitio materiæ id evenit, erit ex locato actio --; & aliunde, ut habet Regula 85. juris in Sexto -- *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur* --: arbitrari quis posset locatorem, de quo in casu, usuræ reum non esse, sicuti a Joanne Pontas ver. *Locatio* casu 14. immunis a peccato dicitur, qui domum locavit ea lege, ut, si aliquo fortuito casu pereat, conductor ad eam reædificandam teneatur. Dispar tamen est ratio: quia in casu Authoris æstimatio præcessit, non autem in casu Joannis Pontas: & æstimatio, ut probavi, immutat naturam locati, & rem efficit quasi venditam. Semoveatur æstimatio, & tunc non inficior contrahentes convenire posse de periculo, imponendo ipsum conductori, sicuti ostendit casus a Pontas exhibitus: dummodo locator tantum imminuat de pretio locationis, ut, pensata qualitate periculi, æqualitas servetur in contractu: quæ æqualitas non apparet in casu ab Authore exposito, in quo conductor gravatur onere restituendi rem ejusdem valoris in quocumque eventu, & insimul solvendi mercedem in locatione constitutam.

DECIMUMOCTAVUM DUBIUM. Utrum ars campsoria sit licita?

Respondeo, quod sic: dummodo cum moderamine debito fiat: quia nihil accipitur respectu pecuniæ, vel mutui, quod non est, sed respectu laboris.

(25) Ars campsoria nihil aliud est, quam cambiorum exercitatio. Cambium recte definitur -- *Contractus, quo pecunia pro pecunia commutatur cum lucro Campsoris*; qui enim petit pecuniam, seu cambium, dicitur campsarius, & qui pecuniam cambit, seu solvit, vocatur campsor, aut colibista, aut bancarius, aut nummularius. Quo tempore hujusmodi ars fuerit inventa, adhuc sub judice lis est; fallitur quippe Jacobus Savary in suo opere *De perfecto negotiatore* lib. 3. cap. 3., hujus inventionis Epocham figens in expulsione Judæorum e Gallia, qui, ut inde pecuniam secure in Longobardiam, quo concessere, traducerent, literarum cambialium invento usi fuere; quoniam, teste S. Bernardino Serm. 39. art. 3. cap. 1., hujus artis meminit Philosophus 1. Politit., scribens, quod casu & fortuna forte primitus inventa est, & postmodum experientia docente facta fuit artificialis. Cambium porro duplex est, reale unum, siccum alterum. Reale dividitur in minutum, seu manuale, & locale, seu per literas. Manuale est, cum permutatur pecunia aurea pro argentea, aut argentea pro ærea, vel e contra: & manuale dicitur, quia pecunia transit de manu in manum cum sola qualitatis diversitate. Locale est, cum pecunia præsens a campsario commutatur cum pecunia absente sibi solvenda in alio loco mediante campsoris syngrapha: vel cum ipse cam-

campsor numerat, & solvit pecuniam in uno loco, ut in alio eidem a campsario restituatur. Localis hujusce cambii vestigium aliquod deprehendimus L. *Si filius familias* ff. *De Senatusconsulto Macedoniano*, ubi narratur quemdam filium pecuniam per literas alibi misisse genitori suo. Siccum postmodum sic appellatum, quia caret humore fructum afferendi, justo scilicet titulo percipiendi lucrum, tunc habetur, quando datur quidem pecunia pro pecunia, sed absque ulla rei alteratione, loci, & circumstantiarum; fingitur enim solutio alibi facienda, quæ reipsa fieri debet in eodem loco cum lucro: puta cum campsor dat pecuniam cum pacto, ut sibi reddatur in alio loco longe distanti cum lucro pro tali distantia & loco consueto; dum certo scit campsarium eo in loco non habere pecuniam, nec personam respondentem, & pecuniam sibi esse restituendam in eo ipso loco, in quo primo fuit soluta.

Artem campsoriam licitam esse, si de cambio reali sermo sit, nostra hac ætate conveniunt omnes: præsertim quum Pius V. in sua Constitutione incip. *In eam pro nostro* data anno 1571. quinto Kalendas Februarii §. 1. eam appellaverit -- *Legitimum cambiorum usum, quem necessitas, publicaque utilitas induxit* --. Lucrum quippe in cambio manuali percipitur non solum ratione lucri cessantis, aut damni emergentis ex cambio, sed etiam ratione laboris, & operæ in conquirendis, coacervandis, & custodiendis variis speciebus monetarum, in numeranda pecunia &c. In cambio vero locali ratione trajectionis realis, vel virtualis pecuniæ de loco in locum, cui trajectioni faciendæ campsor operam suam locat, suscepto in se omni labore & periculo: quæ quidem opera, labor, & periculum in gratiam alterius suscepta sunt pretio æstimabilia. Nec obstat, quod interdum campsor id faciat sine labore, & incommodo, immo cum suo commodo. Nam hoc est per accidens, & provenit ex ejus cura, industria, & officio, pro quo sustinendo multæ aliunde impensæ, & operæ præstandæ sunt, quum reipsa suscipiat obligationem ex se laboriosam, & periculosam. Verba sunt Gabrielis Antoine de cambio quæst. 2. Idem omnino jam docuerat, fuseque probaverat Franciscus Gennettus Tom. 1. tract. 5. cap. 1. q. 11.. Præ oculis tamen habeat campsor conditiones, quas ex laudata Constitutione Pii V. servare tenetur, ut cambium sit licitum: videlicet quod non pacifcatur de aliquo lucro ratione solutionis dilatæ ultra terminum: quod neque pacifcatur de aliquo interesse sive a principio celebrationis cambii, sive alias: quod cambia realia aliter non fiant, quam pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur, &, ubi non celebrantur, pro primis terminis juxta receptum locorum usum: quod denique in terminis solutionum constituendis habeatur ratio distantiæ, aut propinquitatis locorum, nec longiores præfigantur termini, quam loci, in quo facienda solutio est, distantia postulat.

Signate dixi, si de cambio reali sermo sit: quoniam cambium siccum idem Pontifex eadem Constitutione improbat hisce verbis -- *Primo igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca, cambia celebrare simulent; ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur; vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerant, inanes referantur; aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes & recipientes usque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat; neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis, hujusmodi litteris receptis, solutionem faciat.*

Sunt & aliæ cambii species, videlicet cambium cum recambio, seu cum recursu, quod etiam dicitur Vesuntinum, aut Placentinum: cambium dictum Francofurtense, ex quo Francofurti creditur adinventum: & cambium civicum, quod in eadem urbe consummatur. De his dicam postea. Pro majori interim hujusce rei intelligentia duntaxat hìc addo, mercatores communiter nundinas habere in certis locis, seu urbibus determinatis, ubi debita solvuntur, ratiocinia fiunt, & scribuntur in libris dati & accepti. In Italia quater in annos singulos nundinæ istæ celebrantur trium mensium intervallo. Primæ celebrantur prope festum Epiphaniæ, secundæ incunte Majo, tertiæ mense Augusti, quartæ circa festum omnium Sanctorum. Francofurti bis in anno fiunt; iccirco plures juniores vocant has nundinas Francofurtenses. Porro quando cambium fit ad primas, vel ad secundas, aut ad tertias, quartasve nundinas, sensus est, quod cambii solutio fieri debeat aut post tres, aut post sex, aut post novem, aut post duodecim menses. Ita Concina lib. 3. De justitia & jure dissert. 4. cap. 4. num. 1.

DECIMUMNONUM DUBIUM. Utrum habenti pecuniam specialem, quam timet futuro tempore minorari juxta ordinationes Dominorum, seu Civitatum, liceat sine vitio usuræ ipsam mutuo dare hoc pacto, ut sibi reddatur in æquali pretio, in quo est, cum ab eo mutuo datur?

Respondeo, quod sic, si ille, qui recipit, modo expendere vult illam, in tempore nempe, in quo tantum valet: quia nihil ultra sortem recipit: licet aliqui dicant quod sit usurarius.

(26) Nulla certe probabili ratione ducuntur ii, qui secus opinantur, quosque hìc indicat Author, sed non exprimit: quia, ut optime S. Bernardinus Serm. 39. art. 3. cap. 1. -- *Aliud est in mutuo sperare lu-*

crum,

crum, atque aliud est vitare damnum suum. Primum quidem non potest fieri sine injuria Dei, qui tale lucrum prohibuit Lucæ 6., nec etiam sine injuria proximi, cui mutuum debuit gratis dari. Qui autem suum evitat damnum nec Deo injuriatur, quum hoc nulla lege prohibitum sit, nec etiam proximo fit injuria, quum non lædat proximum qui suum evitat damnum. In proposito igitur casu magis quærit vitare damnum, quam lucrum habere --. Hac ratione freti Theologi super casu mercatorum, qui sciunt vel mercium pretium brevi auctum, aut imminutum iri propter mercium copiam cito superventuram, aut adventuram tardius solito; vel minuendam esse alicujus monetæ æstimationem: respondent licite eos posse pretio currenti vendere & emere, sicuti factum novimus a Josepho in Ægypto Gen. 41., & monetam illam ante Edicti imminuentis promulgationem currenti pretio distrahere, ut videre est apud Concinam lib. 3. De justitia & jure dissert. 2. cap. 6. num. 19., & seq., Antoine De contractibus part. 2. cap. 5. q. 7., Ferraris ver. *Emptio* art. 2. num. 16., aliosque post S. Thomam 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4. scribentem -- *Unde venditor, qui vendit rem secundum pretium, quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitiæ debito*.

Immo nec tanquam usurarius esset habendus, si non timeret duntaxat, sed tum mutuator, tum mutuatarius certo scirent, æstimationem illius pecuniæ post hebdomadam, aut mensem imminuendam esse. Ita Joannes Pontas ver. *Mutuum* casu 4. post S. Thomam in opusculo 73. De usuris cap. 6. dicentem -- *Aliud est vitare damnum, & aliud sperare lucrum. Quicumque enim ex mutuo sperat lucrum, peccat usuræ vitio ..... sed non sic, qui ex mutuo vitat damnum ..... nec in hoc damnificatur, qui mutuum accipit: quia non ad hoc accipit, ut ipsum usque ad tempus illud conservet, in quo verisimiliter minus valitura esset pecunia, sed ut ipsa uteretur pro tempore illo, pro quo valorem suum reservaret, quem habebat, cum eam in mutuo acceperat* --; nemo enim sanæ mentis mutuo accipit pecuniam, ut illam conservet usque ad tempus imminutionis pretii ipsius proxime futuræ.

Consulto ait Author, si recipiens expendere vult pecuniam mutuatam antequam pretium ipsius imminuatur: quoniam, si mutuator certo sciret, mutuatarium velle uti ea pecunia post imminutionem pretii proxime futuram, injuste ageret, & teneretur ad restitutionem: posset enim ipse vitare damnum proprium sine detrimento alterius, puta emendo aliquid animo ipsum vendendi post Edictum Principis imminuens valorem pecuniæ, & sic rehabendo pecuniam æquivalentem illi, quam solvit ante Edictum.

Subdit Author, quod hic mutuator nihil recipit ultra sortem. Verissimum

ſimum hoc eſt. Pone quod mutuos dederit decem numinos aureos: pone quod hi decem aurei ante Edictum conſtituerent ſummam centum librarum, & quod ad conſtituendam hanc ſummam poſt Edictum non decem, ſed undecim aurei requirerentur. In hoc caſu reciperet quidem mutuator majorem pecuniam ſpecificam, ſed idem eſſet pretium, idem valor. Porro dum contrahentes non paciſcuntur de eadem reddenda pecunia ſpecifica, non hæc ſortem conſtituit, ſed pretium, ſed valor ex eadem conſurgens. Si ergo pretium undecim aureorum poſt Edictum idem omnino eſt ac pretium decem aureorum ante Edictum: cum omni veritate dixit Author mutuatorem nihil recipere ultra ſortem, etſi majorem recipiat pecuniam ſpecificam. Salva igitur ſunt omnia. Mutuatarius nullum damnum patitur, quia pecuniam vult expendere, & expendit ante Edictum. Mutuator recipit poſt Edictum eundem valorem, idem pretium. Hic ergo contractus nec uſuræ, nec injuſtitiæ incuſari poteſt.

Brevibus rem hanc abſolvit Aſteſanus lib. 3. tit. 11. de quinto verſus finem ſcribens -- Aliquibus videtur, quod non, aliis quod ſic: quia quamvis in mutuo non liceat ſperare lucrum, licet tamen vitare damnum, quod hic mutuans intendit. Debitor etiam tantum accepit, quantum reddere tenetur. Hujus ſecundæ opinionis fuiſſe videtur Alexander Lombardus in quolibet. quæſt. De uſuris -- Hæc ille. Idem cum D. Thoma conſtituit Gennettus Tom. 1. tract. 5. cap. 1. q. 16.

VIGESIMUM DUBIUM. Utrum liceat dare marcam argenti ad tempus pro alia marca argenti?

Reſpondeo, quod in iis, & ſimilibus recurrendum eſt ad id, quod dictum eſt in dubio quinto quarti verbi diffinitionis uſuræ Articulo primo hujus ſecundæ Conſiderationis.

(27) Sublato hoc pacto, communis Theologorum ſententia eſt in reſtitutione pecuniæ mutuatitiæ non ſpeciem, ſed pretium pecuniæ eſſe ſpectandum; atque ideo non monetam ejuſdem ſpeciei, ſed pretium, quo valebat tempore traditionis, reſtituendum eſſe. Ratio eſt: quia quanquam in mutuo communiter tantundem ejuſdem ſpeciei in numero, pondere, & menſura reſtituendum ſit; tamen pecunia excipitur, in qua non conſideratur ejus phyſica ſpecies, ſed valor extrinſecus, qui non ab ipſa materia, ſed a Principis voluntate ſumitur. Hic enim valor conſtituit formaliter monetam in ratione monetæ, prout communi ſocietati, & commercio deſervit. Ita cum communi Concina lib. 3. De juſtitia & jure diſſert. 3. cap. 19. num. 12.. Poſito tamen pacto, ut in caſu [cum difficultas eſſe nequeat, dum dubitatur, aut probabilius eſt, pretium illius monetæ ſpecificæ eſſe imminuendum, quia tunc mutuator reciperet infra

ſra

fra fortem, quod ufuram non efficit unice pofitam in lucro fperato, aut recepto fupra fortem] fi mutuator incertus eft, aut duntaxat dubitat de futuro valore monetæ; paratus tamen five ad emolumentum augmenti, five ad diminutionis periculum, nihil agit contra legem, quia æqualis eft contrahentium conditio, & æqua fors. Si vero probabilius arbitratur, auctum iri valorem illius monetæ, tunc aut eam fervare volebat ufque ad tempus reftitutionis, aut non. Si primum, improbari non poteft, quia damnum proprium evitat fic contrahendo, & fe fervat indemnem. Si autem fecundum, ufurarius eft, quia fic mutuum dat animo lucrandi aliquid ultra fortem.

Confule, fi placet, Aftefanum noftrum lib. 3. tit. 11. de quarto, ubi de hoc cafu, & de aliis ejufdem generis fufe, & erudite fermocinatur. Agit etiam de eo Gennettus loco nuper laudato q. 15.

VIGESIMUM PRIMUM DUBIUM. Utrum campfor, qui numeranti fibi Romæ centum & decem facit Parifiis refpondere centum, fit ufurarius?

Refpondeo fecundum Baldum in Cap. 1. Extra *De plus petitionibus*, quod non: immo licitus eft talis contractus jure gentium, & neceffarius, munitus naturali ratione; eo quod campfor fubit pericula viarum, & damna nuntiorum, & penfiones operarum, falariorum, & factorum, ut notatur ff. *De nautico fœnore* L. *Periculi*, & ff. *De obligationibus & actionibus* L. *Trajectitiæ* in principio, & ff. *De verborum obligationibus* L. *Qui Romæ* §. 2.. Et fi ipfe campfor aliquod lucratur, hoc eft juftum, & lucrum licite fumitur: quia induftria accedit rei licitæ L. *Si hæres* ff. *Ad legem Falcidiam*. Propterea numeranti decem licitum eft pacifci, quod ei reddantur novem: quia minuere fortem non eft peccatum ufuræ, augere autem fic. Et eft textus notabilis L. *Rogafti* §. *Si tibi* ff. *Si certum petatur*. Hæc tamen omnia intelligo vera, dummodo recipiatur lucrum moderatum, licet alii teneant, quod talis contractus, feu talia cambia fint illicita. Quod verum credendum eft in illis, qui de hoc artem non faciunt, nec propter hoc imminent fibi pericula, nec habent inde labores, & expenfas.

(28) Hoc cambium, de quo sermo, est cambium reale, locale, seu per litteras; & iccirco si litteræ veræ sunt, non fictitiæ, & in fraudem usurarum; si lucrum non excedit legitimum pretium cambii: si habeat omnes conditiones a Pio V. in sua Constitutione præstitutas, ut supponitur, licitum est, & campsor juste lucratur, ut paullo antea demonstravi.

Textus, quem Author dicit notabilem, est hujusmodi -- *Si tibi dedero decem, ut novem debeas, Proculus ait, & recte, non amplius te ipso jure debere, quam novem. Sed si dedero, ut undecim debeas, putat Proculus amplius quam decem condici non posse.*

Dum ait Author -- *Numeranti decem licitum est pacisci, quod ei reddantur novem* --, non appellat solum campsorem, sed etiam campsarium, eoque tendit, ut, ostenso jam usurarium non esse campsorem; demonstret insuper nec usuræ condemnari posse campsarium.

Quod subdit Author solos campsores ex officio, non autem personas particulares, & privatas licite posse reportare lucrum ex cambio reali, jam illud idem dixerat S. Bernardinus Serm. 39. art. 3. cap. 2., idemque postmodum docuerunt Cajetanus tom. 2. opusc. tract. 7. cap. 1., Armilla ver. *Campsor*, Cuniliati De contractu cambii §. 2. num. 4., qui hanc sententiam dicit esse probabiliorem. Secus tamen tenuit Author ipse in Angelica ver. *Usura primo* num. 52., & post ipsum Sotus lib. 6. q. 9. art. unico, Navarrus cap. 17. num. 288., Lessius lib. 2. De justitia cap. 23. dubitat. 2. num. 9., Joannes Pontas ver. *Cambium* casu 2., Concina De cambio cap. 1. num. 7., Ferraris ver. *Cambium* num. 23., aliique: quia hoc nullo jure est vetitum nec naturali, nec positivo. Minus tamen lucrum exigere debent privati, quam publici campsores; ipsi enim minoribus expensis, & oneribus sunt obnoxii, ut annotat Author in Angelica ibidem inquiens -- *Tamen est verum, quod aliquid plus possunt rationabiliter accipere illi, qui de hoc faciunt artem, qui majores labores portant, cum semper sint parati*. Idem postea annotavit Concina ibidem, qui insuper conatus est Cajetani & Armillæ sententiam emollire scribens -- *Quorum opinio explicari potest, quando privati idem lucrum, quod prædicti campsores, exigunt*.

Licitum hoc intellige in illis regionibus, in quibus hæc cambia exercere lege Principis non est privatis vetitum; id enim in Galliis prohibitum esse scimus a Francisco primo in sua Constitutione Blesis lata 19. Martii 1540., quæ sic habet -- *Juxta constitutiones nostras antiquas prohibemus cambium exercere, ac monetas permutare absque literis nostris ad Præfectos rei nostræ ærariæ adscriptis, & ab ipsis verificatis sub pœna mulctæ arbitrariæ* --. Quod confirmavit Henricus primus Edicto suo lato mense Octobris 1555., addens pœnam corporariam contra secus agentes. Hisce in regionibus peccat certe quilibet privatus, qui hoc exercet: & quia legitimas Principum leges transgreditur: & quia grave damnum

adfert

adfert publicis campsoribus. Sed quale peccatum esset hujusmodi transgressio, mortale ne, an veniale, non convenit inter Doctores. Vide Lucium Ferraris loco proxime citato.

VIGESIMUM SECUNDUM DUBIUM. Utrum ultramontanus, qui mille Ducatos Venetos intendit ferre Venetias, ubi plus valent, & ibi eos expendere, inveniens campsorem in patria sua habentem tabulam cambii Venetiis, tradit eos ad forum cambii Venetiarum, ut sibi Venetiis reddantur: sit usurarius?

Respondeo, quod, si ex hoc, quod prædictos ducatos prius tradit ultra montes, quam recipiat Venetiis, intendit aliquod lucrum habere, tunc est usurarius, quum prior traditio induat rationem mutui. Si autem hoc non intendit, non erit usura, quum ratione patriæ lucrum reportet.

(29) Dicit primo Author, quod, si tradens pecuniam intendit principaliter lucrum, usurarius est: & quidem jure optimo, quamvis Rosella ver. *Usura sexto* §. 8. secus opinetur: quia sola intentio facit usuram, ut perspicue cap. *Consuluit* Extra *De usuris*, & hic, ut supponitur, unice traderet pecuniam, ut haberet aliquid ultra sortem. Addit Tabiena super hoc casu ver. *Usura* 15. num. 1. -- *Nisi forte, ut dictum est, hoc faceret diversitas monetarum, vel industria* --: quia tunc res reducitur ad id, quod secundo loco docet Author, videlicet seclusa hujusmodi intentione contractum esse licitum, & ab omni usura liberum: quod probat idem Tabiena inquiens -- *Non enim vendit pecuniam, quæ est invendibilis, sed tantum hic recipit quantum ibi numeravit, nam tantum valet Venetiis Ducatus sine denario quantum alibi cum denario. Cursus monetæ hoc operatur, & monetarum diversitas, & industria accedit rei licitæ L. SI HÆRES ff. AD LEGEM FALCIDIAM.* Addo, quod hic campsarius paratus est Venetias petere, & petet reipsa, ubi pecunia illa specifica plus valet, quam in patria sua. Ita igitur operatur, ut se servet indemnem, quod cuique licet.

Repones. Campsor in hoc contractu damnum patitur; recipit enim pecuniam in loco, in quo minus valet, conditione apposita reddendi eandem in alio, in quo plus valet. Campsarius ex adverso certus redditur de lucro, quod periculis viarum adhuc erat obnoxium. Non ergo æqua est utriusque conditio.

Sed responsio est in promptu. Nimis benigne de campsoribus sentit

qui ita reponit. Ars hæc tot tantisque circuitionibus abundat, ut vix percipi, nedum perspicue explicari a Theologis possint. Solis campsoribus nota hæc sunt; & iccirco si campsor, de quo in casu, recipit pecuniam ad forum cambii Venetiarum, pro certo habendum est nullum exinde damnum pati, sed adhuc lucrum percipere; &, si non meliorem, æqualem saltim in hoc esse ipsius cum campsario conditionem.

VIGESIMUM TERTIUM DUBIUM. Utrum mutuo dans pecuniam ultra montes, ut sibi reddatur citra montes pecunia prævalentior, sit usurarius?

Respondeo, quod sic Cap. *Consuluit*, & Cap. *In Civitate* Extra *De usuris*.

(30) Pecuniæ prævalentioris nomine intelligit Author quandam pecuniam specificam, cujus pretium majus est in una patria quam in alia, sive isthæc pecunia ejusdem sit, sive diversi generis, quemadmodum exponit S. Bernardinus loco proxime citato scribens -- *Sunt namque monetæ, sive numismata, quæ non tantum in propria patria, sed quasi ubique majorem habent valorem, seu cursum, quam aliæ multæ monetæ, sicut patet de Ducatis Venetiarum, & Bolonis antiquis, & similibus. Insuper eadem numismata, quæ in tali majori pretio sunt, adhuc magis in una patria, quam in alia currunt, & carius æstimantur.*

Pecunia interim, de qua in casu, vel datur ad mutuum, vel datur ad cambium. Si mutuo datur, quemadmodum loquitur Author, dubio procul sic mutuo dans usurarius est; eo enim proposito mutuam pecuniam credit, ut plus forte recipiat, quemadmodum enarratur in cap. *Consuluit*. Excipe tamen, si sic dans mutuum pergere deberet citra montes, illuc suam pecuniam expensurus in mercibus, aliisve similibus, & rogatus a mutuatario pecuniam huic concederet: quoniam in eo tunc esset lucrum cessans, & hac ratione posset se servare indemnem citra usuram. Si autem pecuniam tradit campsori, ut eam alibi recipiat, citra montes nempe, tunc se conformare potest & debet pretio currenti cambii, cujus perspicuam ideam nobis exhibet Cuniliati *De cambio* §. 3. num. 1. scribens -- Quando pecunia pluris valet, ubi campsori datur, quam in loco, ubi ab ipso restituitur campsario, tunc si lucrum, quod reportat campsor ob hunc diversum valorem, coæquet lucrum, quod sibi debetur titulo cambii, & ex vi officii sui, debet esse contentus hoc lucro, nec potest aliud lucrum recipere ex vi muneris sui, ac si pecunia utrobique eundem valorem haberet: quia jam habet lucrum suum, &, si quid ultra expetit, exorbitat a justitia. Et hinc, si lucrum ex monetis esset majus, quam illud, quod sibi debetur ex titulo cambii, & muneris sui, teneretur hunc excessum restituere, ne a justa taxa recedat.

dat. Si autem lucrum illud esset inferius eo, quod sibi ex officio debetur, ei supplendum esset: quia sibi debetur usque ad mensuram taxatam. Quod si pecunia pluris valeat ubi a campsore reddenda est campsario, quam ubi ab ipso campsore recipitur, tunc juxta Cajetanum, Bannez, Navarrum citatos a Lugo disput. 28. sect. 3. num. 37., quibus subscribit etiam Henricus a S. Ignatio lib. 9. cap. 89. num. 948., præter lucrum, quod sibi debetur, titulo cambii taxatum, poterit aliquid amplius a campsario exigere: quia, si jam lucrum taxatum sibi debetur, quando utrobique idem est valor, cur amplius exigere non poterit, quando monetas erogare debet, ubi pluris valent, cum ipse receperit, ubi valent minoris? Præterea campsor assecurat pecuniam ubi pluris valet; quis autem ambigere poterit, quod assecuratio eo majori pretio digna sit, quo majoris valoris est res assecurata, cum majori periculo assecurator se exponat -- Hactenus Cuniliati.

Vigesimum quartum dubium. Utrum cambium per litteras possit fieri sine usura?

Respondeo, quod sic, ut dictum est in præcedenti dubio vigesimo primo, cum idem sit.

(31) Id jam supra fuit ostensum. Addam igitur, quod in cambio locali, seu per literas, lucrum cambii majus esse debet, quam in cambio minuto, seu manuali, nisi campsor secus operari teneatur propter majorem valorem pecuniæ in loco, in quo ipsi restituenda est: quia, præter titulos, qui habentur in cambio minuto, ad campsorem per literas spectat assecuratio pecuniæ, & trajectio realis, aut virtualis ejusdem de loco in locum, quæ non habentur in cambio minuto, & quæ sunt pretio æstimabilia. De cambio minuto scribit S. Antoninus part. 3. tit. 8. cap. 3. sub initio -- *Illud ergo, quod plus recipit campsor, non recipit ratione mutui, quia ibi non est mutuum: nec quia pecunia vendatur, quia est invendibilis, ut dicit Archidiaconus; sed ratione laboris, quem subiit in numerando pecuniam, & expensarum, quas facit pro pensione, & ministris. Ratio enim laboris & expensarum habenda est Extra De voto cap. Magnæ* --. Modicum ergo debet esse hujusmodi lucrum: & tunc tale est, quando id tantum sibi retinet campsor, quod Principis Edicto sancitur, aut, si publica desit auctoritas, generali consuetudine comprobatur.

Vigesimum quintum dubium. Utrum mutuo dans monetam ad certum terminum, recepturus alterius generis monetam, aut aurum, aut argentum, vel aliam speciem: sit usurarius?

Respondeo secundum Hostiensem, & Goffredum, quod, si hoc animo facit, ut in æstimatione sua lucretur, usura est, Cap. *Consuluit* Extra *De usuris*, sicut faciunt qui de nundinis ad nundinas mutuum dare solent. Hanc usuram omnibus execrabiliorem judicat Hostiensis, quantumcumque sub specie venditionis, commutationis, vel alterius contractus fiat, cum excedat centesimam usuram; & quodcumque nomen imponatur ei, cum mala intentione, & fraudulenter fiat, usura est: quia sorti aliquid accedit Cap. *Plerique* 14. q. 3.. Hoc idem tenet Alexander Lombardus. Posset etiam fieri distinctio, quæ habetur dubio quinto quarti verbi diffinitionis usuræ hujus Considerationis.

(32) Hunc casum exponit Navarrus in suo Enchiridio, sive Manuali pag. 218. Editionis Taurinensis anni 1582., agens *De usura circa cambia* Littera *L.*, sic scribens -- *Quod in principalibus Emporiis Hispaniæ, Galliæ, & Belgii habentur tres, vel quatuor nundinæ certis temporis intervallis distinctæ. Et quod sunt aliqui, qui habent magnam quantitatem pecuniarum, quibus nullas merces emunt, sed in fine prædictarum nundinarum tradunt eas iisdem, quibus antea, vel aliis volentibus eas accipere solvendas in nundinis in aliis Civitatibus ejusdem, vel aliorum Regnorum proxime futuris, cum aliquo certo, vel incerto lucro; & in fine aliarum nundinarum recipiunt illam quantitatem cum lucro per se, vel per suos institores, sive actores, & statim tradunt eas aliis, vel eisdem solvendas in nundinis, vel aliis terminis statis alterius Civitatis; & in fine illarum faciunt quod in proxime præteritis. Et ita non solum conservant suam pecuniam, sed etiam lucro vivunt, & ditantur.*

Hic casus vel consideratur tanquam mutuum, vel tanquam cambium. Si tanquam mutuum, sicuti ipsum accipere videtur Author, iterum distinguendum est. Vel mutua datur pecunia cum lucro certo, vel cum incerto. Si primum, non video quomodo excusari possit ab usura. *Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur: Verbi gratia: si dederis solidos decem, & amplius quæsieris: vel dederis frumenti modium unum, & super aliquid exegeris --*. Ita 14. q. 3. cap. *Usura*. Hic amplius requiritur quam datur, & quidem absque ullo justo titulo: quoniam mutuator, ut supponitur, nec merces vult emere, nec alio modo licite negotiari, sed unice lucrari ex mutuatione pecuniæ. Hic motivum lucrandi unice desumitur ex restitutione expectata usque ad alias nundinas.

Usura

Usura igitur est aperta, & manifesta, & omnium usurarum maxima, quin pallio aliquo possit obtegi: & secus opinari est vetitum, & damnatum in propositione proscripta ab Alexandro VII. in ordine 42. -- *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem ad certum tempus* --. Si postmodum mutua præstatur pecunia cum lucro incerto, quia videlicet in primis nundinis valor pecuniæ potest esse major, aut minor, adhuc sic mutuum dans usurarius est, quod ita ostendo. Iste mutuator eo proposito mutuam pecuniam credit, ut plus forte recipiat, quemadmodum legimus cap. *Consuluit* Extra *De usuris*. Pecuniam insuper suam mutuam dat illi, a quo aliquid plus, quam dedit, expectat accipere, sicuti enarratur cap. *Si fœneraveris* 14. q. 3.. Si ergo hi, de quibus sermo in hisce duobus capitibus, usurarii dicuntur, & declarantur, etiam iste habendus erit tanquam usurarius; spes enim lucri in ipso est causa princeps mutuationis: quoniam hac unica de causa se confert ad nundinas, negotium hujusmodi exercet, quod certe non faceret sublata spe lucrandi, immo si vel unum solum videret turpe hoc lucrum exercentem in dies magis magisque non ditescere. Addit S. Bernardinus Serm. 39. art. 3. cap. 2. -- *Secundum etiam Alexandrum Lombardum dicendum est, quod ille, qui mutuat pecuniam alterius generis ad certum terminum, peccat, si ratione termini dati vult habere pecuniam, quam probabiliter credit amplius valituram in termino dato, quam sit pecunia, quam ipse dederat. Operatur enim excrescentiam propter dilationem temporis* --.

Et Author hic, & S. Bernardinus ibidem appellant ea, quæ dicta sunt dubio quinto super quarto verbo definitionis usuræ: videlicet aut mutuator erat servaturus pecuniam illam usque ad sequentes nundinas animo eam tunc commutandi pretio in illis currenti, aut non erat servaturus. Si secundum, usura tunc est propter rationes supra productas. Si autem primum, excusari poterit ab usura: quia se servat indemnem, &, si aliquid lucri percipit, hoc non erit ex mutuo, sed ex industria licita; potest enim quisque lucrari commutando pecuniam, non ratione mutui, sed ratione patriæ, & valoris ipsius in una patria majoris, minoris in alia. Verum enimvero quum hi, de quibus sermo, super hoc negotientur ex consuetudine, ex habitu; & in sequentibus nundinis pecuniam restitutam recipiant, non animo eam expendendi in rebus familiaribus, vel alicui licitæ negotiationi tradendi, sed animo eam iterum mutuo præstandi vel iisdem, vel aliis volentibus eam accipere sub eadem conditione restitutionis ab alias nundinas: arbitror memoratam distinctionem eisdem suffragari non posse. Suffragetur cuidam particulari, & in aliquo particulari casu. Per me id licet; potest enim hoc contingere, quin expectatio lucri sit caussa princeps mutui, & quod lucrum ipsi debeatur, ut servetur indemnis. Non suffragabitur certe iis, de

quibus in præsenti: quia in istis expectatio lucri semper est caussa princeps, & propter hanc solam mutuum dant, & propter hanc solam mutuationibus negotiantur contra jura omnia hujusmodi negotia merito improbantia, contra Dominicum mandatum -- *Mutuum date nihil inde sperantes*.

Si postmodum præsens casus reducatur ad cambium, habebimus tunc cambium illud, quod dicitur ad terminum solutionis vel ad nundinas, vel temporale, vel Lugdunense, vel Francofurtense: in eo positum, quod campsor dat hic pecuniam ea lege, ut illam cum lucro recipiat Francofurti, vel alibi ad proximas nundinas, & plus minusve exigat pro cambio, quo magis vel minus remotæ sunt nundinæ, in quibus restitutio facienda est. Hunc contractum licitum esse tuentur Lessius, Layman, Tamburinus, aliique, quos refert, & sequitur Ferraris ver. *Cambium* num. 33., 34.; immo & ipse Joannes Pontas ver. *Nummularius* casu 3., ratione, ut ajunt, lucri cessantis, aut damni emergentis, quod campsor posset pati, & quod patitur, quia, cum nundinæ sunt proximæ, pretium cambii solet esse vilius propter copiam pecuniarum, majus autem, cum nundinæ sunt remotæ. Ex adverso eundem habent tanquam usurarium Cajetanus, Soto, Colletus Institut. De cambio conclus. 3., Antoine De cambio q. 3., Concina De cambio cap. 4. num. 2. & seq., quia auctarium non exigitur nisi pro carentia pecuniæ ad certum tempus, & pro solutionis dilatione; quapropter quo major est dilatio, majus exigitur auctarium. *Secluso alio titulo justo excusante ab usura, cambium hoc est usurarium. Nam est verum mutuum, ratione cujus lucrum exigitur: nihil enim aliud est, quam contractus, quo traditur pecunia, ut reddatur cum lucro infra terminum, seu in quo exigitur aliquid ob dilatam solutionem* --: Ita Antoine loco citato. Postremam hanc opinionem præferendam esse arbitror: & quia campsores raro cambiunt dilata solutione, & tunc forte contingit, quando otiosa pecunia abundant, & deficiunt occasiones cambiendi ad lucrum certum: & quia in hoc vere & proprie non se gerunt tanquam campsores, sed tanquam mutuatores. Vel ergo omnibus sic mutuo dare licet, vel nulli. Omnibus non licere jam ostensum est. Nec igitur licebit campsoribus, nisi in ipsis, sicuti & in aliis habeatur verum lucrum cessans. Dico *verum*, quoniam illud, quod pati possunt, non est verum lucrum cessans, sed quid commune omnibus mutuatoribus, & quod, si sufficeret, mutuatores omnes semper redderet ab usura liberos. Cæterum ii ipsi Auctores, qui lucrum hoc permittunt, tot tantasque conditiones requirunt, ut vix, aut ne vix quidem in praxi omnes insimul reperiantur. Concludit iccirco ipsemet Pontas, quod in praxi raro admodum contingit, ut illud commercium sit ab usura liberum.

Notatu dignum est, quod adjicit Colletus proxime citatus -- *Cæterum illud solum impugno cambii genus, quod descripsi; si enim aliter exerceatur cambium Lugdunense, ut aliqui loci hujus incolæ me præsente dixerunt*, *de*

de eo penes alios esto judicium --. Jam superius dixi artem hanc tot tantisque circuitionibus, involucris, & modis exerceri, ut a solis campsoribus intime percipiatur, & ipsam superet, tametsi perspicacem, Theologorum intelligentiam. Videant igitur ipsi. Nos differimus juxta leges Ecclesiæ adversus usurarios præstitutas, &, si ipsi ad hujusmodi leges non se conformant, vel innumeras ipsorum circuitiones consulto nobis occultant, certum est eos esse usuræ reos: & timendum vehementer est, ne de ipsis verificetur quod scriptum legimus Ecclesiastici 11. v. 16.-- *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt* --, & quod dixit Christus Jo. 3. v. 20.-- *Omnis enim, qui male agit, odit lucem*.

VIGESIUMM SEXTUM DUBIUM. Utrum qui Januæ existens emit ab aliquo Turonenses recipiendos in Francia in talibus nundinis, sit usurarius?

Respondeo secundum Alexandrum Lombardum, quod, si emens plus vel minus dat propter temporis dilationem: puta si usque ad nundinas sunt tres menses, & minus dat, quam si essent tantum duo, tunc contractus est illicitus: & maxime si pecunia recipienda in termino plus valitura creditur probabiliter: vel si sic emens communiter lucretur, hoc enim posito videtur mutuum indirectum. Sed si esset dubium, ratione dubii vel communiter, vel probabiliter accidentis excusaretur. Credo attendendum esse, quod dictum est in secundo Articulo primæ Considerationis dubio primo, & secundo.

(23) Eadem habent S. Bernardinus Serm. 39. art. 3. cap. 2., Astesanus lib. 3. tit. 11. de quarto &c.. Super hac re animus emptoris explorandus est. Si id agat in fraudem usurarum, & propter dilationem solutionis, vel aliquid detrahat de justo pretio, vel aliud operetur in damnum venditoris, reus erit vel usuræ, vel injustitiæ. Si autem recto animo operetur, quia hoc sibi prodesse vel obesse potest, ac venditori non obest, & insuper inter ipsos servatur æqualitas pro emptionibus & venditionibus constituta, contractus erit licitus, nullo usuræ, vel injustitiæ crimine commaculatus.

VIGESIMUM SEPTIMUM DUBIUM. Utrum recipiens Florentiæ decem libras grossorum, quæ tunc valent decem florenis, a campsore cum pacto, quod ipsi campsori teneatur

neatur tantum dare, quantum infra decem dies post celebratum contractum valebunt decem libræ grossorum Venetiis, quæ quidem aliquando plus, aliquando minus valent, & hoc hinc ad mensem receptionis earum: gravetur inique, & utrum campsor sit usurarius?

Respondeo, quod sic, quia est ibi mutuum cum intentione recipiendi ultra sortem: nec periculum potest excusare ab usura Cap. *Naviganti* Extra *De usuris*. Est etiam illicitus talis contractus: quia speratur lucrum nummi, de quo nullum potest egredi lucrum, ut patet 88. dist. Cap. *Ejiciens*. Item tertio est illicitus: quia cum damno proximi fit, scilicet recipientis, experientia teste, quæ omnium est magistra Cap. *Quam sit* Extra *De electione*, Lib. *6.*, & cum destructione civium, qui talia cambia frequentare probantur. Ex iis patet quid de cambiis sit dicendum: quia, si sunt artificialia, sicut ars campsoria, habes declarationem dubio 18., & 19.. Si vero sunt cambia realia, considera dubium 21.. Si autem cambia per litteras, dubium 24.. Si vero casualia, seu cambia grossorum, hoc dubium 27. te clarum faciet.

(34) Hunc casum fuse exponit, & solvit S. Bernardinus loco proxime laudato cap. 3., qui, etiamsi candide fateatur, quod *campsor aliquando perdit, aliquando lucratur*, tamen sapienter adjicit -- *Nec obstat, quod prædictæ libræ grossorum quandoque valeant minus, quia intentio mutuantis est ex tali mutuo lucrum habere* --: atque ut ad rem S. Antoninus part. 3. tit. *6.* -- *Intentio lucri ex mutuo facit usurarium* --. Sed demus ejusdem Sancti Archiepiscopi responsum super hac eadem difficultate, quam sibi proponit part. 2. Summ. Theolog. tit. 8. cap. 3. ante medium -- *Illud communiter censetur usurarium: quia ibi est mutuum, & spes lucri in campsore, ex quibus duobus perficitur usura* 14. *q.* 3. *Can. SI FOENERAVERIS .... Nec excusat periculum, vel dubium amittendi, idest quia minus possunt valere illa centum tempore redditionis: tum quia in mutuo aliquid sperare non licet, Argum. DE USURIS Cap. NAVIGANTI: tum quia raro contingit quod perdat* --. Adde quod campsor non daret mutuo, nisi speraret se recepturum esse pecuniam prævalentem, seu cum majori pretio, & valore quam dederit.

Non

Non defuere Veteres, qui hunc campsorem voluerunt immunem ab usura, Laurentius scilicet De Rodulphis, Joannes De Anania, & Archidiaconus. Sed & hi fateri debuerunt vel inviti, tutius esse ab hoc contractu se abstinere propter periculum animæ, quia sic mutuum dantes se exponunt periculo peccandi. Quid multa? Sola ipsa conditio in contractu apposita -- *Quod teneatur ipsi campsori tantum dare, quantum infra decem dies post celebratum contractum valebunt decem libræ grossorum Venetiis* -- animum præsefert lucro inhiantem, & non solo titulo christianæ charitatis ad præstandum mutuum adductum.

Quum Author declaret se absolvisse ea, quæ pertinent ad cambium, non erit abs re nonnullas alias adjicere, & exponere cambii species, quarum ipse non meminit. Primo igitur occurrit cambium cum recambio, seu cum recursu, sic appellatum, quia recurrit unde incœpit. En quomodo conficitur. Cajus pecunia indigens, & necessitate coactus petit a Titio campsore centum aureos, nihil de cambio cogitans, quum in universo terrarum orbe nec mensam apertam, nec campsores, nec correspondentes habeat. Titius campsor nolens pecuniam suam relinquere sine lucro, offert eidem cambium Placentinum, seu Vesuntinum: videlicet quod dabit ei centum aureos postulatos cum onere, quod reddat eos in proximis nundinis Placentiæ, vel in alio loco celebrandis, & cum lucro consueto cambii. Et quia Cajus nec Placentiæ, nec alibi correspondentes habet, Titius offert eidem Sejum proprium correspondentem, & ad hunc scribit nomine proprio & Caji, eidem injungens, ut acceptet debitum Caji, & solvat cambium, ejusque lucrum consuetum. Sejus acceptis literis Titii in libris dati & accepti scribit debitum Caji, ipsumque solvit cum pecuniis ejusdem Titii, & postea cum istis iisdem pecuniis instituit secundum cambium, committendo Cajo, ut in patria sua ipsum solvat Titio cum lucro primi, & secundi cambii. Cajus certe est omnino impotens ad solvendum, & iccirco tota hæc summa, quasi ipsam recepisset a Titio, iterum traditur cambio modo nunc exposito, atque ideo per multos annos quandoque continuantur hæc cambia & recambia, donec, fœnore multiplicato, exhauritur patrimonium Caji coacti solvere, & centum aureos, quos habuit, & omnia lucra cambiorum & recambiorum intercurrentia, quæ paucorum annorum spatio vel coæquant, vel excedunt pecuniam mutuatam. Hoc cambium rem diabolicam dicit Sporer Tomo 2. tract. *6.* sect. 2. De cambiis num. 44. Et reipsa, si ut par est pensitetur, nihil aliud est, quam cambium siccum repetitum; circuitiones enim hæ figmenta sunt a Titio ad usuras occultandas excogitata, quibus Cajus fingitur correspondens hujus, vel alterius, ut exsaturetur avaritia Titii; quum hujus pecuniis, & correspondentibus omnia fiant, & non aliter.

Secundo venit cambium civicum, sic vocitatum, quia in eadem Civitate

vitate

vitate consummatur. En quomodo peragitur. Cajus indiget Taurini centum aureis, eosque petit a Titio campsore cum onere eosdem ibidem restituendi ad primas, vel ad secundas nundinas, adjecto lucro cambii consueto. Testatur quandoque Cajus se nummos hujusmodi accipere vel ad cambium alibi exercendum, vel ad negotiationem ineundam; sed reipsa iisdem utitur ad proprias indigentias reparandas. Multa excogitarunt nonnulli ad hunc contractum salvandum. Irrito tamen conatu, meo saltem judicio. Quidquid dicat Cajus indigens, quidquid etiam juramento testetur: quum campsor ipse ex munere non sit: quum ipsius indigentiam cognoscere possit Titius; quum Cajus alibi non habeat pecunias, nec correspondentes: cambium fictum est, cambium simulatum ad habendam pecuniam, & reipsa purum est putumque mutuum, etsi proxenetæ usurarum persæpe lenones nihil quandoque intentatum relinquant, ut repræsentent, & persuadeant rem aliter se habere. Sed quid dixi cambium fictum? Cambium locale est illud, in quo vel campsor dat campsario pecuniam in uno loco, ut ipsi restituatur in alio, vel ipse campsarius solvit campsori pecunias in uno loco, ut eidem de mandato campsoris in alio restituantur. In casu non fingitur alter locus, in quo campsori pecunia reddenda sit, sed pacto firmatur, ut restituatur ibidem. Quocumque igitur modo pecunia velit uti Cajus, non poterit habere rationem cambii, ne simulati quidem, sed purum erit mutuum cum pretio cambii.

Remanet nunc enucleandum cambium alterum, quod dicunt obliquum. Qua in re utar verbis Benedicti XIV. De Synodo Diœces. lib. 10. cap. 5. num. 8., & seq. -- Titius indigens mille aureis mutuos eos petit a Cajo, qui, cum consueverit negotiari, & negotiatione pecuniam suam augere, renuit indulgere petitioni Titii, a quo ratione mutui nihil potest exigere. Quia vero Titius Cajum urgere non cessat, res inter eos in hunc modum componitur. Titius mutuos accipit a Cajo prædictos mille aureos, neque mutui caussa quidquam se Cajo ultra sortem soluturum promittit. Ut tamen Cajo damnum rependat, quod ex dato mutuo subit, dat ei facultatem æquivalentem pecuniæ summam sive a semetipso, sive ab alio, per cambii contractum accipiendi, eamque ad negotiationem destinandi, simulque Titius se obligat ad solvendum Cajo, donec ei mutuum restituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere deberet, si prædictos mille aureos a campsore accepisset. Quandoque etiam ipsemet Titius mutuatarius assumit sibi onus cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, quantam mutuam accepit a Cajo, in commodum tamen, & utilitatem ejusdem Caji, cui quotannis solvit quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari posset, donec ei mutuum restituat.... Præmissa hac cambii obliqui notione, quam præbet Cardinalis

nalis De Luca lib. 5. tit. De cambiis in Summ. part. 2. num. 16., facile est suspicari prædictas involutas ambages esse unice excogitatas ad palliandam usuram, quæ nihilominus non satis occultatur, & magis adhuc aperte se prodit, cum contractus secundo ex recensitis modis initur. Quid enim absurdius, quid incredibilius fingi potest, quam quod Titius indigens mille aureis, quos mutuos accipit a Cajo, totidem statim habeat paratos ad nundinas transmittendos, atque in activa cambia erogandos in mutuantis Caji utilitatem! Et nihilominus non desunt Auctores qui pro ejusmodi cambiorum tuenda justitia decertant, inter quos Cardinalis De Luca De cambiis discurs. 3. num. 5., discurs. 5. num. 8., discurs. 23. num. 9., Ansald. De commerc. & mercat. discurs. 65. num. 46., & seq., Rota Bononiensis apud Urceolum De transact. quæst. 40. a num. 23. usque ad fin., & Rota Romana decis. 1. lib. 8. ad ornat. Card. De Luc., & decis. 323., & 695. cor. Molines. Verum quidquid sit de foro externo, in quo fortasse ita res gesta præsumitur, sicut in contractus stipulatione describitur, in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepto mutuo respondens neque a mutuante, neque a mutuatario juxta prædictas diversas pactiones fuerit ad nundinas transmissa, seu in cambia activa erogata, nec unquam in alterutrius animo fuit eam ad nundinas transmittere, seu in cambia erogare: minime dubitandum est, cambium esse illicitum, turpe, & usurarium, ac propterea e christiana Republica prorsus eliminandum. Non enim vero negamus posse mutuantem, qui solet pecuniam suam negotiatione augere, aliquid percipere a mutuatario titulo ejus quod interest, hoc est lucri cessantis, aut damni emergentis. Sed cum hic legitimus adest titulus aliquid ultra mutuatam sortem exigendi, is erit ingenue adducendus, neque recurrendum ad prædictos cambii obliqui anfractus, qui vehementem ingerunt suspicionem fraudis, & doli --. Hactenus sapientissimus Pontifex. Postremam ipsius periodum tu, Lector, attente considera; hæc enim vel sola sufficit ad cognoscendum istud cambii genus nihil aliud esse nisi tegumentum usuræ.

Vigesimum octavum dubium. Utrum tradens centum cuidam mercatori cum pacto, quod tantum det sibi de lucro sive lucretur, sive non: periculum tamen casus fortuiti totius capitalis in se retinens, & omne damnum ipsius capitalis, quod sine culpa mercatoris procedit: sit usurarius?

Respondeo secundum Girardum Obdonis, & Laurentium de Florentia, quod non, immo licitus est talis contractus,

tractus, si tantum accipit de lucro, quantum verisimiliter mercator potest lucrari, cum bene lucratur, & quantum perdere, cum nihil lucraretur. Nam talis mercator emit lucrum capitalis pro tanto pretio, quanto probabiliter cum propria utilitate potest æstimari. Alii autem dicunt, quod illicitus est. Sed primum verius credo, nisi forte fieret in fraudem usurarum.

(35) Casum hunc perhibet Joannes Pontas ver. *Societas* casu 4., & totus is est, ut ostendat id non licere. Præcipua ipsius momenta sunt hæc. Primo, quia hic contractus est contra naturam societatis, quæ postulat, ut ambo contrahentes æque participent de damno, sicut & de lucro. Secundo, quia adversatur S. Thomæ 2. 2. q. 78. art. 1. in corpore scribenti -- *Secundum se est illicitum pro usu pecuniæ accipere pretium, quod dicitur usura* --. Tertio, quia hunc contractum reprobavit Sixtus V. in sua Constitutione *Detestabilis* edita anno 1586. die 25. Octobris. Quarto, quia demum non convenit cum S. Bernardino Serm. 39. cap. 3., qui dicit -- *Si intendit habere lucrum, & non damnum, usura est* --. Hæc tamen tanti ipse non facio, ut statim condemnem Authorem secus docentem; quoniam, supersedendo Constitutione Sixti V., de qua dicam infra, responderi potest, ut sequitur.

Ad primum. Utique -- *Societas cum contrahitur tam lucri, quam damni communio initur* -- L. *Si societatem* ff. *Pro socio*. Sed hìc agitur de contractu venditionis formaliter, aut saltem virtualiter sequente societatem; dum enim contrahentes conveniunt de lucro, ut in casu, unus vendit jus ad lucrum, & alter ipsum emit, non autem mutuam ineunt societatem.

Ad secundum. Joannes Pontas ex inadvertentia omisit unum verbum in textu S. Thomæ, cujus appositio difficultatem solvit. S. Doctor ibi, postquam dixit proprium, & principalem usum pecuniæ esse ipsius consumptionem, sive distractionem, subdidit -- *Et propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur usura* --. Do ipse lubens ex pecunia mutuata non posse recipi lucrum: sed in præsenti non agitur de hac re; agitur enim de jure ad lucrum, & quæritur utrum vendi possit, nec ne.

Ad quartum. S. Bernardinus revera habet verba recitata art. 2. cap. 3. ibidem, sed de alio casu loquens a præsenti longe diverso. Casum nostrum exhibet S. Bernardinus ibidem art. 1. cap. 1., & in eadem cum Authore sententia est. En verba ipsa S. Bernardini -- *Quartus casus addi potest, puta quum in mercando capitale currit ad periculum tradentis, ita quod quidquid mercando, vel alio inculpabili modo perditur, perdatur*

tra-

traditori ipsius capitalis; lucrum autem fixum est: & in tali casu certum est, quod mercator, cui capitale traditum est, emit totum futurum lucrum capitalis prædicti tanto pretio, quantum probabilitas futuri lucri cum utilitate propria posset rationabiliter æstimari. Talis quidem contractus secundum quosdam illicitus est: tamen secundum Gerardum Obdonensem licite fieri potest, & hoc multiplici ratione. Primo ratione periculi. Secundo ratione lucri. Tertio ratione vitandi damni. Primo ratione periculi: nam in tota mercatione fienda ex hoc capitali capitale ad periculum tradentis currit. Secundo ratione lucri; quia totum lucrum, quod perventurum æstimatur probabiliter, aliquem valorem habet, qui potest aliquo pretio juste æstimari, & per consequens etiam juste vendi. Tertio ratione vitandi damni: quia iste, qui dat suum proprium capitale, juste potest inde exigere interesse. Idem patet a simili. Detur enim, quod aliquis tradat equum suum ad septimanam sub pretio competenti, vel conducat eum in præliis, & aliis sibi necessariis, tandem ille, cui equus traditus est, emit totum futurum lucrum annuæ conductionis equi. Sicut hoc licite emi potest, ita & ibi. Credo igitur, quod ratione contractus in hoc nulla committatur usura, nisi hoc fieret in fraudem usurarum: ita quod illud capitale non esset vere secundum rem traditum pro capitali, sed potius pro mutuo, & ad usurarum lucrum: quia hoc esset contra primam regulam, quum esset ibi mutuum interpretatum, & per consequens esset contra secundam regulam, quia apud lucrantem perveniret lucrum de re, cujus non haberet dominium, nec usum --. Certum est igitur S. Bernardinum a Joannis Pontasii opinatione non stare: & quæ Pontasius protulit, tanti non esse momenti, ut ab Authoris sententia sit recedendum.

Hunc casum quoque perhibent Fulgentius Cuniliati De contractu societatis §. 2. num. 9., & Daniel Concina lib. 3. De justitia & jure, dissert. 3. cap. 22. §. 5. num. 9. & seq.: & quamvis ambo conveniant in hoc contractu nihil haberi, quod adversetur justitiæ, adjicit tamen Concina se olim illum consuluisse, sed facti pœnitere; re enim serius considerata permittendus non est, quia a Sixto V. in proxime laudata Constitutione prohibitus. Id ut probet, profert hæc verba ex §. 3. ejusdem Constitutionis deprompta.-- *Ita ut non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perierit, restituendum socius accipiens teneatur* --: atque contendit hæc duo disjunctive, non copulative esse accipienda, ut Summus Pontifex unum æque prohibuerit ac alterum, non vero duntaxat tanquam insimul conjuncta. Si igitur ostendam Sixtum V. in hac Constitutione prohibuisse quidem, pacisci de lucro determinato, quando insimul in pactum transit capitale, seu sors, & remanet periculo accipientis; non autem quando unice contrahentes conveniunt de assecuratione lucri ex negotio provenientis, periculo sortis

rema-

remanente penes tradentem: salva res erit, & hic contractus venditionis, qui fatente ipso Concina nullam prodit injustitiam, nec erit aliquo jure positivo vetitus.

Id statim demonstro. Quod ut faciam, præmitto casus enarrationem a Summo Pontifice factam sub ipso Constitutionis initio -- *Nam multi speciosum, & honestum societatis nomen suis fœneratitiis contractibus prætexendo, hoc quasi colore & fuco, mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis personis super eorum mercibus, officinis, tabernis pannariis, aliisque rebus, ac bonis, pecunias suas, aut alias res societatis nomine conferunt; vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis dant in societatem, sive ad soccidam, ut vocant, ea conditione, ut sors ipsa, seu caput, quod vulgo dicitur capitale, tam pecuniarum, quam animalium, & rerum, salvum semper & integrum existat pro eo, qui non industriam, aut operas, sed pecunias, animalia, aut res hujusmodi in societatem confert, utque omne periculum, & damnum ab altero socio recipiente substineatur, contra æquitatem, & societatis justitiam diversimode paciscuntur, eosdemque socios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes & egenos, suoque labore, & industria victitantes, ad sortem, seu capitale restituendum, quicumque tandem casus, & rerum eventus consequatur, pacto & obligatione obstringunt, simulque etiam certam lucri quantitatem, & summam, veluti tot pro quolibet centenario, in singulos annos, aut menses per alterum socium, durante societate, solvendam præfiniunt, ac præscribunt; eamque summam, & quantitatem, non subductis rationibus accepti & expensi, quod in codices, seu tabulas societatis referri solet, neque facto calculo, vel computo, pro ipsius lucri, vel damni lucro variabilem, sed laborem & curam computandi, & calculandi se invicem remittere, & renuntiare asserentes, quovis tempore certam constituunt.*

Præmitto pariter quod Summus Pontifex exinde decrevit, & constituit §. 1. -- *Proinde nos .... hac nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, conventiones & pactiones posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut, etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum a socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate vel summa in singulos annos aut menses durante societate respondeatur: statuimusque hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones usurarios, & illicitos posthac censeri debere; atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare: neque etiam, sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem, seu capi-*

capitale salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione sibi obligare.

Pergo nunc. Summus Pontifex in casus enarratione hæc duo, videlicet pacisci de capitali salvo & integro, & pacisci de lucro certo quotannis habendo, tanquam insimul conjuncta, insimul contingentia in uno eodemque contractu, & cum iisdem contrahentibus, proposuit. Perspicuum id fit, vel leviter expendendo hæc Pontificis verba -- *simulque etiam certam lucri quantitatem, & summam* --; particula enim *simul* est particula conjungens, qua præcedentia verba cum proxime sequentibus copulantur. Ergo improbavit ea, damnavitque tanquam insimul conjuncta, & copulata, non autem tanquam divisa, & duos casus sejunctos constituentia. Secus, unum proposuisset, & alterum damnasset. Secus, casum damnasset in enarratione non expositum. Quis ignorat hæc duo simul juncta non ejusdem esse indolis, ac si sumantur separata & divisa! Docente ipsomet Concina, casus noster solitarie inspectus nullam vel minimam prodit injustitiam; conjunctus autem & usuræ, & injustitiæ pene ab omnibus condemnatur. Non ergo idem judicium ferendum est de eo absolute spectato, ac de eodem conjuncto cum prævio pacto, quod tradens pecuniam &c. securus sit de capitali, & hoc remaneat periculo solius accipientis.

Præterea [quod pluris faciendum est, & quod unum sufficit pro re nostra] Summus Pontifex hæc duo pacta indistincte damnavit tanquam usuraria & illicita -- *Statuimusque hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones usurarios, & illicitos posthac censeri debere* --. Contractus noster in se inspectus, solitarie consideratus non est hujusmodi per Concinam ipsum; usura enim juri naturali adversatur, estque injustitia manifesta, ut scribit S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. inquiens -- *Dicendum, quod accipere usuram pro pecunia mutuata est secundum se injustum; quia venditur id, quod non est, per quod manifeste inæqualitas constituitur, quæ justitiæ contrariatur* --, ut etiam fuso calamo ostendit Concina De mutuo & usura cap. 5. per totum: & aliunde contractus noster solitarie acceptus, Concina teste, nihil habet injustitiæ -- *Si naturam contractus considero, nullam deprehendo injustitiam* --. Verba sunt ipsius loco primo laudato. Vel igitur se fefellit Summus Pontifex declarans usurarium, adeoque injustum contractum, in quo nulla deprehenditur injustitia: Vel se fefellit Concina putans, & volens Summ. Pontificem in hac sua declaratione comprehendisse contractum nostrum sejunctim inspectum, ipsomet fatente, ab omni injustitia, & per consequens ab omni usura liberum. Primum asserere nefas. Dicendum est igitur Danielem Concinam in hoc mentem Pontificis non fuisse assequutum; & idcirco nedum Authorem nostrum, qui scripsit longe ante Sixtinam Constitutionem, sed ipsum etiam Fulgentium Cuniliati, qui post eundem

Concinam Theologiam vulgavit ſuam, potuiſſe citra errorem, & laxitatem contractum noſtrum, præſentemque caſum ab injuſtitia, & per conſequens etiam a fœnore vindicare.

Summus Pontifex, uti contenditur, duas aſſecurationes, ſortis nempe & lucri, improbavit, damnavitque non prout ſeparatim fieri poſſunt, ſed tanquam inſimul conjunctas, & copulatas. Ergo, inquies, ſicuti ſejunctim fieri poteſt aſſecuratio lucri, uti dicitur, quin huic pacto repugnet Pontificia Conſtitutio, ita fieri etiam ſejunctim poterit aſſecuratio ſortis, quin Sixtinæ Conſtitutioni adverſetur. Sed quis diſcrimen non videt, idque latiſſimum? Unum eſt principale, alterum duntaxat acceſſorium. Unum ſocietatem deſtruit, non item alterum. Unum efficit, quod contractus tranſeat in mutuum, non vero alterum. Acceſſorium ergo damnatum eſt propter principale, non autem principale propter acceſſorium: quia hoc in ſe inſpectum, ipſo Concina adſerente, nihil præſefert injuſtum: injuſtiſſimum autem eſt per Concinam principale, ſcilicet aſſecuratio ſortis; hac enim ſequuta contractus ſtatim tranſit in illam ſocietatem leoninam, de qua inferius, omni jure prohibitam. Ex quo igitur aſſecuratio lucri ſejunctim facta non eſt vetita per Sixtinam Conſtitutionem, non recte infertur, quod item vetita non ſit aſſecuratio ſortis, etiam dato quod ſecunda non ſequatur aſſecuratio, lucri videlicet.

Fateor nihilominus, & candide fateor hujuſmodi contractum in praxi non eſſe conſulendum; attenta enim humana fragilitate, &, quod pluris eſt, inſatiabili hominum lucrandi cupidine, ſuſpicandum vehementer eſt, quod tradens pecuniam non conferat eam animo veræ, propriæque ſocietatis, ſed ſolo animo inducendi ſocium minorem ad paciſcendum de lucro ex eadem proventuro. Quo in caſu videri poſſet, & haberi tanquam mutuum interpretatum ſub pallio ſocietatis.

VIGESIMUM NONUM DUBIUM. Utrum cives, qui mutuo dant Communitati propter certum lucrum, coacte tamen ac violenter, ita ut potius deſiſterent, quam ſic dare mutuum, cum incurrant multoties multum damnum, ſint uſurarii?

Reſpondeo, quod ſic: quum quidquid accedit ſorti in mutuo ſit uſura, niſi affuerit verum & certum intereſſe, quod poteſt æſtimari etiam ex dubio eventu ſecundum conditiones perſonarum & negotiorum juxta Thomam 2. 2. q. 62. art. 4. in corpore. Non autem poteſt poni intereſſe certum pro incerto, ut dicit Thomas 2. 2. q. 78. art.

art. 2. ad. 1., & notat Antonius de Butrio in Cap. *Salubriter* Extra *De usuris*. Nec excusat eos coactio, vel alia necessitas, ut Cap. *Super eo* Extra *De usuris*, & Extra *De his, quæ vi metusve* Cap. *Sacris*.

(36) Præprimis do auctoritates ab Authore indicatas -- *Alio modo si damnificet aliquem, impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi, & tale damnum non oportet recompensare ex æquo: quia minus est habere aliquid in virtute, quam habere actu. Qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potestatem; & ideo, si redderetur ei, ut haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum non simplum, sed multiplicatum, quod non est de necessitate restitutionis, ut dictum est articulo tertio. Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundum conditionem personarum, & negotiorum* --. Ita S. Thomas loco primo citato.

Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere: quia non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo --. Ita S. Thomas loco secundo indicato.

Respondemus, quod, cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus --. Ita Cap. *Super eo*.

Distinguimus autem, utrum is, qui communicat excommunicatis invitus, sit per coactionem attractus, aut per metum inductus. In primo casu talem non credimus excommunicatione teneri, cum magis pati, quam agere videatur. In secundo, licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari --. Ita Cap. *Sacris*.

Dubio procul hic agitur de mutuo; mutuum enim exprimit quæsitum, & non censum, de quo, si ageretur, aliter esset constituendum, ut inferius patebit. Secluso igitur justo titulo non potest aliquid exigi ultra sortem. Justus titulus non est, quod pecunia poterat fructum afferre in manu mutuatoris: quia, præterquamquod, ut ait D. Thomas secundo recitatus, venderetur id, quod nondum est, quilibet mutuatuor hunc titulum allegare posset, & iccirco in omni mutuo liceret usura. Dum postea justus habetur titulus, quia mutuator damnum reipsa patitur ex hoc mutuo, optima est distinctio a D. Thoma producta, videlicet: aut aufertur ei lucrum, quod jam habebat, aut duntaxat impeditur lucrum, ad quod habendum erat in via. Si primum, lucrum exigere potest ad æqualitatem damni. Si vero secundum, illud duntaxat exiget arbitrio boni viri, pensata negotii qualitate, ipsiusque circumstantiis.

Coactionem quod respicit, quum vitium usuræ positum non sit in mutuatione pecuniæ, sed in spe lucri, & in receptione alicujus rei ultra sortem: si quis a Communitate cogatur ad mutuum dandum, animum is in mutuatione servet catholicum ab omni spe lucri, ab omni lucri intentione alienum, & usuræ labe non commaculabitur.

Sed quid, si Communitas ipsum compellat, & cogere velit ad stipulandum mutuum sub usuris? Constanter ipse reluctetur. Quum usura sit mala in se & secundum se, ut ostensum fuit dubio secundo Articuli secundi hujus Considerationis, prohibita iccirco quia mala, non mala quia prohibita, nec minis, nec coactionibus cedere debet catholicus vir, sed potius mori, quam fœdari.

Sed quid, si Communitas ipsum cogat, & compellat ad accipiendas usuras? Usuræ labes posita non est in nuda materiali receptione usurarum, seu pecuniæ datæ pro usura, bene vero in receptione earumdem cum animo eas retinendi. Cedat ergo in hoc casu coactioni, animo eas restituendi, & postmodum congruo tempore illas revera restituat, quod mille modis potest fieri.

Non displicet distinctio Alexandri Lombardi super hoc eodem casu, quam refert, & non improbat Astesanus noster lib. 3. tit. 11. de quinto versus finem scribens -- Distinxit autem, quia relevatio potest fieri dupliciter: uno modo per modum gratitudinis, quia scilicet Communitas gratis, & liberaliter relevat mutuantes, & tunc licite recipitur. Alio modo per modum obligationis, quia scilicet Communitas ad hoc faciendum se obligavit, & tunc non percipitur licite, & specialiter, quia ex tali obligatione mutuum incipit esse voluntarium, & fieri propter spem lucri. Mihi autem videtur, salvo semper judicio meliori, quod, si is, qui mutuavit, semper mallet, si posset, suum mutuum recuperare, quam proventus habere, licite possit eos recipere: præcipue cum Communitas ad hoc se obligaverit sponte, ut supponitur ad præsens --. Hactenus Astesanus.

TRIGESIMUM DUBIUM. Utrum ementes jura prædictorum civium pro eo, quod ipsi dederunt mutuo Communitati, licite sine usuræ vitio possint recipere illud, quod Civitas talibus dabat?

Respondeo, quod, si principale est illicitum, similiter & accessorium Extra *De regulis juris* lib. 6., & ideo usurarii sunt.

(37) En Regulam juris hic laudatam, quæ est in ordine 42. -- *Accessorium naturam sequi congruit principalis* --. Huc etiam pertinet Regula

gula 18. -- *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*. Huc demum accedit Regula 29. ff. *De diversis regulis juris* --. *Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*.

Secus opinatus est Joannes de Saxonia, ut videre est apud Astesanum loco proxime citato: quia ipse defendit posse cives mutuo dantes sine vitio usuræ aliquid ultra sortem a Communitate recipere. Verum, quum Author aliter supra constituerit, jure nunc docet ementes talia jura esse usurarios. Sed quid juris, si cum Alexandro Lombardo & Astesano ponamus, quod Communitas auctarium elargiatur sponte & libere, causa gratitudinis, non obligationis: anne licite posset quis emere jus ad tale auctarium gratis elargitum, & gratis elargiendum? Videtur certe, quod sic: quia, si hujusmodi auctarium gratis datum licite recipitur, licite etiam vendi potest, & emi. Verum enim vero, quum donum pure gratuitum nullam secum ferat obligationem, & qua libertate donatur, eadem possit libertate negari: res esset plena periculi ipsum reducere ad quoddam jus, & pro ipsius spe pretium accipere.

TRIGESIMUM PRIMUM DUBIUM. Utrum cives sint usurarii, a quibus Communitas pecuniam accipit mutuo, sed ut nunquam ipsam restituat, si accipiant illud, quod sibi annuatim constituit ipsa Communitas pro dicta pecunia taliter accepta, sicut fit in imprætitis Venetiarum, in Montibus Florentiæ, & in Locis Januæ.

Respondeo, quod Doctores diversi diversa super hoc senserunt. Iste autem Sanctus vult, quod sint usurarii, si voluntarie dictam pecuniam taliter Communitati dederint. Si autem coacte, dicit, quod licet aliquid accipere pro interesse. Sed ista sua opinio mihi non placet; nec rationes, & motiva ipsius, quæ omitto brevitatis causa, efficaciter de jure concludunt; nec tollunt rationes, & illa, quæ per Doctores in Cap. *In Civitate* Extra *De usuris* sunt allegata, quæ nimis longum foret hic ponere. Ideo salvo meliori judicio mihi videtur, quod talis contractus licitus sit: quum in hoc casu non habeatur mutuum, sed potius venditio redituum Communitatis, quæ fieri potest, ut tetigi in tertio Articulo primæ Considerationis, & tenet iste Sanctus, & etiam notant Doctores in dicto

Cap. *In Civitate*: ubi addit Antonius de Butrio -- & prædicta faciunt ad id, quod Venetiis sæpissime revocatur in dubium. Ibi enim omnes singulatim describuntur, qui pecunias hactenus contulerunt in communi, deinde Commune respondet eis quolibet anno pro centenario quinque quantum minus, sed capitale nunquam restituit, & vocantur impræstita Venetiarum --. Hæc ille.

(38) De hisce contractibus, qui Venetiis impræstita, Florentiæ Montes, & Januæ Loca dicebantur, olim diu, multumque disputatum est, aliis hinc contendentibus eos esse usurarios, aliis illinc pro virili parte tuentibus eosdem esse ab omni fœnore liberos. Variantium opinationum causa fuit: quia alii cum S. Bernardino Serm. 41. art. 2. per totum arbitrabantur verum esse mutuum purum putumque: existimabant alii veram esse venditionem, verumque censum, ut opportune monet Tabiena ver. *Usura* 14. scribens -- *Nam antiqui disputabant sub nomine mutui, moderni vero sub nomine emptionis: & forte causa hujus fuit, quia erat diversa opinio, scilicet utrum possint emi annui reditus, seu reditus pecuniarii non ab antiquo constituti: quibusdam dicentibus quod non, ut Innocentius in Cap. IN CIVITATE, DE USURIS, quibusdam vero quod sic, ut Panormitanus in eodem Cap.*. Verum enim vero quum nostra hac ætate explorata res sit, hujusmodi contractus mutuum non esse, sed venditiones, & census, non erit abs re censum hic exponere, atque nonnulla ad ipsum pertinentia brevi calamo explanare.

Census nomine hic non intelligitur tributum, quod singula capita subditorum Principi pendunt, quemadmodum sumitur census Matth. 22. v. 17. -- *Licet censum dare Cæsari, an non?* --: neque accipitur census pro eo, quod alteri solvitur in signum subjectionis, & imperii, sicuti acceptum esse novimus 1. q. 3. Cap. *Quæsitum:* neque pro alia quacumque significatione præter eam, quæ vulgaris nunc est, & communis inter Theologos, quod nempe census sit -- *Jus percipiendi pensionem annuam ex re alterius utili, & fructifera, super qua fundatur* --. Omnem censum hoc modo usurpatum larvatam esse usuram putarunt Henricus, Salicetus, & Hortomannus. Sed ipsum, dummodo realis sit, absque ulla usuræ labe constitui, vendi, & emi posse declararunt Martinus V. in sua Constitutione *Regimini*, quam legimus in Extravag. comm. *De emptione, & venditione* cap. 1., Calixtus III. in sua Constitutione item *Regimini*, quæ habetur ibidem cap. 2., & Pius V. in sua Constitutione *Cum onus* edita 14. Kal. Februarii 1568., quam perhibet liber septimus Decretalium *De forma contrahendi censum* cap. 1.. Census alius est reservativus, consignativus alter. Primus habetur, quum quis alteri tradit

dit rem suam, prædium puta, domum, &c., conferens eidem dominium tam directum, quam utile, reservata sibi pensione determinata aut pecuniæ, aut fructuum quotannis ipsi solvenda: & de hoc, quem omnes licitum agnoscunt, & fatentur, in præsenti non est sermo. Secundus, nempe consignativus, fit, cum quis, retento dominio proprii prædii tam directo, quam utili, alteri vendit jus percipiendi pensionem annuam super eodem. Si hic census constituatur super re, vocatur realis: si super persona, dicitur personalis: si super re, insimul & persona, mixtus appellari solet. Qui vendit censum, ille scilicet, qui debet alteri pensionem solvere, dicitur Censuarius: qui autem censum emit, is nempe, cui solvenda pensio est, Censualista vocatur. Census item, si tempore determinato præfinitur, decem puta, aut viginti annis, temporarius dicitur, seu temporalis: si per totam alicujus hominis vitam, vocatur vitalitius: si demum instituitur, ut semper duret, perpetuus appellatur. Census insuper alius est redimibilis, qui potest redimi sive arbitrio solius venditoris, idest Censuarii, sive arbitrio solius emptoris, idest Censualistæ, sive arbitrio utriusque: irredimibilis alter, qui nullo tempore potest redimi. Census demum dicitur pecuniarius, si annua pensio in pecunia sit posita: fructuarius vero, si in fructibus constituta sit.

Sermo in præsentia non est de censu personali, quo persona obligationem sibi, vel suis etiam hæredibus imponit certam pensionem solvendi emptori ex industria, arte, & labore suo. Sive jure naturali hic census sit licitus, sicuti magni nominis Doctoribus arridet; sive etiam spectato jure naturæ illicitus sit, & usurarius, sicuti alii contendunt magni subsellii viri: certum est Summum Pontificem Pium V. sua in Constitutione eundem improbasse, dum ad census honestatem, inter cæteras conditiones, hanc quoque requisivit, ut census constituatur in re fructifera, immobili, certa, ac nominatim designata inquiens -- *Hac igitur nostra constitutione statuimus censum, seu annuum reditum creari, constituive nullo modo posse nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit* --. Vide Benedictum XIV. de Synodo Diœcef. lib. 10. cap. 5. num. 4. & seq.

Sermo unice erit de censu reali, & quidem non de fructuario, de quo nemo unus ferme dubitavit, sed de pecuniario, quo venditor, seu Censuarius quotannis tenetur solvere pensionem constitutam in pecunia numerata. Hunc jure etiam naturali esse licitum ex eo evincitur, quod, sicuti potest quis emere rei alicujus usumfructum, remanente dominio directo penes venditorem, ita emere potest jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, & loco horum potest venditor se obligare ad solvendam emptori singulis annis certam pecuniæ summam illorum fructuum æstimationi respondentem. Nihil enim refert, quod pensiones successive solvendæ quandoque omnes simul sumptæ superent pretium,

quod ab emptore, seu Censualista fuit solutum: sicuti nihil refert, nec impedit justitiam venditionis alicujus prædii, quod hujus fructus spatio centum annorum omnes simul sumpti superent pretium acceptum. Ratio est manifesta, quia fructus successive colligendi minoris valent, quam omnes simul sumpti. Necessum tamen est, ut idem realis census sequentes habeat conditiones. Prima, ut fundetur super re fructifera; pugnat enim vendere jus percipiendi fructus ex re, & eandem rem non esse fructiferam. Secunda, ut justo pretio census vendatur, & ematur; hoc enim justitia postulat in quocumque contractu emptionis, & venditionis. Justum autem pretium erit, quod vel a Principe præfixum est, vel communi Regionum consuetudine firmatum. Tertia, quod pereunte re in totum vel ex parte, re, inquam, super qua census est constitutus, pereat & census ex æquo, & per consequens pensio vel in totum, vel ex parte non amplius solvenda sit. Quarta, ut res censui subjecta non distrahatur sine consensu emptoris, seu Censualistæ, cui competit jus percipiendi partem fructuum ex ea. Hæc spectato solo jure naturæ: quoniam jus Ecclesiasticum consulentes, plures alias reperimus conditiones a Summis Pontificibus adsignatas. Placet exscribere, quod super hoc exhibet Concina De justitia & jure lib. 3. dissert. 4. cap. 11.

Duas Constitutiones edidere Martinus V., & Calixtus III., quæ inter Extravagantes recensentur, in quibus pro censibus rite celebrandis octo præscribuntur conditiones. Prima: qui censum vendit, fundum, nempe domum, aut possessiones, assignare debet, super quibus census constituatur. Secunda solus fundus subjectus censui manere debet pensioni obligatus, non persona, nec cætera ejus bona: ubi excluditur census personalis. Tertia: pretium justum sit. Quarta: emptio non fiat pecunia credita, sed numerata. Quinta: venditor census valeat ad libitum redimere aut in totum, aut in partem, prout ei placuerit. Sexta: emptor non cogat venditorem ad censum redimendum. Septima: si fundus subjectus censui perit absque culpa Censuarii, pereat census. Octava: fundus tantum ut minus fructificet, quanti æstimatur pensio solvenda. Juniores contendunt has duas Extravagantes probare quidem census his conditionibus præditos; secus præcipere, ut eædem observentur.

Nicolaus V. alteram edidit Bullam, quæ quatuor præscribit conditiones in censibus constituendis servandas. Prima: quod census super re immobili certa constituatur; ad cujus securitatem obligari generaliter alia bona possunt ad tollendas fraudes, ne videlicet, si fundus subjectus censui esset alio onere gravatus, deceptus remaneret emptor. Secunda: pactum adjiciatur de retrovendendo eodem pretio. Tertia: pensio non excedat decem in centum. Quarta: pro securitate, pœnæ, & pacta justa adjici valent.

Constitutio S. Pii V. pro censuum justitia est omnium celeberrima, quam

quam integram supra dedi. Ad duodecim revocantur conditiones in eadem præscriptæ, quarum plures in aliis tribus Extravagantibus Bullis, quas indicavi, continentur. Prima: census constituendus est super fundo immobili, & natura sua frugifero; qua conditione improbantur census personales, ut fatentur omnes. Secunda: pretium census solvatur numerata pecunia coram testibus, & Notario. Hac conditione excluduntur census, quorum pretium solvitur debitis Censuarii. Eludunt hanc conditionem Censuistæ emptores hoc pacto. Pecuniam Censuario dant pacto adjecto, ut eo ipso tempore restituatur in solutionem debiti. Tertia: prohibet anticipatam pensionum solutionem, aut id in pactum deduci. Quarta: vetat pacta, quæ obligent ad casus fortuitos eos, qui ex natura contractus non tenentur. Quinta: potestatem reservatam vult Censuario vendendi, & alienandi fundum subjectum censui. Sexta: rescindit, & irrita declarat omnia pacta, quæ obstringunt debitorem morosum ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria. Septima: census non augeatur ex pensionibus non solutis. Octava: nulla onera solvantur, quæ vi contractus non debentur. Nona: si fundus perit vel in totum, vel in partem, census aut extinguatur, aut minuatur pro rata fundi deperditi. Decima: facultatem Censuarius habeat redimendi censum suum eodem quo vendidit pretio, quoties voluerit, non obstantibus pactis contrariis initis. Undecima: teneatur Censuarius, quando redimere censum velit, bimestri ante denuntiare id Censuistæ. Duodecima: pretium census semel constitutum non augeatur, vel minuatur. Hactenus Concina.

Petes nunc: an omnes hujusmodi conditiones servandæ sint, ut contractus nedum non sit usurarius, sed omnino sit licitus?

℟. Patri Concinæ loco proxime citato cap. 12. num. 7., & seq. non arridet, regiones distinguere, in quibus viget Constitutio Pii V., ab illis, in quibus non est moribus recepta. Benedictus tamen XIV. ex adverso cum communi Theologorum hac distinctione utitur, quum lib. 10. de Synodo Diœcef. cap. 5. num. 5., loquens de censu personali, nedum scripserit -- *Quapropter etiam Auctores, qui censum personalem, ejus natura inspecta, ab usuræ suspicione vindicant, ingenue tamen fatentur eum licite fieri non posse, ubi præfata Pii V. Constitutio est recepta; quod tamen in Gallia, Belgio, & Germania non contigisse affirmant Lessius cit. cap. 22. num. 20., Haunoldus de justit. tract. 10. num. 316., Pirhing ad tit. de usur. num. 85., Wiestner ibidem num. 81.* --; sed insuper ad rem nostram quod pertinet, adjecerit -- *Verum, quanquam nos sciamus eundem Summum Pontificem, supplicante Catholico Rege Philippo II. indulsisse Hispanis, ne ad suæ Constitutionis, quoad eas conditiones, quæ juris naturalis aut divini non sunt, exactam observationem adstringerentur, sicuti narrant Gutierrez cit. q. 177. in fin., & Felicianus De Solis lib. 1.*

lib. 1. De censibus cap. 7. num. 2. : *nec dubitemus ab eadem obligatione potuisse, contrario usu, seu legitima præscripta consuetudine, cæteras eximi nationes; vehementer tamen suspicamur in censu mere personali, præsertim utrinque redimibili, eas desiderari conditiones, quas non solum Pontificia Constitutio, verum etiam ipsum jus naturale, & divinum exposcunt, ne sit larvatus contractus mutui, & propterea coram Deo usurarius* —. Immo, eandem distinctionem ponens tanquam necessariam, & indubitatam super hac re, prosequitur sapientissimus Pontifex, & modum præstituit, quem servare debent Episcopi pro regionum varietate, scribens — *Sed, quoniam nulla hactenus hac de re ab Apostolica Sede prolata est sententia, non decet ut Episcopus in sua Synodo censum personalem declaret ex natura sua usurarium; sed, si præsit Diœcesi, ubi prædicta viget S. Pii V. Constitutio, urgebit ejusdem observationem, curabitque pro viribus, ne personales census in eam clanculum inducantur. Si vero Diœcesim gubernet, in qua Piana Constitutio non est moribus recepta, serio Fideles monebit, atque hortabitur, ut a censibus personalibus abstineant, eo quod, etiam sola spectata eorundem indole, usuræ periculo, & suspicione non vacent* — : Tanti igitur Pontificis vestigia sequens, sic quæsito respondeo. Ubique locorum, videlicet tum ubi viget, tum ubi non viget Piana Constitutio, servari debent conditiones, quæ sunt juris naturalis, aut Divini; hæ enim Fideles obligabant universos etiam priusquam Pontificia Constitutio promulgaretur. Quoad conditiones autem, quæ juris humani sunt, ad earum observationem tenentur regiones illæ, in quibus Piana Constitutio est moribus, usuque recepta, non autem cæteræ.

Ex hucusque dictis infer primo, quod census irredimibilis jure naturali licet, non Ecclesiastico. Naturali, inquam: quia sicuti licet venditio rei cum irredimibilitate eidem adnexa, ita licet irredimibilis venditio juris percipiendi fructus ex re, quæ nihil aliud est nisi quædam partialis venditio rei. Non licet autem jure Ecclesiastico: quia, ut audisti, id a Summis Pontificibus fuit expresse vetitum; & idcirco hujusmodi census fieri nequeunt in illis regionibus, ubi Constitutio Piana est moribus recepta.

Infer secundo, quod census redimibilis ad beneplacitum Censuarii, seu venditoris, licitus est tum jure naturali tum Ecclesiastico. Jus naturale non prohibet, quod res vendatur ea lege, ut emptor teneatur eam retrovendere venditori, quando huic placebit: & jus Ecclesiasticum, ut audivimus, id expresse constituit.

Infer tertio, quod non licet ullo jure census redimibilis ad nutum emptoris, seu Censualistæ, etsi nonnulli secus opinentur. Pugnat hic census cum decima conditione Pii V., de qua supra: & jure naturæ inspecto mutuum est sub pallio census; vera enim emptio esse non potest, dum eam possum revocare pro libito, & insimul aliquid recipere ultra

ultra fortem. Idem dicas de censu utrinque redimibili propter hanc eandem rationem.

Infer quarto, quod utroque jure licet census vitalitius. Jure quidem naturali; est enim contractus aleæ, & meræ fortis, in qua æquale periculum est pro utraque parte. Jure etiam Ecclesiastico, quia in Constitutionibus Pontificiis ne verbum habetur ipsum interdicens.

Infer quinto, quod licite potest quis pacisci, ne census redimatur per partes ad libitum redimentis, sed totum insimul debeat redimi. Pactum hoc certe non convenit cum quinta conditione a Martino V., & Calixto III. præstituta, de qua supra. Verum quum Pius V. in sua Constitutione illius conditionis mentionem non fecerit, inferunt Theologi, quod consulto eam non apposuit, & non apponendo abrogavit.

Venio tandem ad casum singularem ab Authore adductum. Hic contractus, de quo Author, census reipsa est consignativus, & pecuniarius, in quo civis habet rationem emptoris, & Censuistæ, seu Censualistæ, Communitas vero rationem habet venditoris, & Censuarii. Dicit Author, quod Communitas accipiebat pecuniam, ut nunquam ipsam restitueret. Si sensus sit, quod venditor, sive Communitas ex conditione in contractu apposita non posset amplius pecuniam restituere, & censum redimere; tempore Authoris erat hoc licitum jure naturæ, non autem Ecclesiastico: quia census perpetuus & irredimibilis jam tum erat vetitus a Martino V. & Calixto III., quorum primus inauguratus fuit Pontifex anno 1417., secundus vero anno 1455., & iccirco antequam Author huic lucubrationi manum admoveret. In præsenti autem ubique hic census licet jure naturæ, & jure Ecclesiastico in iis duntaxat locis, in quibus Constitutio Piana non est usu recepta. Si vero Author iis verbis unice intellexerit, uti intellexisse ex lectione textus fit manifestum, quod Cives, sive Censualistæ cogere non possent Communitatem ad reddendam pecuniam, sicuti mutuatores cogere non possunt accipientes simpliciter mutuum, Communitas nihilominus, etsi forte nunquam eam restitueret, ad sic agendum tamen nulla lege teneretur, quin potius pecuniam acceptam adhuc posset pro libito reddere, & censum redimere: erat hoc tunc temporis ubique licitum, & ubique locorum licitum est etiam in præsentia: quum nihil aliud hoc exprimat, nisi censum pecuniarium redimibilem ad nutum venditoris.

Nihil postea facessit negotii quod Cives libere, vel coacte pecuniam Communitati tradant, & census emant. Quum census pecuniarius redimibilis pro libito venditoris nullo jure prohibeatur, ut dixi, Communitas non compellit Cives ad aliquod vetitum, eosdem sic cogendo: & interdum in iis ipsa est angustiis posita, bello sæviente, vel fame, vel alia consimili caussa, ut, non inventis spontaneis emptoribus censuum, ob bonum commune possit, immo teneatur Cives pecuniosos

com-

compellere ad erogandam pecuniam, & ad emptionem censuum.

Maxime tamen interest, quod Communitas habeat reditus veros, & reales, super quibus possint constitui census. Et hoc est, quod Author ipse in Angelica ver. *Usura primo* num. 77. opportune animadvertit; hac enim conditione deficiente, pecunia a civibus erogata esset simplex mutuum, & non emptio redituum: quoniam emi non potest jus ad percipiendos fructus rei non existentis.

TRIGESIMUM SECUNDUM DUBIUM. Utrum ementes ab iis, qui taliter habent in Communitate mille, vel tria millia, ut dictum est in dubio praecedenti, jus ipsorum ad emolumentum omne, quod percipiunt ex dicta pecunia taliter Communitati data: sint usurarii?

Respondeo, quod sic secundum istum Sanctum. Sed contrarium credo verius, scilicet quod non, secundum Dominum Antonium de Butrio ubi supra, qui hanc quaestionem format. Ratio est: quia emptor recipit reditum in pecunia jam constitutum. Item, idem reditus crescit & decrescit, & eundem posset Communitas in totum abolere, si vellet, & nihil respondere. Item, non est quasi major reditus quam si esset unius possessionis immobilis: & sic Contractus videtur licitus per praedicta jura, & rationes. Haec ille. His concordat Petrus de Ancharano in Cap. *Usurarum* Extra *De usuris* lib. 6.. Haec tamen intelligo vera, quae in isto dubio, seu quaestione, & praecedenti dixi: nisi Civitas constituat praedictos reditus novos, si forte antiqui in similibus, vel aliis essent consumpti: quia tunc non liceret, nam hujusmodi non possunt emi, ut dictum est in dubio, seu quaestione prima & secunda tertii Articuli primae Considerationis. Similiter illicita essent haec, si damnificaretur Respublica ex ipsis locis, quae pupillo aequiparatur L. *Rempublicam* C. *De jure Reipublicae;* Unde ejus administratores non possunt eam damnificare, nec factum eorum in damnum Reipublicae valet L. *Ambitiosa* ff. *De decretis ab Ordine faciendis*, & L. *Praeses* C. *De transactionibus*.

(39)

(39) Hic casus affinis est illi, quem Author proposuit dubio primo tertii Articuli primæ Considerationis, videlicet -- *Utrum liceat emere reditus pecuniarios* --. Memento rationis invictæ, quam illic adduxit, nempe in hujusmodi emptionibus non vendi pecuniam, quæ est invendibilis, sed vendi jus ad eandem: & hæc sola etiam sufficiet, eritque invicta pro præsenti casu.

Ad novos reditus pecuniarios quod attinet, animadverti super eodem dubio Authorem in Angelica ver. *Usura primo* num. 44. immutasse sententiam. Recole igitur quæ dixi tum ibidem, tum annotatione super dubio sequenti: quoniam, ni velimus cum nonnullis veteribus habere census tanquam mutuum, non vero tanquam veras venditiones & emptiones, sicuti reipsa sunt, dicamus oportet reditus novos tum fructuarios, tum pecuniarios licite posse constitui, licite vendi, & emi licite; jugiter enim de novo constituuntur, emuntur, & venduntur in universis catholici orbis Regionibus a Laicis, a Clericis, & ab Ecclesiis ipsis.

Respublica certe pupilla est L. *Rempublicam* C. *De jure Reipublicæ -- Rempublicam ut pupillam extra ordinem juvari moris est* --. Respublica gaudet jure minorum, & beneficio restitutionis in integrum, textu expresso L. *Respublica* C. *Quibus ex causis majores -- Respublica minorum jure uti solet: ideoque auxilium restitutionis implorare potest* --. Non ergo subsistunt decreta Decurionum in ejusdem detrimentum L. *Ordinis* C. *De decretis Decurionum -- Ordinis ambitiosa decreta sacris Constitutionibus improbantur* --: & L. *Ambitiosa* ff. *De decretis ab Ordine faciendis -- Ambitiosa decreta Decurionum rescindi debent, sive aliquem debitorem dimiserunt, sive largiti sunt* --: & L. *Præses* C. *De transactionibus -- Præses Provinciæ examinabit, utrum de dubia lite transactio inter te, & Civitatis tuæ administratores facta sit: an ambitiose id, quod indubitate deberi posset, remissum sit: nam priore casu ratam manere transactionem jubebit: posteriore vero casu nocere Civitati gratiam non sinet* --. Ratio est in promptu: quia Decuriones Reipublicæ non sunt Domini redituum, & jurium communium, sed simplices ministri; & iccirco sicuti contractus factus a Tutoribus, vel Curatoribus in damnum pupillorum, & minorum illicitus est, & debet rescindi, pari modo illicitus est, & rescindendus contractus factus ab Administratoribus Reipublicæ in damnum ejusdem.

Inquiri hic potest: an, posito quod hujusmodi census constituti fuerint cum notabili Reipublicæ detrimento, emptores ipsorum teneantur restituere totum id, quod a Republica receperunt?

℞. Nullum dubium, quod administratores in hoc casu tenentur compensare Rempublicam, sicuti tenentur Tutores & Curatores ad omne damnum pupillis & minoribus culpa ipsorum illatum. Ementes autem quod respicit, vel sciebant hi novorum censuum constitutionem detri-

men-

mento esse Reipublicæ, vel id penitus ignorabant. Si primum, Author in Angelica ver. *Usura primo* num. 79. aperte docet, teneri eos ad integram restitutionem. Et quidem jure optimo: quia scientes & volentes dedissent operam rei illicitæ in damnum tertii. Si secundum, putarem eos non teneri ex justitia: quia bona fide perceperunt lucrum cum justo titulo emptionis censuum. Præsertim quum id non esset in damnum Reipublicæ, quæ reddi deberet indemnis ab ipsis administratoribus, qui in hisce casibus tenentur ad omne damnum Reipublicæ compensandum. Præsertim quum ad privatos singulares homines non spectet inquirere, & perscrutari: an quod fit a publicis Reipublicæ administratoribus in publicam cedat utilitatem, nec ne.

Monitum te hìc volo, nomine Reipublicæ, de qua leges nuper recitatæ, gaudentis jure minorum, & beneficio restitutionis in integrum, non venire duntaxat suprema Dominia, & administratores ipsorum: sed pariter comprehendi Communitates inferiores, Urbes puta, Castra, Villas, & Pagos, sicuti expresse Bartolus in dicta L. *Respublica*, & cum eo Jurisconsulti omnes, & Canonistæ. Et in his, sicuti & in illis non desunt pupilli, minores, viduæ, &c., quorum jura a publicis administratoribus tractantur. Æquum est ergo, ut hæ, sicut & illæ gaudeant jure minorum, & in casu iniquæ, ambitiosæ, ut verbo legis utar, administrationis, reddantur indemnes.



CIRCA





IRCA tertiam, & ultimam præsentis Tractatus Considerationem, quæ est de Societate, duplex Articulus est declarandus, cum Societas dupliciter fiat, in pecunia scilicet, & in animalibus. Primus ergo Articulus erit de Societate pecuniæ, secundus vero de Societate animalium.

PRIMUS, inquam, ARTICULUS est de societate pecuniæ, quæ fieri potest tripliciter. Primo, quando sunt duo (nec minus quam inter duos fieri potest, cum sit quædam fraternitas L. *Verum* ff. *Pro socio*) quorum unus ponit pecuniam tantum, & alter operam corporalem tantum. Secundo fit, quando unus ponit pecuniam & operam, & alter pecuniam tantum, vel operam tantum. Tertio fit, quando ambo ponunt pecuniam, & operam. Ad majorem hujusmodi societatis declarationem tredecim quæruntur Dubia.

(1) *Est autem societas, ut ait Marcus Tullius, duorum, pluriumve conventio honeste contracta ad uberiorem quæstum, & commodiorem usum* -- Ita Glossa in Rubrica super Institut. *De societate. Societas coiri potest vel in perpetuum, idest dum vivunt, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione* -- Ita L. 1. ff. *Pro socio. Societatem coire &*

re,

re, *& verbis*, *& per nuncium posse nos*, *dubium non est* -- Ita L. 3. eodem Titulo. *Dissociamur renunciatione*, *morte*, *capitis minutione*, *& egestate* -- Ita eadem lege. In re turpi contrahi non posse societatem textum habemus expressum L. 57. eodem tit., quæ est hujusmodi -- *Nec prætermittendum esse Pomponius ait*, *ita demum hoc esse verum*, *si honestæ & licitæ rei societas coita sit: cæterum si maleficii societas coita sit*, *constat nullam esse societatem*. *Generaliter enim traditur rerum inhonestarum nullam esse societatem* --. Societatem contrahere possunt omnes illi, qui possunt se civiliter obligare, non autem cæteri: quum societas verus sit, propriusque contractus, exigens iccirco nedum consensum contrahentium L. 1. §. *Conventionis* ff. *De pactis*, & L. 3. ff. *De obligationibus & actionibus*, sed insuper personas idoneas, quibus a jure contractus civilis non sit vetitus. In contractu societatis conferens pecuniam non transfert ipsius dominium in accipientem sicuti contingit in mutuo, sed ipse adhuc remanet ejusdem dominus, & de ea lucratur tanquam de re sua, ut egregie D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. inquiens -- *Sed ille*, *qui committit pecuniam suam vel mercatori*, *vel artifici per modum societatis cujusdam*, *non transfert dominium pecuniæ suæ in illum*, *sed remanet ejus: ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur*, *vel artifex operatur: & ideo sic licite potest partem lucri inde provenientis expetere tanquam de re sua* --. Pecunia utique de se sterilis est, & iners, nullumque generat fructum. Sed quum subsit hominum industriæ, eaque utantur homines tanquam instrumento negotiationis, fructus inde proveniens non erit ex pecunia nude sumpta, bene vero ex hominum industria medio pecuniæ.

Cum societas jus quodammodo fraternitatis in se habeat L. *Verum* ff. *Pro socio:* æquum est ut consocii de lucro participent, & de damno, nam ex Regula 45. juris in Sexto -- *Qui sentit onus*, *sentire debet commodum & e contra* --: æquum pariter est ut consocii in omnibus diligentes se præbeant -- *Et ideo*, *si socius quædam negligenter in societate egisset*, *in plerisque autem societatem auxisset*, *non compensatur compendium cum negligentia*, *ut Marcellus libro sexto Digestorum scripsit* -- L. *Et ideo* ff. *Pro socio*.

PRIMUM DUBIUM. An societas prædicta sive ad mercantiam, sive ad artem, sit licita?

Respondeo, quod sic secundum Dominum Angelum de Perusio in quodam suo tractatu de societate, & hoc tam de jure Civili, quam Canonico, & Divino, quia opera alicujus sæpe valet pro pecunia L. 1. C. *Pro socio*, & Institut. *De societate* §. 2.: & sic tenent Glossa in Cap. *Pleri-*

Plerique 14. q. 3., & Hostiensis. Quod intelligendum est, quando ars est licita, & non prohibita Cap. *Per vestras* Extra *De donationibus inter virum & uxorem*: Et quando æquitas servatur in omnibus, quia secundum Goffredum damna & lucra communia esse debent, in dicta Glossa Cap. *Plerique*, & dicta L. 1.. Et hoc secundum industriam, periculum, & hujusmodi: ita ut qui plus posuit pecuniæ, operæ, vel industriæ, plus habeat de lucro L. *Si non fuerint* in principio, & L. *Quid enim* in fine ff. *Pro socio*: quod arbitrio boni viri relinquendum est, quia in hac actione pro socio, qui bonæ fidei est, sequendum est arbitrium boni viri L. *In proposita* ff. *Pro socio*.

(2) Contractum societatis esse licitum jure civili probatur ex universo Titulo *Pro socio* tum in Codice, tum in Digestis, & ex Titulo *De societate* in Institutionibus. Licitum pariter esse jure Canonico ostenditur ex Cap. *Per vestras* Extra *De donationibus inter virum, & uxorem*, ubi Clemens III. mandat dotem cujusdam uxoris -- *vel saltem alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonii sustentare* --: quod intellige tradendo eam in societatem, non autem ad mutuum, ut apposite Glossa super eo loco -- *Non enim tenetur fœnerari dotem, & de usuris alere uxorem. Argum. C. DE ADMINISTRATIONE TUTORUM Authentica NOVISSIME: sed convertat eam in societatem honestam, vel aliquod commercium, & ex lucro honesto eam alat* --. Ostendi quoque potest ex Constitutione *Detestabilis* Sixti V. edita anno 1586. 12. Kal. Novembris: quoniam Summus Pontifex non solum sub ipsius initio scribit -- *Speciosum, & honestum societatis nomen* --, sed in ejusdem §. 2. unice præcipit, ut omnia pure, sincere, & bona fide fiant a consociis -- *Sed potius cuncti noverint societates hujusmodi, cum in posterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel industriam confert, pure, sincere, & bona fide, sicut decet, justis & æquis conditionibus, & pactis, secundum juris dispositionem, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut suspicione ineundas, seu contrahendas esse*.

En Legem primam C. *Pro socio* -- *Societatem, uno pecuniam conferente, alio operam, posse contrahi magis obtinuit* --. En verba §. 2. *De societate* -- *Nam & ita coiri posse societatem non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit: quia sæpe opera alicujus pro pecunia valet*.

Prudenter Author verbis utens Legis *Quid enim* ait -- *Qui plus posuit pecuniæ, operæ, vel industriæ* --; æqualitas enim, quæ in societate servanda est, arctari non potest ad tantum, & non amplius, ut ubique, & semper ita fiat, & non aliter. Variat hæc juxta varietatem negotiorum, personarum, & locorum; & iccirco debet esse non æqualitas physica, sed accommodata circumstantiis, atque arbitrio boni viri determinanda -- *Plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat, quam pecunia* -- L. *Si non fuerint* ff. *Pro socio* -- *Quia sæpe quorumdam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti* --. Institut. *De societate* §. 2.

Si autem unus non plus conferret quam alius, & nihilominus vellet plus de lucro habere, immo hoc conduceret in pactum: tale pactum valeret saltem de jure civili secundum aliquos. Azo tamen, quem sequitur Accursius, aliter dixit, & Glossa etiam dicta L. *Si non fuerint* in principio, & L. *Quid enim* eodem Tit..

(3) Contrahentes de jure civili ita posse pacisci, ex eo forte deduci posse quis arbitrabitur, quod Institut. *De societate* §. 2. legimus -- *De illa sane conventione quæsitum est, si Titius, & Sejus inter se pacti sint, ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia, ad Sejum duæ partes damni, lucri tertia: an rata debeat haberi conventio? Quintus Mutius contra naturam societatis talem pactionem esse existimavit, & ob id non esse ratam habendam. Servius Sulpitius, cujus sententia prævaluit, contra sensit* --. Verum enim vero, quum statim subdatur -- *Quia sæpe quorumdam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti* --, quisque videt Sulpitium ita sensisse, ejusque sententiam prævaluisse in eo duntaxat casu, in quo unus plus in societatem conferret quam alius; non autem in casu exposito, in quo supponitur socios ex æquo contulisse, & non aliter. Concinit Lex *Si non fuerint*, id sub hac unica conditione permittens -- *Si vero placuerit, ut quis duas partes, vel tres habeat, alius unam, an valeat? placet valere: si modo aliquid plus contulit societati vel pecuniæ, vel operæ, vel cujuscumque alterius rei caussa* --. Concinit & Lex *Quid enim*, eandem conditionem exprimens -- *Illud potest conveniens esse viri boni arbitrio, ut non utique ex æquis partibus socii simus: veluti si alter plus operæ, industriæ, gratiæ, pecuniæ in societatem collaturus erat* --. Arbitror iccirco pactum, de quo in casu, nec jure civili posse fieri; & ideo hanc Azonis opinionem veriorem esse dicit Glossa ab Authore memorata. Recte igitur idem Author in Angelica ver. *Societas primo* num. 5. -- *Sed tu tene cum Azone & Accursio in dicta L. SI NON FUERINT, & dicto*

cto Antonio in cap. final. DE USURIS, & Angelo ubi supra, & secundum Theologos, & veritatem, quod nullo modo licet: quia, ut dixi, societas est quædam fraternitas, & tale pactum est contra ejus naturam; ideo non valet L. CUM PRECARIO ff. DE PRECARIO, & cap. fin. DE PRECARIIS. Et ideo in conscientia tenetur restituere, vel satisfacere omne, quod indebite habuit, vel in quo proximum gravavit hoc pacto.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum tradens centum ad societatem cum pacto quod vult ipsum capitale salvum, nec aliquod damnum, vult pati in ipso; de lucro autem tantum vult, quantum placuerit accipienti sibi dare: sit usurarius?

Respondeo, quod sic, quantum ad illud, quod capit ultra centum Cap. *Consuluit*, & Cap. *Naviganti* Extra *De usuris*. Propterea secundum Baldum in L. 1. q. 9. ff. *Pro socio* talis quidquid recipit de lucro extenuat sortem. Non enim est hic societas: nec ex forma contractus, quia est contractus mutui: nec ex natura, quia est contra naturam societatis, quod unus habeat caput fractum, & alius salvum ff. *Pro socio* L. *Si non fuerint*. Et id, quod legitur in Cap. *Per vestras* Extra *De donationibus inter virum & uxorem*, debet intelligi, quando pecunia datur ad partem lucri & damni. His concordat Glossa in Cap. *Plerique* 14. q. 3.. Quidam tamen dicunt esse licitum, & hoc de jure civili ex vi pacti; quia contractus ex conventione legem recipiunt Cap. *Contractus* de Regulis juris lib. 6. Azo tamen, & Accursius tenent contrarium, & melius, in L. *Si non fuerint* ff. *Pro socio*. Ratio, quia quum societas sit quædam fraternitas, ut dictum est, ideo tale pactum est contra naturam societatis; quapropter non valet Extra *De precariis* Cap. ultimo, & L. *Cum precario* ff. *De precario*. His concordant Antonius de Butrio in Cap. final. Extra *De usuris*, & Angelus de Perusio ubi supra. Tene ergo, quod usurarius est: quia in dubiis tutior pars est eligenda Cap. *Juvenis* Extra *De sponsalibus*.

(4) Dubio procul hoc pactum est contra naturam societatis; & iccirco apposite Glossa loco ab Authore memorato -- *Videtur, quod si quis pecuniam dedit negotiatori, ut inde emat merces, & det sibi partem lucri, quod illud sit licitum: quod non concedo, si periculum spectet ad recipientem, ut sit inter eos contractus mutui* --. Quæ, amabo te, quæ societas, quæ fraternitas, dum unus nullum unquam damnum pati potest, quia vult capitale salvum, immo ut in pluribus lucratur, quia vult esse particeps lucri ex negotiatione provenientis: alter vero lucrum quidem potest ut plurimum sperare, sed etiam potest operas perdere, &, quod pluris facio, se exponit periculo damna rependendi ære proprio, si capitale, quemadmodum non semel contingit, in totum pereat, vel amittatur ex parte! Pallia sunt hæc, pallia usurarum, non autem veræ societates, & fraternitates. Opportune quapropter Natalis Alexander lib. 3. art. 5. Regula 23. -- Et certe, quod legitima, justaque societas ea pactione coiri non possit, ut capitale sit salvum ei, qui pecuniam in societatem confert, liquido probat discrimen, quod mutuum inter & societatem intercedit. In mutuo enim dominium pecuniæ mutuo datæ totum in debitorem translatum est, totumque lucrum ad ipsum pertinet; cum nihil ab eo exigere, vel sperare jure possit creditor ratione mutui: quamobrem debitor totam, & integram pecuniæ mutuo acceptæ summam ipsi reddere tenetur, ipsiusque unius periculo exponitur negotiationi, ipsumque unum pecuniæ, sive rei alterius creditæ damna spectant, si fortuitis casibus pereat. Verum e contrario se res habet in contractu societatis: qui enim pecuniam confert, illius dominium non transfert in socios -- *quia nemo societatem contrahendo rei suæ dominus esse desinit* --, ut dicitur L. *Si tibi* lib. 19. Dig. tit. *De præscriptis verbis, & in factum actionibus*. Quamobrem lucri, fructuumque ex rebus in societatem collatis provenientium particeps est; adeoque si capitale pereat, ipsi perire debet uni, modo pereat absque dolo culpaque sociorum.... Usurarius igitur contractus est, si pecunia in societatem conferatur ea pactione, ut, si fortuitis casibus pereat, non pereat conferenti, sed nihilominus fors illi salva sit. Sic enim societas in mutuum degenerat, ex quo lucrum captatur --. Hæc ille.

Disputarunt quidem Antiqui, utrum de jure civili possit apponi pactum de capitali salvo; sed uno ore semper confessi sunt id non esse æquum, nec in judicio animæ permittendum, sicuti testatur Nicolaus de Auximo in suo Supplemento ad Summam Pisanellam ver. *Societas secundo*, scribens -- Sed an possit pacisci, quod capitale sit salvum? Respondeo, de jure Canonico, & in foro conscientiæ non potest secundum Dominum Angelum, & ita sentit Glossa in cap. *Plerique* 14. q. 3... De jure autem civili sunt opiniones: nam Baldus in L. 1. C. eo. q. 9 tenet, quod tale pactum non valet neque ex forma contractus, neque ex ejus natura; ideo dicit, quod sapit usurariam pravitatem. Hostiensis autem in sua

Sum-

Summa in tit. *De usuris* §. *An aliquo casu*, tenet, quod de jure civili talis societas valet magis ex vi pacti, quam ex natura contractus. Sed dictum Baldi videtur verius, ut ex præcedentibus colligi potest etiam in proximo §.. Secundum omnes autem hoc pactum non est æquum, nec in judicio animæ servandum, ut notat Dominus Antonius de Butrio in Cap. final. Extra *De usuris* --. Hactenus Nicolaus cognomine De Romanis, vir sanguine, doctrina, pietate, muneribus, & legationibus clarus, Juris utriusque laurea donatus Bononiæ antequam Ordinem nostrum ingrederetur, & jam factus Frater Minor Gregorii XI. Romani Pontificis a Secretis, uti scribit Wadingus ad annum 1376. num. 12.. Supplementum hujusmodi absolvit hic Frater Nicolaus die 28. Novembris 1444. in veteri nostro Cœnobio Mediolanensi sub titulo Sanctæ Mariæ de Angelis, vulgo Sancti Angeli, sicuti ipsemet in fine ejusdem adnotavit.

Si res bene perpendatur, hic est ille casus, quem exposuit, & improbavit Sixtus V. in sua Constitutione *Detestabilis*, cujus supra memini, ubi de tertio Articulo Considerationis proxime præteritæ, annotatione super dubio 28.; tradens enim pecuniam paciscitur de capitali salvo, & paciscitur insimul de habenda parte lucri ex negotiatione provenientis. Recole verba Constitutionis eo loci recitata, & invenies ovum non esse ovo similius, sicuti præsens casus similis est illi, quem Summus Pontifex enarravit.

Dices forsan Summum Pontificem in sua casus enarratione locutum fuisse, dum initum fuit pactum de lucro certo -- *Simulque etiam certam lucri quantitatem, & summam, veluti tot pro quolibet centenario in singulos annos aut menses per alterum socium, durante societate, solvendam præfiniunt* --; hic autem sermonem haberi de lucro indeterminato, & ad arbitrium recipientis.

℞. Ita sane. Ergone Summus Pontifex casum quoque nostrum non comprehendit? Fallitur quisquis ita arbitratur: quoniam, absoluta casus enarratione, hunc reprobans consulto meminit etiam, quando pactum initur de lucro duntaxat incerto, & ambos casus, qui essentialiter non distinguuntur, eodem atro colore depinxit -- *Atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro ut præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare: neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerit* [nota ly incertum], *socios, qui ea accipient, ad sortem, seu capitale salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione sibi obligare*. Sed de hac Sixtina Constitutione redibit sermo in fine hujus Articuli, ubi fuse exponam contractum, quem vocant trinum, seu trium contractuum, a quo trino contractu non multum hic casus discriminatur, qui potius est ei simillimus.

Unice igitur hic addam auctoritatem ultimo ab Authore indicatam ex Cap. *Juvenis*, quæ in rebus ad mores spectantibus semper præ oculis habenda est -- *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*.

TERTIUM DUBIUM. Utrum vidua, quæ prædicto modo tradit centum, & ad hoc curat fieri instrumentum; sed tamen apud se intendit retinere periculum capitalis, & solum facit hoc pactum, ne decipiatur a mercatore: sit usuraria, si aliquid ultra sortem accipiat de lucro?

Respondeo, quod non, nec tenetur restituere, sed tamen peccat mortaliter: quia seipsam diffamat: & quia exponit se periculo, si capitale perderetur, recipiendi restitutionem ipsius. Item, si sic decederet, hæredes ipsius vellent contractum in suo robore permanere, & sic daret eis occasionem peccandi. Tenetur ideo notam facere intentionem suam, ne forte morte subita præoccupetur.

(5) *In contractibus rei veritas potius, quam scriptura perspici debet* L. 1. C. *Plus valere*: & præsertim si res agatur in foro animæ, in quo intentio operantis præ omnibus discutienda est. Jure igitur docet Author hanc mulierem habendam non esse tanquam usurariam. Quod intellige in foro conscientiæ, non autem in foro fori; in hoc enim -- *Expressa nocent, non expressa non nocent* -- ff. *De diversis regulis juris* num. 195. Tenetur iccirco legitime manifestare intentionem suam, & hujus conscium reddere suum consocium, quo non peracto absolvi non potest a Confessario.

QUARTUM DUBIUM. Utrum ponens in societate centum, ita quod medietas, vel quarta pars capitalis sit ad periculum recipientis, sit usurarius?

Respondeo, quod sic, & tenetur ad restituendum quidquid lucri accepit de illa parte, quæ non subjacet periculo ipsius tradentis. Ex isto casu, & multis similibus patet, quod intentio S. Bernardini fuerit, quod ponens centum in societatem retineat in se periculum totius capitalis, & quod non liceat aliter contrahere. Sed contra ipsum est Glossa expresse in Cap. *Plerique* 14. q. 3., quæ dicit, quod potest fieri pactum, quod periculum capitalis sit commune. Dicendum est ergo, quod, si tale pactum factum est, quod nempe medietas currat ad periculum reci-

ci-

cipientis, lucrum erit licitum. Ratio, quia si in fine societatis nihil inveniretur, nisi capitale solum, tunc hoc ipsum divideretur secundum quod pactum factum est de periculo; idem enim pactum, quod factum est de damno, intelligitur de lucro, & e converso, ut Institut. *De societate* §. *Illud*, quod & omnes Canonistæ sequuntur. Si autem tale pactum non est factum: quia iste Sanctus tenet, quod capitale totum erit tradentis; ideo bene dicit talem esse usurarium quantum ad lucrum illius partis, quæ periculo non subjacet. Capitale igitur totum erit tradentis, ut iste Sanctus tenet, & infra patebit, si pactum faciens intendat in fine ipsum totum habere, etiamsi nihil tunc esset nisi capitale.

(6) Tota difficultas in hoc est posita: an sine labe usuræ possit quis nec ne pacisci, quod consocius, seu recipiens capitale aliquo modo participet de ipsius periculo. Posse reipsa absque ulla usuræ macula docuit Colletus in suis Institutionibus De contractu societatis quæsito primo, ubi, postquam tribus argumentis ostendit finita societate capitale non esse dividendum, subdidit -- *Sicubi tamen vigeret consuetudo, aut inter partes convenisset, ut capitale una cum lucro, vel sine lucro divideretur inter socios, iis etiam in divisione comprehensis, qui solam operam contulissent, illa divisio fortis licita esset* --. Idem docuit Joannes Cabassutius Professor Avenionensis apud Joannem Pontas ver. *Societas* casu 2.. Etenim, postquam in sua Juris Canonici Theor. & prax. cap. 13. num. 3. quartam adsignans conditionem requisitam ad justam societatem dixerat -- *Quarto, ut singuli subeant damna, & expensas pro rata quoque eorum, quæ ex parte sua contulerunt: atque seorsim totam incurrant jacturam eorum, quæ in fortem contulerunt: ut qui pecuniam contulit, totum pecuniæ suæ periculum subeat, si absque socii culpa levi aut lata pereat: si vero salva pecunia nihil obveniat lucri, socius alter, qui suum laborem, vel industriam contulit, subeat solus jacturam industriæ suæ, & laboris; pecunia vero tota ad eos redeat, qui eam contulerunt* -- : num. 6 ad rem nostram hæc habet -- *Sicubi tamen contraria vigeret consuetudo, aut aliter inter partes convenerit, id poterit servari* --. Idem quoque tenuit Glossa ab Authore memorata hisce verbis -- *Sed si per illa verba societatem contrahunt, & tunc periculum spectet ad utrumque, tunc bene licitum est, quod unus socius det pecuniam, & alter suppleat laborem, qui deest in pecunia* --. Quid plura! Sixtus V. in sua Constitutione *Detestabilis* jam superius indicata

dicata id docuit, id sancivit expresse §. 2. inquiens -- *Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitime conventum sit* --. Pactum igitur, quod adprobavit Author, adprobo & ego in sensu ab eodem exposito; & iccirco ponens pecuniam cum hoc pacto potest, finita societate, licite lucrum recipere.

Sed si petas abs me, quam lucri partem in hoc casu percipere debeat ponens pecuniam: an dimidiam, an infra, an supra medietatem? Respondeo id generatim adsignari non posse propter varietatem negotiorum, personarum, & industriæ. Regula generalis hæc est, ut in contractu servetur æqualitas. Arbitrio igitur boni viri res est permittenda; & hic pensata quantitate & qualitate periculi utriusque socii, quantitate & qualitate operarum & industriæ, quantitate & qualitate negotii determinabit in unoquoque casu, quæ lucri pars debeatur uni, & quæ alteri ex sociis: *quia sæpe quorundam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti* Institut. *De societate* §. 2.: quia sæpe negotium ejus est indolis, ut lucrum brevi tempore sortem ipsam excedat.

Dempto postmodum hoc pacto, quum ponens pecuniam generatim loquendo subjacere debeat integro periculo sortis, usuræ labe pollueretur recipiens lucrum proveniens ex ea parte, quam voluit esse periculo recipientis: quia lucraretur ex re non sua, sed alterius. Dempto item hoc pacto, generalis regula est, quod periculum sortis totum spectet ad ponentem pecuniam; & ideo, si finita societate solum supersit capitale, hoc totum debebitur ei, & non socio, qui nihil pecuniæ contulit in societatem; pari etenim passu incedere debent periculum & lucrum. Sed de hoc fusius infra cum Authore dubio 9.

QUINTUM DUBIUM. Utrum ponens operam in societate, navigando scilicet, equitando, & hujusmodi, teneatur eam sumptibus suis ponere?

Respondeo secundum Baldum de Perusio, & Jacobum de Arena, & Cynum in dicta L. 1. C. *Pro socio*, quod non, quando proficiscitur causa societatis, sed debet hoc habere de corpore societatis: quia lucrum intelligitur deductis expensis L. *Illud* C. *De collationibus*, & L. *Mucius* ff. *Pro socio*. Quod intelligit Baldus in dicta L. 1., exceptis expensis, quas domi fecisset: quia istæ non debent fieri de corpore socie-

societatis. Arguitur L. *Sed etsi lege* §. *Quod autem quis* ff. *De hæreditatis petitione*. Dominus vero Angelus de Perusio in prædicto Tractatu dicit, consuetudinem debere servari in hoc, etiam in foro conscientiæ, cum consuetudo sit optima interpres legum L. *Si de interpretatione* ff. *De legibus*; quum minime mutanda sint, quæ longam interpretationem receperunt L. *Minime* eodem tit.; & tacite videatur actum quod fieri consuevit L. *Quod si nolit* §. *Quia assidua* ff. *De ædilitio edicto*.

(7) Æquissimum est Authoris judicium super hac re tum jure civili, tum jure canonico. Jure quidem civili: quoniam in laudata L. *Mucius* ita sancitur -- *Neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto: neque damnum, nisi omni lucro deducto* --. Jure etiam canonico: quoniam Sixtus V. in memorata Constitutione §. 2. ita decrevit -- *Ac præterea iidem contrahentes fructus, expensas, & damna in commune conferant, &, prout æquum, & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant* --. Quod autem hoc locum duntaxat habeat in illis expensis, quæ fiunt caussa societatis, & non aliter, recte id probat Author ex citato §. *Quod autem quis*. Quæritur hìc: an si hæres erogando, & expendendo, penum hæreditarium ebibat, hujusmodi erogationes, & expensæ censeri debeant factæ ex penu hæreditario, vel ex proprio ipsius patrimonio. Et respondetur eas ex hæreditate, quas fecit quia hæres; illas autem, quas fecisset tametsi non hæres, ex patrimonio factas esse judicandum --. *Et verius est, ut ex suo patrimonio decedant ea, quæ, etsi non hæres fuisset, erogasset* --. Sicuti enim se habet hæres quoad expensas factas post consecutam hæreditatem, ita se habet socius quoad sumptus, quos fecit post societatem initam. Si igitur expensæ duntaxat factæ ab hærede ut hærede, ad hæreditatem pertinent, illæ duntaxat factæ a socio ut socio, pertinebunt ad societatem. Super hac re textum habemus expressum L. *Cum duobus* §. 15. ff. *Pro socio* -- *Si quis ex sociis propter societatem profectus sit, veluti ad merces emendas, eos duntaxat sumptus societati imputabit, qui in eam pensi sunt*.

Docemur utique L. 37. ff. *De legibus* -- *Si de interpretatione legis quæratur, in primis inspiciendum est, quo jure civitas retro in ejusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpres consuetudo* --: & L. 32. §. 1. -- *Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur* --: & L. 23. eodem tit. -- *Minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt* --. Hæc tamen omnia intelligenda sunt, quando consuetudo iniqua non est, nec juri naturali, aut divino contraria. Quapropter si invecta fuisset consuetudo notabiliter gravans unum vel alterum consocium, non posset quis tuta conscientia ad hanc se conforma-

re:

re: quia regula operationum nostrarum non est quævis consuetudo qualicumque modo exurgens, & constituta, sed sola consuetudo rationabilis, juri naturali, & legi divinæ consentanea.

SEXTUM DUBIUM. Quomodo socii, qui contulerunt partes dispares, & conduxerunt fundum, vel apothecam, ad pensionem teneantur?

Respondeo secundum Angelum de Perusio ubi supra, quod locanti tenentur pro æqualibus partibus; inter se autem tenentur pro rata societatis, & ita dividere inter se debent dictum debitum mercedis, sicut dividunt principale, nempe secundum partes dispares. Ita etiam probat, & determinat Baldus in L. 1. C. *Pro socio* q. 13., ubi etiam dicit, quod suppellectilia, & vasa dictæ societatis debent dividi secundum dictas partes dispares.

(8) Et hoc rectæ rationi est quam maxime consonum. Locans non tenetur inquirere, & multo minus intime perscrutari naturam societatis initæ inter eos, qui abs se petunt conductionem fundi, vel apothecæ: quum locatio, quantum ad se spectat, res sit societati prorsus extrinseca, & cum ea non connexa. Unice ipsi incumbit scire numerum eorum, cum quibus de locatione paciscitur, ut pretium præstitutum saltim pro æquali parte ab ipsis possit exigere. Dico saltim: quia quum fundus, vel apotheca non locetur tanquam in partes dissecta, ut una uni, altera respondeat alteri conductori, sed tota simul, & toti societati unum morale constituenti: arbitror unumquemque teneri in solidum, ut uno vel altero deficiente possit locator ab aliis, qui remanent, & sunt solvendo, integrum pretium repetere.

SEPTIMUM DUBIUM. Utrum ponenti tantum operas liceat facere pactum, quod vult tantum certum pro opera sua, & nihil vult sentire de damno?

Respondeo, quod sic secundum dictum Angelum de Perusio ubi supra: quia iste non est contractus societatis, sed locationis operarum suarum. Et hoc, nisi culpa sua damnum procederet, ut L. *Item quæritur* in principio, & L. *Si merces* §. *Qui columnam* ff. *Locati conducti*. In hoc autem venit non solum culpa lata, sed etiam levis, ut In-

Institut. *Quibus modis re contrahitur obligatio* §. 2., licet alii contrarium dixerint.

(9) Nullum dubium hunc esse contractum locationis; & iccirco opportune concludit S. Bernardinus Serm. 39. art. 2. cap. 3. post declarationem hujusce casus, quod ponens operam pretium ex pacto, & convento reciperet -- *non ut socius, sed ratione salarii sui* --. Opportune pariter Nicolaus de Auximo in suo Supplemento ver. *Societas primo* -- *Iste non est contractus societatis, sed locationis, quia negotiator ille locat operas suas pro illo pretio, & isto modo nihil sentiet etiam de lucro. Posset autem & pactum facere, quod non solum deberet habere prædicta viginti sine ullo damno, sed etiam talem, vel talem partem de lucro, & nullam de damno: quod quidem reciperet non ut socius, sed ratione operis, sive sui salarii, ut dictum est de tali locatione supra: Locatio* §. 5. *& sequentibus*.

Jam convenit inter Theologos, quod si contractus cedat in utilitatem solius recipientis, ut in commodato, tenetur quis de culpa juridica levissima, quæ est omissio illius diligentiæ, quam adhibent solertissimi, & prudentissimi in rebus ejusdem naturæ. Si utrique parti sit utilis, ut in locato &c., tenetur quis de culpa levi, quæ est omissio vigilantiæ, & diligentiæ, quam prudentiores, & diligentiores in iis rebus adhibere consuescunt. Si demum cedat in utilitatem solius dantis, ut in deposito, unice quis tenetur de culpa lata, quæ est illius omissio diligentiæ, quam homines prudentes ejusdem professionis solent adhibere. Id præsertim eruunt ex L. *Si ut certo loco* §. 2. ff. *Commodati*, ubi culpa lata vocatur dolus, levis dicitur culpa, & levissima appellatur diligentia, seu omissio diligentiæ.

Huic doctrinæ non adversatur §. *Qui columnam* ab Authore laudatus, qui ita habet -- *Qui columnam transportandam conduxit, si ea, dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta sit, ita id periculum præstat, si qua ipsius, eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset* --. Ad rem quippe Glossa super hunc locum -- *Diligentissimus, idest diligens, ut ponatur superlativus pro positivo, ut econtra sæpe contingit. Nec enim dubium est locatorem operæ non teneri de levissima culpa, ut arguitur supra COMMODATI L. SI UT CERTO §. NUNC VIDENDUM, & infra de regulis juris L Contractus. Sed secundum Doctores est speciale in columna, & aliis rebus, quæ leviter franguntur, ut exactissima diligentia præstetur* --. Dum hìc audis regulas juris, non eas intellige, quæ habentur in fine Sexti Decretalium, sed illas, quæ reperiuntur in fine Digestorum sub tit. *De diversis regulis juris*; ibi enim laudatam legem invenies num. 23.. Est speciale, ait Glossa, in columna, aliisque

ejus-

ejusdem generis, quæ facillime franguntur, ut conductores sint diligentissimi, & propter rei naturam diligentiam adhibeant quam possunt maximam. Omissio igitur illius diligentiæ, quæ in alia re culpam inferret unice levissimam, in columna, aliisve similibus culpam arguit levem, & persæpe latam.

OCTAVUM DUBIUM. Utrum ille, qui posuit capitale in societate, & perditum est ante finitam societatem, teneatur iterum aliud ponere?

Respondeo, quod non, sive periculum capitalis sit commune, sive non: quod tenet Glossa in L. *Si non fuerint* §. 1. ff. *Pro socio*, & in L. 1. C. eodem titulo. Concordat Angelus de Perusio ubi supra.

(10) En verba Glossæ primo memoratæ -- *Sed quid, si perdatur pecunia talis.... An posset unus alium compellere operari, vel ut tantundem pecuniæ reportet, vel reponat? Respondeo non: quia finita est societas interemtione rerum, ut infra eodem titulo* L. *VERUM* §. *finali* --. Similia habet Glossa secundo laudata; & ideo unice profero quod habetur in lege hic indicata -- *Societas solvitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione. Ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrahi videtur societas.*

NONUM DUBIUM. Utrum capitale finita societate debeat esse commune, vel solum illius, qui posuit illud, si tunc non inveniatur aliquid ultra sortem?

Respondeo, quod licet Baldus hanc quæstionem late examinet in L. 1., & in quæst. 2. C. *Pro socio*, tamen mihi videtur dicendum secundum Angelum de Perusio ubi supra: quod, si aut ex pacto, aut ex consuetudine periculum capitalis erat commune, tunc communiter debet dividi inter eos. Si autem periculum non erat commune inter eos, quia nec intervenit pactum de periculo, nec de consuetudine est, quod periculum sit commune, tunc totum capitale erit illius, qui illud posuit. Congruit hoc arbitrio boni viri, ut ille, qui participaturus non erat de periculo, non participet de ipso capitali. Immo secus esset

ſet contra jus fraternitatis, cui ſocietas comparatur L. *Verum* in principio ff. *Pro ſocio*. Item, quum ille, qui pecuniam ponit, communicare ejus commoditatem dicatur illi, qui operas tantum ponit; & ille, qui operas ponit, communicet alteri fructum ſuæ perſonæ tantum; infertur ex hoc, quod capitale non eſt communicandum.

Jacobus de Arena dicit, quod de jure, & conſuetudine eſt, quod capitale ſit ſalvum in hoc caſu. Quare enim ſocius debet habere partem capitalis? Si dicis, quia poſuit operam. Et ego dico, quod pretium operæ intelligitur eſſe correſpondens interuſurio ipſius pecuniæ, non autem ipſi ſorti. Eſt nempe hoc ſimile, ac ſi ponatur pecus ex una parte, & ex alia cura paſtoralis. Ideo ſicut ibi ſola damna & commoda in obventionibus ſunt communia, non autem pecus, ut L. *Cum duobus* §. 2. ff. *Pro ſocio*, ita hic: ut dicamus, quod in dubio potius intelligatur in ſocietate poſitus uſus rei, quam ipſa res. Et ad hoc facit ſoccidum ovium: quia fœtus, lana, & hujuſmodi dividuntur, non autem oves ſoccidæ datæ: & licet capita ſint mortua, tamen ſocietas in fœtibus durat ff. ubi ſupra L. *Si id quod*, & ff. *De pignoribus* L. *Grege* in principio. Et hoc, quod dico, quod oves in ſocietatem datæ non ſint communes, id intellige de ipſo capitali. Et hæc eſt natura ſocietatis, quæ natura tanquam quoddam intrinſecum omnibus contractibus ineſt: quia nihil aliud eſt, quam diſpoſitio quædam, quam lex, vel conſuetudo ſtatuit ſuper contractus L. *Si unus* §. *Pactus* ff. *De pactis*. Et hanc opinionem Jacobi ſequitur S. Bernardinus. Sed opinio Angeli eſt verior. Nec credo quod Jacobus aliter teneret, quando eſt pactum, quod periculum capitalis ſit commune.

(11) Si demas pactum de periculo, quod illæſa conſcientia fieri non poſſe putarunt Jacobus De Arena & S. Bernardinus; quodque licite

fieri

fieri posse ostendi paullo ante, ubi de dubio quarto: conveniunt Authores hic memorari sortem in præsenti casu non esse dividendam, sed ex integro esse restituendam capitalistæ, qui eam posuit. Idem sentit Joannes Caballutius, cujus verba protuli, ubi de eodem dubio quarto. Idem pariter Joannes Pontas ver. *Societas* casu 2., & Colletus in suis Institutionibus De contractu societatis quæsito primo, qui ambo contendunt hanc unam esse S. Thomæ mentem, atque sententiam. Hoc postremum sic probat Pontas, cum quo concordat Colletus solo variato literarum cortice -- Ratio hujus decisionis est, quia pecunia a societate collata solius est ejus, qui eam contulit, ut docet S. Thomas, & post eum Sotus, Cardinales Cajetanus, & Toletus, Navarrus, Azorius, permultique alii. Ait Doctor Angelicus 2. 2. q. 78. art. 2. ad quintum -- *Qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ, sed remanet ejus, ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur.* Unde Caballutius loco citato num. 7. concludit: jure agitur eum, qui pecuniam in sortem societatis contulit, eam recuperare, si superfit. *Si pecunia pereat, perire illi debet, qui eam contulit. Ergo, si superfit, eidem tradenda est, ut qui sentit onus, sentiat quoque commodum Cap. QUI SENTIT ONUS De regulis juris in Sexto, & secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda L. SECUNDUM NATURAM ff. eodem titulo* --. Hactenus ille. Immo, quod pluris facio, ita decrevit, ita sancivit Sixtus V. in sua Constitutione *Detestabilis* §. 2. verbis adeo perspicuis, ut in aliam trahi nequeant intelligentiam -- *Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur* --. Quid clarius?

Mirandum icciirco est Danielem Concinam, qui nullum immotum reliquid lapidem ad Sixtinam Constitutionem ab omni non satis congrua interpretatione merito vindicandam, ubi egit de contractu trino lib. 3. De justitia & jure differt. 3. cap. 21. §. 2., hic ab eadem in totum recessisse, doctrinam tradendo Sixtinæ Constitutioni omnino contrariam. En ipsius verba ibidem cap. 22. §. 5. num. 17. -- *Hinc colliges, si finita societate nullum sit lucrum, sed solum remaneat sors a Capitalista collata, tum dividendam esse juxta æstimationem operarum: alioquin socius amitteret totum capitale operarum, si integra sors rediret ad capitalistam* --. Sortem esse dividendam, ait Concina. Sortem restituendam esse ei, qui illam contulit, inquit Sixtus V.. Doctrina igitur Concinæ Sixtinæ Constitutioni adversatur. Nec quicquam probat ratio a Concina in medium prolata; par enim esset utriusque socii jactura: *quia tantum perdit* [ita Colletus nuper laudatus] *qui negotiationi vulgo proficuæ subjecit pecuniam suam, eamque sterilem recipit, quam qui nihil ex industria sua percepit* *emo-*

emolumenti — : quia operæ socii non respondet sors, seu capitale, sed hujus interusurium, hujus commoditas; ut unus socius alteri communicet suam operam, alter consocio communicet pecuniæ commoditatem: quia dominus capitalis remanet ille, qui illud posuit, ut docuit nos S. Thomas; & jura omnia clamant, quod, si res perit, domino perit, si autem superest, domino superest: quia demum industria, seu opera socii, non est capitale, non est sors, sed quid sortem supponens, & ipsi adveniens. Sors ergo domino reddatur, & adhuc socii erunt omnino pares: quia hic nullum percipiet fructum ex commoditate, & usu pecuniæ, quem communicavit socio, alter nullum item fructum ex industria sua, quam socio communicaverat.

DECIMUM DUBIUM. Utrum damnum debeat esse commune, si capitale perdatur, an solum illius, qui illud posuit?

Respondeo... Videtur, quod sic, quia damnum debet esse commune L. *Si non fuerint* §. 1. ff. *Pro socio*. Contrarium tamen determinat Glossa in dicta L.. Ratio, quia sicut de capitali nihil accipiens lucratur, ita non debet damnificari. Si autem lucraretur, ita damnificari deberet: quia de contrariis eadem regula datur L. *Manifestissimi quidem juris est* §. *Sed cum in secundam C. De furtis & servo corrupto*, in textu ibi — *Ubi enim periculum, ibi & lucrum collocetur*.

Cynus in L. 1. C. *Pro socio* distinguit dicens, quod aut statim perdita fuit pecunia capitalis, & tunc damnum debet esse commune: aut non statim, sed post operas exhibitas, & tunc sufficit recipienti damnum operarum suarum. Et hanc opinionem dicit Cynus esse veriorem.

Jacobus autem de Arena indistincte vult, quod damnum sit commune L. *Cum duobus* §. *Quidam sagariam*, & L. *Si id quod* §. *Item Celsus* ff. *Pro socio*.

Baldus autem vult, quod quatenus est commune lucrum, eatenus sit & damnum, & non aliter.

Angelus de Perusio in suo Tractatu de societate quæst.

12. part.

12. part. 1. dicit, quod, licet civilis rigor velit, quod, si statim perit, & perit causa societatis, damnum sit commune L. *Si id quod* §. 1., opinio tamen Petri, quam sequitur Cynus, præsertim in foro conscientiæ, magis ipsi placet, cum videatur convenire arbitrio boni viri, quod in hoc judicio sequendum est L. *In proposita* ff. *Pro socio*.

Addo, quod si quasi in principio societatis totum capitale est perditum ex modico opere, tunc adhuc putarem, quod pro aliqua parte ille, qui operas ponit, participare debet de periculo, postquam etiam participaturus erat de lucro dicti capitalis. Arguitur L. *Si non fuerint* ff. *Pro socio*, & L. *Quid enim*.

Hæc autem omnia procedunt, ubi nulla consuetudo est in contrarium. Si autem consuetudo esset, quod periculum capitalis foret commune: quia id, quod est in consuetudine, videtur actum inter partes Authentica *De fidejussoribus* §. final., & C. eodem titulo L. fin. & L. *Quod si nolit* §. *Quia assidua* ff. *De ædilitio edicto*, & L. *Si prius* §. *Recte placuit* ff. *De aqua & aquæ pluviæ arcendæ*: tunc dicerem, quod periculum sit commune, postquam hoc potest fieri per pactum expressum, ut tenet Glossa in Cap. *Plerique* 14. q. 3., licet regulariter periculum dictæ pecuniæ pertineat ad illum, qui eam posuit in societate. Et hoc nisi cum damnum venit culpa socii, qui tenetur de culpa lata, & levi, non autem de levissima: quia sufficit, quod talis adhibeat diligentiam in rebus communibus, quam adhiberet in propriis L. *Cum duobus* ff. *Pro socio*. Si enim expresse periculum in se quis suscepisset, hoc non intelligitur de illo, quod venit culpa consocii L. fin. C. *De nautico fœnore*. Hæc ille.

(12) Jam supra cum Colleto, Cabassutio, Glossa, & Sixtina Constitutione demonstravi, socios posse licite pacisci, quod capitale sit commune, commune ipsius lucrum, commune periculum: dummodo pacto adji-

adjiciantur conditiones, quibus inter socios servetur æqualitas. Neque huic doctrinæ adversatur declaratio Concilii Mediol. I. sub S. Carolo in hæc verba -- *In societate non fiat pactio, ut sors salva sit, fructus vero communiter dividatur* -- : neque quod sancivit Sixtus V. in memorata Constitutione §. I. inquiens -- *Neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem, seu capitale salvum & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione sibi obligare* -- . Aliud sane est, quod ponens pecuniam paciscatur de capitali salvo, & ex integro a recipiente sibi ipsi reddendo in quocumque eventu: & aliud profecto, quod pacto reddat capitale commune, ut, si pereat, pereat æqualiter utrique, si vero superfit, utrique æqualiter superfit. Primum vetuit Concilium Mediolan., vetuit & Summ. Pontifex Sixtus V., ut ex ipsorum verbis liquido constat. Secundum autem tantum abest, ut prohibuerint, quin potius idem Sixtus V. fieri posse sancivit verbis jam prolatis, & quæ iterum proferre juvat -- *Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitime conventum sit* -- . Porro pactum, de quo in præsenti casu, & in nonnullis præcedentibus, non est primum, bene vero secundum, ut ipsum recolenti fit manifestum. Non ergo fuit vetitum.

Secluso igitur hujusmodi pacto, videtur quidem jure civili sancitum, quod sors in casu utrique socio pereat, quum scriptum sit L. *Si id quod* §. I. ff. *Pro socio* -- *Item Celsus tractat, si pecuniam contulissemus ad mercem emendam, & mea pecunia periisset, cui perierit ea? Et ait, si post collationem evenit, ut pecunia periret, quod non fieret nisi societas coita esset; utrique perire: utputa si pecunia, cum peregre portaretur ad mercem emendam, periit. Si vero ante collationem, posteaquam eam destinasses, tunc perierit, nihil eo nomine consequeris, inquit, quia non societati periit* -- . Non ita tamen, non ita est. Hæc siquidem lex loquitur in casu, in quo ambo socii contulerunt pecuniam in societatem -- *Si pecuniam contulissemus* --, & in quo sola periit pecunia unius consocii -- *Et mea pecunia periisset* --. Jure igitur sancitur, quod in hoc casu pereat societati: quoniam statim atque plures contulerunt pecuniam in societatem, ex pecunia specifica hujus & alterius consurgit quædam summa societatati destinata, ex qua si quid pereat, societati perit; facta enim hujusmodi summa, non amplius hujus est hæc, & illius est altera specifica pecunia, sed unice tantum pecuniæ, quantum quis contulit in societatem. Illa igitur pecunia specifica, quæ prius erat mea, tunc remanet societatis; & iccirco si illa perit, societati perit; & jactura & damnum dividi debet inter socios pro rata pecuniæ, quam unusquisque contulit in societatem. In casu autem, de quo sermo in præsenti, sors non con-

fertur in societatem ab utroque socio, sed ab uno duntaxat, altero conferente solam industriam, & operam. Hunc casum respicit Glossa in §. 1. L. *Si non fuerint* ff. *Pro socio*, & dempto pacto, de quo supra, respondet, quod damnum sortis non debet esse commune. Verba ipsa accipe -- *Sed quid, si perdatur pecunia talis: an sit periculum commune? Respondeo non: nisi hoc pactum est: sicut nec, si alter, qui operas præstat, moreretur, esset commune* --. Huc confert tritum illud adagium L. *Manifestissimi* §. *Sed eum in secundam* C. *De furtis* -- *Ubi enim periculum, ibi & lucrum collocetur* --: quoniam si, salva remanente sorte, dividenda hæc non est, sed ex integro reddenda domino, ipsa pereunte, soli domino perire debet. Secus qui ponit operam participaret de damno sortis, & non de lucro ejusdem, essetque hæc pene illa leonina societas merito improbata eadem L. *Si non fuerint* §. 2. *Aristo refert Cassium respondisse, societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret: & hanc societatem leoninam solitum appellare* --. Et ipso igitur civili jure spectato, damnum in casu illius duntaxat esse debet, qui erat dominus sortis, & non utrique socio commune.

Ad Jus Canonicum quod attinet, satis esset, atque super quod produxit Cabassutius ex Regula 55. juris in Sexto, videlicet -- *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & econtra* --: quoniam si jure canonico lucrum sortis non est commune, dum ea sola superest, ut superius ostendi, nec ipsius amissio debet esse communis, si ipsa amittatur. Placet tamen adjicere Sixtum V. Summ. Pontificem in sua Constitutione jam pluries memorata. In hac, ut audisti, decrevit, quod sorte superstite hæc non dividatur, sed restituatur ei, qui illam contulit in societatem. Virtualiter ergo pariter sancivit sortis amissionem, si contingat, non esse dividendam, sed ex integro spectare ad dominum sortis, & ipsi soli perire ex Regula juris modo recitata: itemque ex alia, quæ est in ordine decima, ff. *De diversis regulis juris* -- *Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda* --: ex Regula demum 39. juris in Sexto -- *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.*

Distinctio excogitata, quod sors vel perit initio societatis, vel societate jam provecta, non arridet: quia qui sortem contulit in societatem, æque dominus ipsius est initio societatis, ac societate provecta. Ergo ex æquo ipsi perire debet quandocumque amittatur. Sola culpa onerare potest eum, qui unice confert operam & industriam; ea enim interveniente jura omnia clamant hunc teneri ad compensationem damni ex proprio. Tenetur de dolo, & de culpa lata, textu expresso Institut. *De societate* §. 9. -- *Socius socio utrum eo nomine tantum teneatur pro socio actione, si quid dolo commiserit, sicut is, qui deponi apud se passus est, an etiam culpæ, idest desidiæ, atque negligentiæ nomine, quæsitum est?*

Præ-

Prævaluit tamen, etiam culpæ nomine teneri eum --. Tenetur pariter de culpa levi; societas enim unus ex illis contractibus est, qui cedunt in utilitatem utriusque socii; & iccirco sancitur L. *Si ut certo* §. 2. ff. *Commodati -- Sed ubi utriusque utilitas vertitur, ut in empto, ut in locato, ut in dote, ut in pignore, ut in societate, & dolus, & culpa præstatur --*. Non tenetur postmodum de culpa levissima, textu expresso Institut. *De societate* §. 9. -- *Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Nam qui parum diligentem socium sibi adsumit, de se queri, sibique hoc imputare debet --*. Hæc pene omnia amplectitur, & confirmat L. *Socius* ff. *Pro socio*, quam & hic recitare non erit abs re, quamvis cum præcedentibus fere in verbis ipsis conveniat -- *Socius socio etiam culpæ nomine tenetur, idest desidiæ, atque negligentiæ. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est: sufficit etenim, talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem suis rebus adhibere solet: quia qui parum diligentem sibi socium adquirit, de se queri debet --*. Infer ex hoc, quod, si sors, seu res tradita in societatem furto auferatur defectu debitæ custodiæ, eam compensare tenetur ille, cui data est, L. *Cum duobus* §. 3. ff. *Pro socio -- Quod si a furibus subreptum sit, proprium ejus detrimentum est: quia custodiam præstare debuit, qui æstimatum accepit. Hæc vera sunt, & pro socio erit actio, si modo societatis contrahendæ causa pascenda data sunt, quamvis æstimata*.

UNDECIMUM DUBIUM. Utrum damnum illius, qui posuit operas, debeat communicari ad invicem: puta si socius resistens volentibus sibi auferre pecuniam vulneretur, & faciat multas expensas ad curandum se, & hujusmodi.

Respondeo, quod non ff. *Pro socio* L. *Socium* §. *Socius*, ubi expresse ponitur, quod *id non in societatem, quamvis propter societatem, impensum sit*. Sed licet dicta lex dicat indistincte, quod non, tamen salvo meliori judicio videtur mihi dicendum, quod sicut unus participat aliquid de damno capitalis in pecunia, ita & æquum est, quod alter participet aliquid de damno personæ, quod evenit propter societatem: cum, ut dictum est, societas sit quædam fraternitas L. *Verum* in principio ff. *Pro socio*.

Et illud, quod dicit dicta lex *Socium*, intelligi debet, quando damnum personæ contingit culpa sua, ut expresse ostendit L. *Cum duobus* §. *Quidam* ff. *Pro socio*, ubi habet textus -- *Quidam sagariam negotiationem coierunt: alter ex his ad merces comparandas profectus in latrones incidit, suamque pecuniam perdidit: servi ejus vulnerati sunt, resque proprias perdidit: dicit Julianus damnum esse commune tam pecuniæ, quam rerum cæterarum, quas secum non tulisset socius, nisi ad merces communi nomine comparandas proficisceretur. Sed & si quid in medicos impensum est, pro parte socium agnoscere debere, rectissime Julianus probat* --. Hæc textus, & bene.

(13) Expensas, quæ fiunt causa societatis, esse communes, nemo unus est, qui id inficietur; & icciro jure optimo L. *Cum duobus* §. 15. ff. *Pro socio* -- *Viatica igitur, & meritoriorum, & stabulorum, jumentorum, carrulorum vecturas, vel sui, vel sarcinarum suarum gratia, vel mercium, recte imputabit* --. Idem adseruit Sixtus V. in sua Constitutione *Detestabilis* §. 2. hisce verbis -- *Ac præterea iidem contrahentes fructus, expensas, & damna in commune conferant, &, prout æquum & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant*.

Videndum igitur superest: an in casu, de quo agitur, expensæ factæ sint caussa societatis, nec ne. Super hoc eodem casu duas habemus leges invicem pugnantes. Prima est L. *Cum duobus* ff. *Pro socio* §. *Quidam sagariam*, quam Author integram exhibuit. Secunda est L. *Socium* §. 1. eodem titulo, cujus nonnulla duntaxat verba recitat Author, & quam ipse integram produco -- *Socius, cum resisteret communibus servis venalibus ad fugam erumpentibus, vulneratus est: impensam, quam in curando se fecerit, non consecuturum pro socio actione Labeo ait: quia id non in societatem, quamvis propter societatem, impensum sit* --. Quid igitur constituendum? Author in Angelica ver. *Societas primo* num. 15. scribit, legem postremo hìc citatam intelligendam esse, quando damnum evenit causa socii. Editor annotationum super eadem arbitratur, damnum, de quo hæc lex, non evenisse propter societatem proprie, sed duntaxat occasionaliter. Pressius tamen, & meo saltim judicio melius Glossa super eadem lege inquiens -- *Labeo ait, sed male, ut infra Lege proxima* --. Et reipsa lex immediate sequens secus constituit. Eandem habeto -- *Secundum Julianum tamen, & quod medicis pro se datum est, recipere potest. Quod verum est* --. Hoc ipsum Glossa ibidem magis magisque confirmat dicens -- *Quod verum est, quia propter commune negotium*

tium procurandum hoc contingit; & hoc nisi in culpa fuerit --. Non ergo ad mentem Labei sive Labeonis L. *Socium* definienda res est; sed pro certo haberi debet cum Glossa Labeum sive Labeonem ibi dormitasse, se fefellisse; & cum Juliano tum L. *Secundum*, tum L. *Cum duobus* §. *Quidam sagariam* firmiter tenendum est, damnum in casu utrique socio esse commune, quemadmodum arbitratus fuit Author, & cum eo Pontas ver. *Societas* casu 12., Ferraris ver. item *Societas* num. 21., & Theologi communiter.

DUODECIMUM DUBIUM. Qualiter dividi debeat societas, si nihil inter ipsos est conventum expresse?

Respondeo, quod licet alii aliter dixerint, secundum Angelum ubi supra quæst. 2., salvo meliori judicio sic est dividenda. Si totum societatis est trecentum, ego, qui posui centum, prius extraham centum, & postmodum ducenta dividentur inter me, & eum, qui posuit operas. Ita tamen quod, qui plus in societatem contulerit vel pecuniæ, vel operæ, vel industriæ, plus habeat, ut L. *Si non fuerint* in principio, & L. *Quid enim* ff. *Pro socio*: & hoc arbitrio boni viri.

Et illud, quod dicunt quidam, quod similiter ille, qui posuit operam, debet prius extrahere tantum, quantum est æstimanda sua opera, sicut alter prius extrahit centum, quæ posuit, non valet nec de jure Divino, nec Civili, nec Canonico: nam opera hominis nihil aliud est quam officium diurnum ut L. 1. ff. *De operis libertorum*; immo opera hominis dicitur esse fructus hominis, ut L. 3. & seq. ff. *De operis servorum*. Et ideo qui in societate tantum operam ponit, non dicitur aliquid consistens in sorte, vel in capitali ponere, sed solum fructum suæ personæ: quia fructus, aut usus fructus personæ correspondet fructui seu commoditati illorum centum. Pro quo bene facit quod dicitur L. *Cum duobus* §. *Utrum* ..... *si in coeunda* ff. *Pro socio* -- *Pretium enim operæ*, inquit textus, *artis est velamentum* --. Et hanc sententiam secutus est

Baldus in L. 1. q. 2. C. *Pro socio*. Et sic intelligi debet, quod *sæpe opera alicujus pro pecunia valet*, ut Institut. *De societate* §. 2., scilicet pro commoditate & usufructu dictæ pecuniæ.

(14) Super hac re duo sunt discutienda. Primum, utrum opera illius, qui in societatem contulit solam industriam, sit conjungenda sorti, ut ex pecunia unius, & opera alterius consurgat, & fiat una communis sors. Secundum, utrum, statim atque industria non sit habenda tanquam sors, lucrum dividi debeat in partes æquales, vel pro qualitate industriæ, aut alterius circumstantiæ. Inter veteres Goffredus putavit, etiam operam esse æstimandam, computandam in sortem, & extrahendam ante quamcumque divisionem, sicuti extrahitur sors, quam alter socius contulit in societatem. Inter Recentiores idem tenuit Daniel Concina lib. 3. De justitia & jure dissert. 3. cap. 22. §. 5. num. 16. scribens -- *In hoc itaque contractu industria socii est addenda sorti; ita ut ex pecunia, aut animalibus capitalistæ, & industria socii una sors communis fiat. Si operæ socii æquent summam capitalistæ, tum æqualiter sors & lucrum dividenda sunt. Si industria socii æquivaleat tertiæ parti summæ capitalistæ, tum in partitione cedit socio tertia pars sortis & lucri, seu tertia pars totius summæ. Ratio evidens: quia ad negotiationem non minus conferunt operæ socii ac sors capitalistæ. Ergo ejusmodi operæ in sortem computandæ sunt, & juxta earumdem valorem socius tam sortis, quam lucri particeps esse debet* --. Secus tamen opinatur Author tum hìc, tum in Angelica ver. *Societas primo* num. 17.. Secus opinati sunt alii complures, quos memorat, & sequitur Ferraris ver. *Societas* num. 41., qui omnes constanter adserunt solam pecuniam ab uno socio collatam habere rationem sortis, hanc esse extrahendam, ex integro reddendam ei, qui eam posuit, & lucrum duntaxat esse dividendum. Et quod pluris facio: hæc est regula partitionis a Summo Pontifice Sixto V. præstituta, quando socii aliter non convenerunt inter sese -- *Si vero finita societate ipsum capitale extat* [ait Summ. Pontifex in sua Constitutione sæpenumero memorata §. 2.] *ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitime conventum sit. Ac præterea iidem contrahentes fructus, expensas, & damna in commune conferant, & prout æquum & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant* --. Agebat hìc Pontifex de societate, in quam unus solam contulerat pecuniam, & alter solam industriam, ut manifestum fit Constitutionem ipsam percurrendo. Respexit ergo casum nostrum, in quo de societate tali modo inita sermo est. Ratio, quam in oppositum protulit Concina, videlicet -- *Quia ad negotiationem non minus conferunt operæ socii, quam sors capitalistæ* --,

non

non videtur evidens: quoniam hac ipsa de caussa operans fit particeps lucri, nam -- *Fructus hominis in operis consistit, & retro in fructu hominis operæ sunt* -- L. 4. ff. *De operis servorum:* quoniam si & ipsa socii industria computari deberet in sortem, atque extrahi ante divisionem, qui unice ponit industriam melioris semper esset conditionis ac ille, qui ponit pecuniam & sortem realem, atque numeratam; tantum enim ut plurimum haberet cum sola sorte putata, quantum capitalista cum sorte reali, & non aliter. Æquitas ergo non patitur, ut industria conjungatur sorti, & transeat in sortem. Firmum quapropter erit quod cum communiori Doctorum docet Author, quodque Sixtus V. in sua Constitutione præfinivit. Hæc de primo, quod erat expendendum: quodque inter antiquos fuse probavit, idque tum jure civili, tum jure canonico, Nicolaus noster de Auximo in suo Supplemento Venetiis vulgato anno 1477. typis Francisci de Dailbrun ver. *Societas primo* sub initio, qui iccirco ita conclusit -- *Ille ergo qui in societate operam tantum ponit, non dicitur aliquid consistens in sorte, vel in capitali ponere, sed solum fructum personæ suæ, qui fructus aut usufructus personæ correspondet fructui, aut commoditati illorum centum, quæ in societate posui.*

Secundum exponendum cum adgredior, statim occurrunt leges adeo perspicuæ, nihil ut magis. *Et quidem, si nihil de partibus lucri & damni nominatim convenerit, æquales scilicet partes & in lucro, & in damno spectantur* -- Institut. *De societate* §. 1. *Si non fuerint partes societatis adjectæ, æquas eas esse constat* -- L. 29. ff. *Pro socio*. Ex æquo igitur in casu, de quo sermo, dividendum est lucrum, quod superest præter sortem, quemadmodum scribit Author, & probat Joannes Pontas ver. *Societas* casu 3. inquiens -- *Nam ubi pactio non distinguit, uni non amplius lucrum, nec major jactura esse debet, quam alteri.... ita ut inferendum sit Landrium qui 12000. libras contulit præsentes, & non ignorabat Athenodorum solum adhibere industriam, & laborem, tacite consensisse partes lucri esse æquales inter se, quum nihil stipulatus est contrarii* --. Id intellige, dum unus contulit totam pecuniam in societatem, & alter contulit totam industriam; secus enim fieri deberet, sicuti docet Author in Angelica loco proxime citato scribens -- *Si alter posuit centum, & alter operas, & de lucro habent ducenta: extrahet primo, qui posuit centum, sua centum, & sic de quocumque alio, qui aliquid posuit: qua summa extracta, reliqua ducenta, quæ sunt de lucro, divident inter se omnes. Ita tamen quod qui plus posuit in societatem, puta operas, & pecuniam, vel duas partes pecuniæ, respectu illius, qui solum unam posuit, non respectu ejus, qui operas posuit, quia opera valet tantum sicut pecunia, quæ ponitur, habebit plus de lucro* --. Dum audis operam valere sicut pecuniam, id accipe generatim loquendo, & plerumque: non enim inficior quandoque adeo pretiosam esse aliquorum operam, ut

aliter sit constituendum, quemadmodum monui annotatione sexta proxime præterita.

TERTIUM DECIMUM DUBIUM. Utrum possit licite fieri pactum, quod unus habeat duas partes lucri, & unam damni, vel duas damni, & unam solam lucri?

Respondeo, quod, si hoc pactum arbitrio boni viri non facit deteriorem partem unius præ altero, ita ut qui plus posuit, ut dictum est, plus habeat, licitum est in conscientia: & hujus opinionis est Angelus de Perusio ubi supra; alias non.

(15) Jam superius ostendi annotatione tertia proxime præterita, quod, si contrahentes ex æquo conferunt in societatem, nec jure civili possunt pacisci, quod unus præ alio lucrum percipiat, aut damnum patiatur; in omnibus enim contractibus servari debet æqualitas. Æquissimum est ergo judicium Authoris, qui omnia reducit ad æqualitatem: qua sublata constanter inficiatur id posse fieri licite. Si quis contra proferat nonnullas leges civiles, quæ in speciem videntur secus constituere, eas expone sicuti ipse prædicta annotatione tertia easdem exposui, videlicet quando unus socius præ alio plus contulit pecuniæ, operæ, vel industriæ. Præ oculis tamen semper habeas, quod dixi annotatione 35. super tertio articulo proxime præterito; nempe Sixtina Constitutione fuisse prohibitum, quod unus socius cum altero paciscatur de assecuratione capitalis, & de lucro insimul ex eo proventuro.

Promissis nunc sto, contractum exponendo, quem vocant trinum, seu trium contractuum, de quo fuse Gabriel Antoine *De contractu societatis* quæst. 3., Daniel Concina lib. 3. *De justitia & jure* dissert. 3. cap. 21. per totum, Colletus Institut. De contractu societatis art. 1., Fulgentius Cuniliati De contractu societatis §. 2., Benedictus XIV. De Synodo Diœces. lib. 10. cap. 7., Ferraris ver. *Societas* num. 3., & seq.. Qua in re utar verbis Benedicti XIV. loco nunc laudato num. 2. -- *Titius init contractum societatis cum Sempronio mercatore, cui mille aureos tradit, e quibus probabiliter sperat se centum & triginta lucraturum: sed metuens Titius, ne una cum sperato lucro capitale amittat, alium contractum init cum eodem Sempronio, cui condonat sexaginta aureos sperati lucri, ut, qualiscumque sit futurus negotiationis exitus, ipsi caveat de securitate capitalis mille aureorum. Rursus secum reputans Titius, melius sibi fore aliquod moderatum lucrum, sed certum habere, quam pinguius, sed incertum expectare, tertium contractum cum eodem Sempronio init, quo eidem remittit alios viginti aureos sperati lucri, ut quinquaginta residuos ei solvat,*

vat, sive negotiatio bene, sive male succedat --. Primus dicitur contractus societatis. Secundus vocatur contractus assecurationis capitalis. Tertius appellatur contractus venditionis lucri incerti pro aliquo certo præstituto tempore solvendo. Ex hac declaratione planum fit, casum, de quo Author in secundo dubio proxime exposito, vel ipsum exhibere contractum trinum, vel cum eodem maximam habere affinitatem.

Pergit Summus Pontifex, & num. 3. ita nos edocet -- *Hic porro est trinus ille contractus, quem celebrem fecit exorta inter Dominicum Sotum, & Martinum Navarrum discordia. Putabat nimirum Navarrus tres prædictos contractus simul, & cum eadem persona tuta conscientia iniri posse, atque ab usuraria pravitate immunes esse ob rationes, quas adducit in suo Manuali cap. 17. num. 254., & seq.. Sotus ex adverso asserebat, trium illorum contractuum conjunctionem degenerare in mutuum fœneratitium, & societatis leges, quæ lucri damnique communionem exposcunt, evertere, suamque assertionem pluribus propugnabat argumentis, quæ videri possunt in ejus Opere De justitia lib. 6. q. 6. art. 2.. Causa delata est ad Sixtum V. Pontificem Maximum, qui, diligenter quæstione discussa, duplicis securitatis pactionem societati adjectam usurariam pronunciavit, eamque deinceps fieri prohibuit sua Constitutione 68., quæ incipit, Detestabilis, edita anno 1586. tom. 4. part. 4. Bullar. pag. 263.* --. Ex hoc infer, quod tres hujusmodi contractus separatim inspecti, & cum distinctis personis initi, liciti sunt, nullam usurariam redolent pravitatem: dummodo in ipsis servetur æqualitas, & non fiant in fraudem usurarum. Verba Sixtinæ Constitutionis jam recitavi ex integro, quantum ad præsens spectat, annotatione 35. super tertio Articulo secundæ Considerationis. Ea igitur illic relege.

Progreditur Summus Pontifex, & num. 4. ita scribit -- *Et nihilominus nondum causa finita est: Siquidem plures, & non obscuri nominis posteriores Theologi trinum contractum ab omni usuræ reatu absolvunt, & licite etiam nunc fieri posse defendunt* --. Authores postmodum producit hinc & illinc sentientes, ipsorum argumenta declarat, & tandem num. 6. ita concludit -- *Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur; neque Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minus congruere videatur Sixtinæ Constitutioni, ullam hactenus censuram inussit, a qua proinde eidem infligenda debet Episcopus abstinere. Ad usum vero quod attinet, tuto poterit contractum trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari: quod a plerisque Episcopis in suis diœcesanis Synodis sapientissime factum referunt citati Gennett. tom. 1. tractat. 4. cap. 14., Natalis Alexander Epist. 94. in appendice ad Tom. 2. suæ Theologiæ Moralis* --. De mente igitur Sapientissimi hujus Pontificis, tametsi sententia docens contractum trinum esse licitum cum una eademque persona usque adhuc ab Apostolica Sede nulla fuerit censura irretita: tamen minus congruit

Sixti-

Sixtinæ Constitutioni, & Fideles ab ea in praxi sequenda dehortandi sunt.

Scio quidem hujusmodi judicium Benedicti XIV. habendum non esse tanquam infallibilem Ecclesiæ definitionem: quum ipsemet in fine Præfationis Operi præfixæ ingenue scripserit -- *At, ubi neque a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, neque a nobis ipsis, aut in Bullario, aut alibi, Apostolica auctoritate quidquam definitum est, ac generaliter omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Ecclesiæ auctoritate pondus accessit, nihil nos definire, ac veluti decretorium exhibere intendimus. Ea enim nobis & semper fuit, & adhuc mens est, ut sententiam nostram proponentes, hanc eatenus tueamur, quatenus illi ex rationibus, & auctoritatibus, quæ nos ad eam amplectendam impulerunt, satis roboris & firmitatis adesse dignoscatur; libentique animo subscribimus doctrinæ Scriptoris eximii Melchioris Cani, qui lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. in resp. ad nonum argumentum, de libris agens, qui a Summis Pontificibus conscripti publicantur, hæc ait -- CUM EDUNT LIBROS DE RE QUALIBET ROMANI PONTIFICES, SENTENTIAM SUAM UT HOMINES ALII DOCTI EXPRIMUNT, NON TANQUAM ECCLESIÆ JUDICES DE FIDE PRONUNCIANT. Magnus ille Prædecessor noster Innocentius IV. Commentaria sua in libros Decretalium scripsit, cum Summum Pontificatum gereret -- TRAHENS MORAM LUGDUNI, POST CONCILIUM IBI CELEBRATUM, COMPOSUIT APPARATUM SUPER DECRETALIBUS -- uti testatur Thomas Diplovatatius in Vita ipsius Innocentii antedictis Commentariis præmissa. Neque profecto Innocentius hoc sibi unquam arrogavit, ut, quidquid in eo Opere scripsisset, pro re definita haberetur; sed facile passus est, opiniones suas, quas tanquam privatus Doctor proposuerat, ab aliis Doctoribus oppugnari: ut patet ex ipsa, quam citavimus, illius Vita; multoque magis ex ea, quam sibi amplissimam hac in re licentiam sumpserunt posteriores Canonistæ, dum sententias ab Innocentio suis Commentariis insertas sæpe deserere, & in alia omnia ire non dubitarunt* --. Nihilo tamen minus, quum agatur de sententia, pro qua jam pugnabat major pars Scriptorum, & quæ ex sola ipsa vel perfunctoria Sixtinæ Constitutionis lectione deducitur: eidem certe magnum pondus adjecit tanti Pontificis judicium, quod nullo solido fundamento unquam poterit oppugnari.

Satis, meo saltim judicio, satis hoc esset, ut contractui trino valediceremus; non enim in scientia morum opinari quis debet ad ostendendam ingenii subtilitatem, & profunditatem, sed ad instruendos Confessarios, & Fideles, ut sciant quid in praxi tuta conscientia sequi possint, quid declinare teneantur. Et revera solido fundamento non videtur innixum, quod Patroni contractus trini solent adserere: videlicet Cardinales Toletum, & Sanctæ Severinæ, quibus concinnandæ Sixtinæ Con-

Constitutionis cura fuit a Pontifice commissa, testatos esse Patri Stephano Tuccio Societatis Jesu, Sixti V. mentem fuisse damnare duntaxat conventiones, & pacta, quæ in se injusta, illicita, & usuraria sunt, non vero quæ omni usura vacare probantur: aut Sixtum V. ejusmodi pactiones solum prohibuisse, quando apponuntur ex vi solius societatis, non tamen quando societati adjunguntur. Primum viam sternit labefactandi, & eludendi quascumque, & si luce meridiana clariores, Summorum Pontificum Constitutiones; homo siquidem propriæ opinionis tenax semper posset regerere, Summum Pontificem non intellexisse id, quod exprimit litera, sed aliud longe diversum: & hoc confirmare uno vel altero prætenso vivæ vocis oraculo. Summus Pontifex quod voluit, expressit. Expressio Sixti V. in laudata Constitutione improbat contractum trinum, eumque dicit usurarium, ut vel inviti fateri tenentur ipsius Patroni. Insuper hæc Pontificia expressio ea est, quæ nos instruit, & quam Pontifex Fidelibus omnibus tenendam proposuit, & injunxit. Usque adhuc Summi Pontifices non vulgarunt Constitutionem alteram, quæ Sixtinam abroget, illius phrases emolliat, & secus doceat. Ipsi igitur standum est, & non decantatæ illi verbali declarationi nulla Pontificia Constitutione legitime probatæ. Accedit, quod Constitutio Sixti V. nihil effecit novi, sed duntaxat usurarias declaravit eas pactiones, quæ insimul consideratæ jam erant, semperque fuerunt usuraria labe pollutæ. Ita declaravit Sacra Congregatio anno 1593. -- *Cum tempore Clementis VIII.* [ita Benedictus XIV. lib. 10. De Synodo Diœces. cap. 7. num. 5.] *compilandus esset liber septimus Decretalium, fuit dubitatum, an illi inserenda foret prædicta Sixtina Constitutio, atque in Congregatione habita die* 12. *Novembris* 1593. *deliberatum non esse inserendam eo, quod nihil novi in ea decernatur, sed contractus reprobetur in se fœneratitius, jam a jure communi proscriptus: sicuti colligitur ex Actis Congregationum ea super re habitarum, quæ asservantur in Archivo Arcis Sancti Angeli* --. Secundum continet doctrinam a Facultate Parisiensi in terminis proscriptam, & improbatam anno 1644. si Colleto, 1664. si Cuniliati, 1665. si Concinæ fides. Propositio erat hæc -- *Si contractui societatis adjungatur contractus assecurationis capitalis, ac venditionis lucri incerti pro certo, virtute trium horum contractuum licitum est exigere lucrum certum cum assecuratione capitalis* --. Et hæc fuit censura eidem propositioni inusta -- *Falsa est, scandalosa, inducens ad usuras committendas, variasque aperit artes eas palliandi, justitiam & charitatem violandi, & a Sacra Facultate jam damnata* --. Addo, quod & ipsi Patroni contractus trini eundem prædicare non audent, nec populo suadere -- *Licet iste contractus sit licitus, prout existimo* [ait Joannes Major in 4. dist. 15. q. 49. in fine] *non tamen in sermone ad populum mercatorum hoc dicerem; non enim nescius sum, quia a periculoso*

con-

contractu abstinendum sit --. Propter periculum [scribit Valentia Tom. 3. disput. 25. punct. 2.] *nemini illud esse suadendum --*. Jure igitur Merbesius nonam Concilii Mediol. 1. Decisionem expendens -- *Cum Summus Pontifex Bulla tam perspicua, quam certa, & indubitata hujusmodi contractus utpote usurarios damnaverit, & auctoritate Apostolica interdixerit, neminem posthac fore arbitror, quin a talium conventionum usu, & consuetudine penitus abhorreat: tametsi nonnulli suo ingenio plus æquo confisi eos licitos esse affirmare audeant.*

Quod postmodum contractus trinus in se sit reipsa fœneratitius, jam invicte id ostendit Author noster, ubi de dubio secundo proxime præterito: probans hujusmodi pactiones esse contra naturam societatis, quæ in totum destruitur per contractum assecurationis capitalis inde sequentem. Contractus trinus, si intime perpendatur, resolvitur in mutuum; ibi enim est mutuum, ubi verum rei dominium transfertur in accipientem, sicuti contingit in hoc contractu, quia, si res perit, accipienti perit, & non alteri. Nec juvat adferere ipsum ex pacto teneri ad erogandam pecuniam in negotiationem; quoniam hæc pactio apparens est, & ad obtegendam usuram unice apposita. Egregium sane negotiationis genus! Negotiari volo, inquit dans pecuniam. Sed interim, sive negotiatio male, sive bene succedat, volo ut restituas mihi integrum capitale, volo insuper ut des mihi tantum lucri, & non aliter. Vera negotiatio ea est, qua quis se fortunæ exponit, periculo se exponit lucrandi & perdendi. Si igitur dans pecuniam protestatur se velle negotiari, & insimul nulli vult se exponere periculo, immo lucrum certum postulat, & ad hoc rependendum in quocumque eventu obligat accipientem: ex parte ipsius vera negotiatio non est, sed apparens, & simulata. Mutuum ergo erit, non societas; secus quisque petenti mutuum absque usura posset respondere: nolo tibi dare mutuum, sed tecum inibo societatem hac lege, ut me de sorte securum facias, & ob majus lucrum, quod ex negotiatione potest probabiliter evenire, aliquod minus, sed certum, quolibet anno mihi persolvas. Quis non videt hæc esse pura putaque verba, & vera pallia usurarum!

Postulabis nunc abs me: quare hic triplex contractus, si fiat cum tribus personis distinctis, immunis est ab usura, ut superius monui, & initus cum una eademque persona usuræ labe polluitur? Brevibus respondet Antoine ibidem -- *Disparitas est, quia alia pacta cum alio facta non impediunt, quominus stet vera societas cum mercatore, qui in eo statu constituitur, quem postulat societas; per accidens enim respectu illius est, quod alii pecuniam collatam assecurent. At pacta illa cum socio inita evertunt societatem, & æqualitatem, cum hic totum periculum & damnum subire debeat, ille vero solum lucrum certum ultra sortem recipiat.*

Paullo fusius respondet Cuniliati inquiens -- *Respondetur concedendo,*

quod

quod dicti contractus celebrati cum non socio sint liciti, quia revera servatur æqualitas, quæ nullo modo servatur, si celebrentur cum socio. Quænam enim æqualitas verificari unquam poterit, si alter contrahentium totum damnum subeat ne dum operarum & industriæ perditarum, verum etiam novo onere obnoxius fiat, reponendi integrum capitale; & alter nullum damnum subeat, & insuper etiam lucrum reportet, & quod horribilius est, quod reportet lucrum, & nullum subeat damnum titulo fundato in contractu, qui non extat, sed est destructus a pactionibus adjectis! Propterea manifeste apparet injuria socio illata, qui est socius solius nominis, & revera mutuatarius, usura injusta sub specioso pallio occultata gravatus. Non ita, dum contractus illi celebrantur cum tribus non sociis; quandoquidem nemini illorum irrogatur injuria, dum reapse servatur æqualitas inter datum & acceptum. Et quamvis tandem contrahens cum illis reportet certum lucrum absque ullo periculo, id est fructus solertiæ suæ nemini injuriosæ; neque enim ex tali lucro ullus gravatur.

Sed quid, si socius accipiens offerret tradenti assecurationem sortis & lucri sponte & libere? Sixtina Constitutio unice loquitur, dum ipse tradens ita postulat, ita vult pacisci: quum §. 1. consulto dixerit Summus Pontifex -- *Atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent* --. Aliunde accipiens sic postulans nulli infert injuriam, sed sibi ipsi consulit, sperans lucrum longe majus pecunia, quam pro tali assecuratione sciens & volens se obligat ad persolvendum. In hoc igitur casu contractus trinus nec erit vetitus, nec usurarius. Ita differunt nonnulli, quibus sic respondeo.

Magna usurarum pars oritur ex speculationibus plurium Theologorum, qui in cubiculo suo præcisiones, distinctiones, divisiones, & plura commenta excogitant, quæ in metaphysica abstractione verisimilia apparent, pro praxi vero ineptissima sunt, & viam aperiunt fraudibus, ac usuris manifestis -- Opportune Daniel Concina De justitia & jure lib. 3. dissert. 3. cap. 22. §. 5. num. 3.. Assecuratio, de qua in præsenti, cavet ab omnibus periculis tum extrinsecis, tum intimis mercaturæ usque ad negotii consummationem. Cavet a periculis terræ, maris, diminutionis pretii, difficilis venditionis, mercium corruptionis: a periculis infidelitatis famulorum, vel emptorum, qui decoctores fiant. *Quis prudens*, clamat Concina ibidem cap. 21. §. 6. num. 2., *nisi sit necessitate habendæ pecuniæ coactus, similem præstabit, aut præstabit unquam assecurationem!* Si ita clamavit Concina, dum ipse tradens assecurationem petit, & exigit a socio minori: quid dicam ego in hac hypothesi, in qua ponitur, quod ipse accipiens assecurationem offerat, & exoptet! Contractus societatis jam hic supponitur initus. Non ergo necessitas eundem potest compellere ad hujusmodi assecurationes offerendas. Casus iste profecto est pene metaphysicus: quoniam nullus sanæ mentis vir unquam ita operabitur, quum

ex

ex contractu societatis antea inito jam habeat, unde lucrum sperare possit, periculo sortis remanente penes tradentem. Hoc unum, meo saltim judicio, sufficeret ad ostendendum, quod merum inventum hoc est ad labefactandam, si fieri posset, Sixtinam Constitutionem, & ad contractus trini malitiam aliquo modo imminuendam.

Sed propius accedo. Fallitur quisquis putat Sixtinam Constitutionem non comprehendisse hypothesim hanc pene metaphysicam, quam socius minor mentis compos, & integer nunquam adamabit. Utique sub initio casum enarrans ponit, quod ipse socius major, seu tradens, assecurationem postulet ab accipiente. Utique Paragrapho primo contractum sic expositum improbans, illicitum declarans, & usurarium, meminit assecurationis, & pactionis a tradente requisitæ, atque exoptatæ. Sed perge, & consule Paragraphum sequentem, nempe secundum, ita conceptum -- *Sed potius cuncti noverint societates hujusmodi, cum in posterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel industriam confert, pure, sincere, & bona fide, sicut decet, justis & æquis conditionibus, & pactis, secundum juris dispositionem, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut suspicione, ineundas, seu contrahendas esse; ita ut non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem, lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perierit, restituendum socius accipiens teneatur* --. Quid ad hæc fabricatores præsentis hypothesis? Summus Pontifex hic agit de contractu trino in se inspecto, supersedens illo, qui eundem promovet, tradens ne sit, vel accipiens, socius major, vel minor. Si igitur sic indefinite acceptum eundem fieri vetuit, respexit etiam hypothesim, & casum, de quo in præsentia; & iccirco jure merito dixi falli eos, qui arbitrantur, posita oblatione assecurationis facta ab accipiente, contractum non amplius esse in Sixtina Constitutione comprehensum. Addo, quod propositio Facultati Parisiensi exhibita, & paullo antea recitata, indefinita ipsa erat, & unice exprimebat contractum assecurationis adjectum contractui societatis, ne verbum quidem habens, an hæc assecuratio promoveatur a tradente, vel ab accipiente. Et nihilominus eandem declaravit falsam, scandalosam, & inducentem ad usuras committendas. Nihil igitur malitiæ contractui trino detrahit, quod assecuratio offeratur ab accipiente: vel saltim hoc non adeo malitiam imminuit, ut societatem non destruat, & contractum reddat a fœnore liberum.

Ratio est evidens. Adhuc in hac hypothesi verificatur, quod alter lucrum tantum, alter damnum sentiret. Ergo adhuc esset ea leonina societas, de qua L. *Si non fuerint* §. 2. ff. *Pro socio* -- *Aristo refert, Cassium respondisse, societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret: & hanc societatem leoninam solitum appellare* -- [Cave,

ve, ne credas Patronis contractus trini, dum, pro ipsorum opinione stabilienda, ex §. 1. hujus legis hæc verba producunt -- *Ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit, Cassius putat* --. Præterquamquod eodem Paragrapho lata verba exponuntur & emolliuntur, ipsemet Cassius Paragrapho sequenti secus constituit, & secus constituendo improbat quod præcedenti Paragrapho dixerat, sicuti ostendunt ipsius Cassii verba ex Aristo nunc recitata. Leges produci debent integræ, non truncæ, non mutilæ: & præsertim quum ex hac, vel illa lege pendet summa totius veritatis, & controversiæ, sicuti in præsenti] Adhuc in hac hypothesi verificatur, quod per assecurationem adjunctam destruitur contractus societatis, & tradens fit simplex mutuator. Adhuc accipiens fieret solus dominus sortis. Adhuc ibi esset turpis inæqualitas inter socios; hic enim subiret omne periculum, ille vero haberet solum lucrum. Atqui nihil ultra sortem licite recipi potest ex mutuo: nihil licite potest quis lucrari ex re non sua: nihil licite potest accipi, dum in contractibus non servatur æqualitas. Ergo adhuc tradens usurarius esset, & injustus.

Peto: si mutuatarius ipse a mutuatore peteret mutuum, & eidem sponte offerret, sponte promitteret solvere lucrum ratione mutui: posset ne tunc mutuator licite recipere lucrum, quin coram Deo & hominibus amplius censeretur, & fieret usurarius? Doctores immunem quidem dicunt a peccato mutuatarium, dum ita operatur necessitate ductus, & alium reperire non potest gratis mutuo dantem. Sed uno ore, unoque consilio mutuatorem adhuc usurarium declarant, cum onere restituendi omne lucrum sic acceptum: quin ipsi vel minimum proficiat, quod ab altero requisitus mutuum præstitit adjecta conditione lucri ultra sortem. Idem ergo dic in præsenti: quia tum mutuator hic, tum tradens sortem in societatem, de quo in hypothesi, rem adhuc agerent in se vetitam, in se illicitam, in se usuræ labe pollutam.

Repones forsan hic, me ponere tanquam certum id, quod adhuc sub judice est: nempe quod contractus trinus in se inspectus sit fœneratitius: quum notum omnibus sit nonnullos Doctores catholicos, eosque non infimi subsellii, etiam post Sixtinam Constitutionem eundem velle ab usura omnino liberum.

Quid ad impugnatores contractus trini de hac opinione, quam Benedictus XIV. nuper laudatus conceptis verbis dixit minus congruere Sixtinæ Constitutioni: quam Facultas Parisiensis falsam absolute declaravit, & scandalosam? Non posui duntaxat contractum trinum in se inspectum illicitum esse, & usurarium; sed insuper brevibus id probavi, idque etiam invicte, & fuse probant quotquot eundem non licere merito contendunt. Si, quia unus vel alter scriptor, conquisitis distinctionibus, præcisionibus, & hujus generis aliis, nonnullas etiamnum

tuetur

tuetur propofitiones ab Ecclefia catholica profcriptas, habendæ effent hæ tanquam licitæ, & non improbæ; actum effet de qualibet ferme cenfura in hac parte ab Ecclefia jam inufta. Valeant ergo fuper hac re præcifiones, diftinctiones valeant. Contractus trinus etiam in fe, & nude infpectus reducitur ad mutuum verum, propriumque. Non igitur eundem reddit licitum, quod affecurationes offerantur ab accipiente, & ipfe tradens primo eas non poftulet, non exigat, atque in pactum adducat.



SECUN-

SECUNDUS ARTICULUS, ac ultimus præsentis Considerationis est de soccida animalium: pro cujus introductione tria sunt notanda.

(1) HIc contractus recte definitur a Colleto Institut. De contractu societatis art. 2. -- *Conventio duorum, vel plurium, quorum alii certum quemdam animalium numerum in societatem conferunt, alii vero hæc animalia servant, & pascunt, ut ex fructibus lucrum percipiant* --. Societates animalium etiam respicit Constitutio Sixti V. *Detestabilis*, de qua jam pluries: quum sub initio ipsius scriptum sit -- *Nam multi ..... pecunias suas, aut alias res societatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis dant in societatem, sive ad soccidam, ut vocant* --. Quod ergo ab eodem Pontifice sancitum diximus, & demonstravimus circa societatem pecuniæ, vel mercium, id omne constitutum pariter dici debet de societate animalium.

Primum, quod quando in soccida, & in aliis contractibus ratio mutui immiscetur, si ratione ipsius mutui fiat in illis potior conditio præstitoris, quam mutuantis ab illo, semper pro tanto est ibi usura, pro quanto ob rationem mutui veri, vel interpretati sit potior conditio præstitoris.

(2) Immisceri posse rationem mutui in quolibet contractu, res est manifesta: non ita quod idem omnino contractus sub eodem respectu sit mutuum & societas, mutuum & locatio, mutuum & commodatum; quoniam si mutuum, ergo non societas, non locatio, non commodatum: sed ita quod pecuniæ in societatem traditæ alia adjungatur mutuata eidem personæ, cum qua contrahitur societas, duplicem simul & semel contractum edendo, unum societatis, alterum mutui: vel quod apponantur conditiones, ob quas contractus sub alio nomine initus transeat in mutuum verum, aut interpretatum. Recte igitur dicit Author in hisce casibus conditionem tradentis non posse fieri meliorem propter mutuum adnexum, & immixtum: quia tunc ratione mutui aliquid reciperetur,

 ul-

ultra sortem absque justo titulo, quod omni jure est vetitum, sicuti superius ostendi.

Secundum, quod in soccida aliquando duo contractus concurrunt, scilicet societatis, & locationis. Propterea qui vult discernere, quando soccida sit licita, vel non, duo consideret. Primo, quod est formale in vera societate pecuniæ positæ: quia verum est, quod ille, qui dat pecuniam ad veram societatem mercatori, tenetur periculum fortuitum totius capitalis in se retinere. Hoc intelligo secundum quod declaravi in præcedentibus articulis. Secundo, considerare debet quod est formale in ipsa locatione, scilicet quod locans retinet in se periculum casuale rei locatæ. Si igitur in soccida periculum remaneat apud dantem, tunc usura non potest esse. Posset tamen injustitia aliqua ibi inveniri ex parte dantis, vel etiam recipientis.

(3) Isthæc doctrina, quam Author accepit a S. Bernardino Serm. 40. sub initio, non videtur statuere discrimen societatem inter & locationem: quia sicuti in societate tradens pecuniam, vel animalia, generaliter loquendo remanet dominus totius sortis, quam tradit in societatem: ita locator dominus totius rei, quam alteri locat. Sicuti in societate si sors ex integro casu fortuito pereat, aut fiat deterior, generaliter tota perit tradenti, ipsique fit deterior: ita prorsus in re locata respectu locatoris. Sicuti demum in societate rem traditam accipiens tenetur de dolo, de culpa lata, & levi, non autem de levissima: ita pari passu de conductore, seu accipiente rem locatam differendum est: quia tum societas, tum locatio est contractus cedens in utilitatem utriusque. Discrimen igitur societatem inter & locationem in hoc constitue: quod in locatione determinatur certa pensio, a conductore statuto tempore solvenda, nil autem certo solvendum ab accipiente determinatur in societate, quæ est ludus sortis, & in qua ponens capitale lucrum expectare debet a fructibus, qui sunt contingentes. Aliud adde discrimen: videlicet quod in locatione animalium conductor habet simplicem usum rei, & non participat de fructibus, si qui enascantur, & prodeant, nisi contrahentes aliter paciscantur; in societate vero sortem accipiens non solum habet usum ipsius, sed etiam de ejusdem fructibus participat plus minusve secundum varietatem negotiorum & personarum. Et alterum, si placet, discrimen adjice: nempe quod generaliter in locatione eadem numero res debet reddi domino; non item in societate, cum pecunia

nia alteri tradatur, ut eam expendat merces emendo, & tradens finita societate jus habeat non ad idem numero, sed ad æquivalens duntaxat.

Tertium, quod quando arbitrio boni viri non percipitur, in quem sit potior, vel deterior pars, tunc nullum ibi potest esse peccatum. Si autem alterius pars esset deterior, tunc prævalens tenetur restituere alteri quod ultra debitam justitiæ æquitatem recepit, cum hoc advertit.

Istis præmissis quæritur: qualiter societas animalium contrahatur?

Respondeo secundum Angelum de Perusio in secunda parte sui Tractatus de societate quæst. 1., quod sex modis.

Primo, quando expresse traduntur gratia societatis contrahendæ, ut dicit Glossa in L. *Si pascenda pecora* C. *De pactis*: vel etiam quando tacite, quia non exprimitur quod gratia societatis tradantur, sed ut sint communia: & tunc pro parte dominium remanet apud tradentem, quia tacite pro alia parte ratione communionis transfertur in illum, cui communicantur L. 1. §. *In societate* ff. *Pro socio*. Et hoc modo etiam contrahitur societas L. *Si tibi rem* §. 1. ver. *Sed si puerum* ff. *De præscriptis verbis*. Et bene facit quod dicit Baldus in dicta L. *Si pascenda*. Et ut circa societatem isto modo contractam res clarior evadat, quatuor casus sunt proponendi.

(4) Societas contrahi potest expresse, & hujus indolis est ille contractus, de quo L. *Si pascenda* C. *De pactis* -- *Si pascenda pecora partiaria* [*idest ut fœtus eorum portionibus quibus placuit, inter dominum & pastorem dividantur*] *Apollinarem suscepisse probabitur, fidem pacto præstare per Judicem compelletur* --. Contrahi item potest tacite, & hujusmodi sunt omnes illi contractus, de quibus L. 1. §. 1. ff. *Pro Socio* -- *In societate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntium sunt, continuo communicantur* --: quoniam statim atque duo vel plures omnia ipsorum bona in commune reponunt, censentur inire societatem. Id intellige de illis bonis, quæ possident, dum societatem ineunt: nam si unus ex sociis post initam societatem aliquid de novo emeret, hoc esset suum, & remaneret proprium, non autem commune sociis, sicuti sancitur L. *Si quis*

societatem eodem titulo -- *Si quis societatem contraxerit, quod emit, ipsius sit, non commune* --, super qua opportune Glossa -- *Quod emit, scilicet post contractam societatem* --. Contrahitur tandem pacto apposito, ut sors reddatur communis, & hunc contractum exprimit §. *Sed si puerum* ab Authore laudatus -- *Sed si puerum docendum, vel pecus pascendum tibi dedero, vel puerum nutriendum ita ut, si post certos annos venisset, pretium inter nos communicaretur*.

Quod ait Author -- *Tunc pro parte dominium remanet apud tradentem, quia tacite pro alia parte ratione communionis transfertur in illum, cui communicantur* --, id intellige quando animalia traduntur æstimata, sicuti Author inferius pro virili parte tuetur, non vero quando sine æstimatione traduntur. Secus sibi ipsi non cohæreret, quum infra doceat tradentem solum semper remanere dominum omnium eorum animalium, quæ inæstimata dantur in societatem. Adde, quod Author ipse in Angelica ver. *Societas secundo* num. 2. eadem verba profert sermonem habens de animalibus æstimatis, & non aliter, atque contendens æstimationem facere venditionem, vel quasi venditionem. Excipe, nisi fiat pactum, quod sic tradita reddantur omnino communia tametsi inæstimata: quemadmodum fieri posse absque ullo usuræ vitio inferius ostendam.

ET PRIMO DE ANIMALIBUS GROSSIORIS GENERIS, quæ diversimode traduntur.

Animalia grossioris generis sunt boves, vaccæ, jumenta, equi, & hujusmodi, quorum fructus regulariter in anno non ascendunt ad valorem matris, ut experientia docet. Hæc aliquando traduntur in soccidam non æstimata, aliquando æstimata, aliquando sine terræ communione, aliquando cum terra, ut L. *Cum duobus* §. *Utrum* ver. *Si in coeunda* ff. *Pro socio*. Tres de ipsis casus proponam.

(5) Inter animalia minuta nonnulla reperiuntur, quorum annuus fructus ut in pluribus ascendit ad valorem matris, immo quandoque hujus pretium excedit: ut in ove, si lana & lac computentur: ut in gallina, si ova computentur & pulli. Id interdum contingit etiam in ipsa vacca, quæ inter animalia grandia recensetur, attento nempe pretio vituli & lactis. Sed Author ait *regulariter*, videlicet, ut plurimum; hoc enim non est specificum discrimen inter animalia grandia, & minuta, seu parva.

Accipe legem hìc ab Authore memoratam, quam integram do, quia inferius ejusdem mentio sæpenumero fiet -- *Utrum ergo tantum dolum*, an

an etiam culpam præstare socium oporteat, quæritur? Et Celsus libro septimo Digestorum ita scripsit: socios inter se dolum & culpam præstare oportet. Si in coeunda societate [inquit] artem, operamve pollicitus est alter, veluti cum pecus in commune pascendum, aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus: nimirum ibi etiam culpa præstanda est: pretium enim operæ artis est velamentum. Quod si rei communi socius nocuit, magis admittit, culpam quoque venire. Damna, quæ imprudentibus accidunt, hoc est damna fatalia, socii non cogentur præstare. Ideoque si pecus æstimatum datum sit, & id latrocinio, aut incendio perierit, commune damnum est, si nihil dolo, aut culpa acciderit ejus, qui æstimatum pecus acceperit. Quod si a furibus subreptum sit, proprium ejus detrimentum est: quia custodiam præstare debuit, qui æstimatum accepit. Hæc vera sunt, & pro socio erit actio, si modo societatis contrahendæ causa pascenda data sunt, quamvis æstimata.

Super hoc verbo *subreptum sit* opportune monet Glossa -- *Scilicet culpa socii interveniente. Et nota, quod quidam sumunt hinc argumentum, quod furtum nunquam sine culpa saltem levissima fieri potest; sed verius contrarium est, ut infra DE FURTIS L. EUM §. IDEM SCRIBIT. Quid enim, si uxor nocte marito surripit, vel potatio sibi datur, cui opium sit immixtum! Et sic nota, quod furtum plerumque culpa fit, sed tamen quandoque contra* --. Hactenus Glossa.

PRIMUS CASUS. Si inæstimata tradita sunt, & sine terra, sciendum, quod aut nullum pactum factum est de capitali, & fructu, aut factum est pactum.

(6) Animalia dicuntur dari inæstimata, quando mentio non fit pretii ipsorum, dum contrahitur societas, nec tunc contrahentes interrogantur, & conveniunt quanti valeant, tametsi sive antea, sive post, alia occasione data, eorundem æstimatio facta sit; præcedens enim æstimatio, vel subsequens, alia occasione sequuta, nihil confert ad contractum, nec in ipsum influit. Dicuntur postmodum dari sine terra, quando principaliter dantur ad quærendos fructus, & ea tradens non imponit accipienti onus colendi fundum aliquem, aut agrum ad se spectantem: tametsi eidem quandoque non vetet aliena colere prædia, & sic quærere lucrum, sive fructum inter socios dividendum, vel non dividendum.

Si nullum, tunc reperio quædam jura extravagantia, & posita inter extraordinaria Capitula Feudorum in fine decimæ Collationis. Rubrica dicit -- *Consuetudo societatis jumentorum* --. Et sic sequitur ad literam in nigro -- *Si*

quis dederit jumentum jure societatis, ille, qui accepit, debet tenere per quinque annos, si nihil dictum est de tempore, & omnes poledri debent esse communes, & id, quod quæsierunt tempore triturationis: & in capite quinque annorum separatur societas: & ille, qui dedit, habere debet jumentum ante partem; sed si ille, qui accepit, dedit tertiam partem pretii in emendo jumentum, secundum Glossam tunc jumenta, & omnia partienda sunt per dimidium: Et si amiserit jumentum culpa sua, quia non bene custodierit, & corium non potuerit ostendere, vel caudam, emendare tunc debet --. Hæc ibi. Est & alia Rubrica -- *Consuetudo societatis vaccarum* --. In nigro sic dicitur -- *Si quis dederit alicui vaccam, ut haberet eam jure societatis, & non dixerit de tempore, debet eam tenere per quinque annos, & omnes vituli debent partiri per medium. Et ille, qui dedit vaccam, debet eam habere pro capite salvo si nihil dictum est, & ille, qui suscepit, non dedit de suo in pretio vaccæ. Alioquin si pretii partem dedit tertiam, dicit Glossa, per ea, quæ supra dicta sunt in jumentis, omnia debent partiri per medium. Et si is, qui accepit, amiserit vaccam culpa sua, quia custodem non misit, vel non bene custodivit, & propter hoc amissa est vacca, quia fures abstulerunt, vel lupus eam comedit, debet emendare socio suo* -- Hæc ibi. Satis ista arbitrio boni viri sunt consona, & consuetudo hoc tenet. Si vero aliter esset consuetudo: tunc aut est æqua arbitrio boni viri, & sic quolibet jure servanda est: quia videtur inter partes actum quod est consuetum L. *Quod si nolit* ff. *De ædilitio edicto*. Aut est iniqua, & tunc de jure civili, si obtenta esset per binum actum in judicio contradictorio, servanda esset, ut dicit Glossa in L. 3. C. *De episcopali audientia*. De jure civili, etsi lex dura, servanda est L. *Prospexit* ff. *Qui & a quibus*: dummodo

modo tantam iniquitatem non contineat, quod abusio potius quam consuetudo dici possit per ea, quæ habentur in L. *De quibus* ff. *De legibus*, & in Cap. *Cum consuetudinis* Extra *De consuetudine*. De jure autem divino, & in conscientia dicta consuetudo non esset servanda: quia in hoc rigor juris Civilis non attenditur, sed justitia, & æquitas Cap. *Plerique* 14. q. 3.. Immo ad restitutionem teneretur ille, qui cum damno socii eam servare vellet. Arbitrari autem bonus vir potest, si æqua sit, aut iniqua, consideratis valore animalium communicatorum, opera socii, fructu eorum, & qui plus posuit, ut dicit textus in L. *Si non fuerint* ff. *Pro socio*; alia enim doctrina certior tradi non potest.

(7) Nullum immotum reliqui lapidem, ut hæc jura, seu Capitula extraordinaria reperirem, & legerem. Consului iccirco nedum juniora, sed etiam Vetustiora Corpora Juris Civilis. Amicorum opera insuper usus sum, qui & ipsi volverunt Codices vetustissimos in variis bibliothecis inventos. Sed irrito semper conatu. Attente pariter perlegi veteres Scriptores bene multos de animalium societate agentes: & quamvis in nonnullis invenerim citata hujusmodi Capitula, sicuti fit ab Authore in Angelica ver. *Societas primo* num. 3.; neminem tamen reperire potui, qui ea ad verbum referret. Spe tandem quasi penitus abjecta, missum ad me fuit vetustissimum Supplementum ad Summam Pisanellam Nicolai nostri de Auximo, & in hoc ver. *Usura secundo* lætus tandem reperi, quod prius improbo labore frustra conquisieram. Ea igitur exhibeo sicuti habentur in Anecdoto, demptis nonnullis verbulis emendatis juxta id, quod legitur in memorato Supplemento.

Consuetudinem multum posse, & habere vim legis, nemo est qui non sciat, quum scriptum sit L. *De quibus* §. 1. ff. *De legibus* -- *Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur, & hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ sunt: merito & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes: Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis! Quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur* --. Binus actus consuetudinem efficit, eamque firmat nedum in criminalibus, ut inquit Glossa ab Authore laudata scribens -- *Nota, quod duæ vices faciunt consuetudinem*.

nem. Sed contra Extra DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS *Cap.* CUM ECCLESIA SUTRINA, *ibi*, NEC AB EO QUOD CLERICI ANTEDICTI *&c. Solum hic in criminalibus; alias non inducunt consuetudinem, nisi præscriptio incideret* --: sed etiam in cæteris, ut statuit altera Glossa ibidem in margine adjecta, quæ habet -- *Concor.* 25. *q.* 2. *cap.* ITA NOS *in principio*, DE POENITENTIA *Dist.* 2. *Cap.* SICUT TRIBUS. *Facit Cap.* VENERABILEM *in Glossa super verbo* EX SUCCESSIONE *Extra* DE ELECTIONE, *ubi dicitur quod binus actus inducit consuetudinem, non distinguendo inter criminalia & civilia* --. Audiamus Glossam hic indicatam -- *Tres successiones continuæ videntur jus successionis inducere; immo duæ: quia binus actus inducit consuetudinem. Arg.* 25. *q.* 2. ITA NOS, *&* C. DE EPISCOPALI AUDIENTIA L. NEMO.

Secundum consuetudinem tamen judicandum non esse, nec operari nos debere, si injusta ipsa est, & iniqua, docemur tum jure Civili, tum Canonico. Jure quidem Civili, nedum quia Constantinus Imperator apud Gratianum cap. *Consuetudinis* 11. dist. sancivit -- *Consuetudinis, ususque longævi non vilis authoritas est. Verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem* --: sed etiam, & præsertim, quia textum habemus expressum L. *Nemo* C. *De sententiis & interlocutionibus* -- *Nemo Judex, vel arbiter existimet, neque consultationes, quas non rite judicatas esse putaverit, sequendum, & multo magis sententias Eminentissimorum Præfectorum, vel aliorum Procerum [non enim si quid non bene dirimatur hoc & in aliorum Judicum vitium extendi oportet, cum non exemplis, sed legibus judicandum sit]: neque si cognitionales sint amplissimæ Præfecturæ, vel alicujus maximi Magistratus prolatæ sententiæ: sed omnes Judices nostros veritatem, & legem, & justitiæ sequi vestigia sancimus* --. Jure etiam Canonico dist. 8. per totam -- *Nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat, quia consuetudinem ratio, & veritas semper excludit* cap. *Veritate* ibidem: & cap. seq. -- *Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est, quod Dominus dicit: Ego sum veritas, & vita. Non dixit: Ego sum consuetudo, sed veritas. Et certe, ut B. Cypriani utamur sententia, qualibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, abolendus* --. Ad rem iccirco Concilium Toletanum quartum coactum anno 633. Can. 8. inquit -- *Perniciosa consuetudo nequaquam est recipienda*.

Scriptum quidem legimus L. *Prospexit* §. 1. ff. *Qui, & a quibus* -- *Quod quidem perquam durum est: sed ita lex scripta est* --. Sed non in idem recidunt lex dura, & consuetudo iniqua. Legem tametsi duram esse servandam, lubens fateor, & præsertim si Jus Civile inspiciatur. Servari autem debere consuetudinem iniquam, attento etiam Jure Civili, omnino

no

no inficior, ut probat Caput *Consuetudinis* proxime recitatum, aliisque compluribus confirmari potest. Ponamus nihilo secius aliquid in Jure Civili reperiri, quo ostendi videatur consuetudinem servandam esse, licet iniquam. Jus Civile corrigendum tunc erit per Jus Canonicum, in quo perpetuo sancitur, legem [consuetudo habet vim legis; *est enim jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur* Cap. *Consuetudo* dist. 1.] debere esse honestati, & justitiæ consentaneam eodem Cap. *Consuetudo -- Lex erit omne jam, quod ratione constiterit duntaxat, quod religioni conveniat, quod disciplinæ congruat, quod saluti proficiat* -- : & Cap. *Erit autem* dist. 4. -- *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.*

Ex hucusque dictis sponte fluit, Authorem merito constituere, quod, si consuetudo invecta super animalium societate ex illis est, de quibus Cap. *Cum tanto* Extra *De consuetudine* -- *Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutiùs infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit naturali juri [cujus transgressio periculum salutis inducit] quacumque consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari* --, tuta conscientia servari ipsa nequit, & ad restitutionem tenetur ille, qui juxta eam operatur cum damno tertii.

Subdit postmodum Author, quod judicio boni viri definiri debet, An consuetudo in casu æqua sit, vel iniqua: & hoc illud idem est, quod sancitur L. *In proposita* ff. *Pro socio*. Sed petes abs me, qui esse debeat hic bonus vir? Quum de re agatur, quam interdum Confessarii perfecte non callent, docti licet, sagaces, scientes mercium pretia, & innumeras negotiatorum artes non ignorantes: arbitror iccirco boni viri nomine hìc intelligendos esse viros nedum in omnium oculis probos, & Deum timentes, sive Clerici ipsi sint, sive laici, sed perfecte instructos de omnibus illis, quæ cum hujusmodi societatibus conjunguntur. Cave tamen, ne eos seligas, qui eandem consuetudinem sequuntur, & opere probant; nemo enim Judex in propria causa L. unica C. *Ne quis in sua causa judicet* -- *Generali lege decernimus, neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere: in re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ* --: quoniam naturali quodam instinctu quisque fertur ad proprias actiones ab omni labe purgandas, & cupido lucri excæcat oculos, mentesque sapientum -- *Radix enim omnium malorum est cupiditas* -- Prima ad Timot. 6. v. 10.

Si vero inter socios sit factum pactum, tunc cum pluribus infinitis modis contractus concipi possint, plura enim sunt negotia hominum quam vocabula L. *Natura* ff. *De*

præ-

præscriptis verbis, si singula pacta, quæ inter dictos socios contrahi possunt, prosequi vellem, rem infinitam tentarem. Et iccirco magis per viam regulæ, quam prosequendo per singulos casus, hujusmodi res declarari potest. Jure Civili videtur, quod pacta facta circa pecora pascenda, & circa eorum fœtus sint servanda L. *Si pascenda pecora* C. *De pactis*. Hoc tamen intelligendum est, dummodo contractus tales sint, quod arbitrio boni viri æqualitatem contineant, considerato capitali ex parte ejus, qui illud posuit, & considerata opera ex parte custodientis, & hujusmodi, per regulam in L. *Si non fuerint* ff. *Pro socio*, quæ vult, ut qui plus posuit plus recipiat, & L. *In proposita* ff. Eodem titulo, quæ vult, quod arbitrio boni viri relinquatur, ut dictum est.

(8) *Natura enim rerum conditum est, ut plura sint negotia, quam vocabula* L. *Natura* ff. *De præscriptis verbis*. Jure igitur ex hac lege infert Author, quod singula pacta recenseri non possunt, & quod præstat quibusdam generalibus veluti regulis rem totam exponere, ex quibus quisque possit cognoscere, quid agendum sit super hac re, quidve vitandum. Quæ ad constituendam æqualitatem hic profert Author deprompta ex L. *Si non fuerint*, jam non semel fuso calamo declaravi Articulo proxime præcedenti. Ne igitur eadem decantare videar, recole quæ ibidem dicta sunt.

Ad hoc clarius intelligendum considerandum est, quod pactum inter dictos socios fieri potest tum circa capitale inæstimatum, quod ponitur in societate, tum circa fructus, tum circa tempus, quo durare debet societas.

Quando fit circa ipsum animal, quod inæstimatum traditur, non videtur posse fieri tale pactum, quod periculum sit alterius quam ejus, qui illud dedit: quia regulariter periculum pertinet ad ipsum, ut dicit Baldus in dicta L. *Si pascenda*. Ut æqualitas servetur, dictum animal in fine societatis debet esse proprium ipsius tradentis. Quodlibet igitur aliud pactum, quod fieret, non esset æquum,

æquum, nec justum; quoniam si unus socius perdit capitale, satis est, quod alter perdat operas suas, ut latius dictum est primo Articulo hujus Considerationis dubio nono, & decimo.

(9) Hujusmodi pactum, quod nempe accipiens subeat periculum totius sortis, expresse fuit vetitum a Sixtina Constitutione, quæ & ipsas animalium societates comprehendit, ut superius ostendi. Vetitum item fuit a Concilio Mediolanensi primo *De usuris* in hæc verba — *In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas præstet, omnes casus etiam fortuiti semper sint periculo ejus, qui dederit, nisi id alterius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit: nec fiat pactum, ut sors sit semper salva etiam ex primis fœtibus* —. Quod postmodum non possit licite fieri, id egregie probat Franciscus Gennettus Tom. 1. tract. 4. cap. 13. q. 1. scribens -- *Ratio autem, cur necesse sit, ut is, qui pecora in societatem confert, subeat periculum sortis principalis, est. Primo, quia contra naturam societatis est, quod lucrum percipiatur ab eo, qui non sustinet periculum sortis, juxta mentem legis SI NON FUERINT §. ARISTO ff. PRO SOCIO, ubi dicitur, societatem injustam esse, cum is, qui damnum sustinet, lucrum non percipit — INIQUISSIMUM ENIM GENUS SOCIETATIS EST, EX QUA QUIS DAMNUM, NON ETIAM LUCRUM EXPECTAT --. Ex quibus verbis sequitur, quod a contrario ille, qui nullum damnum, & periculum subire vult, nullum etiam lucrum sperare debet. Secundo, quia pactum, quo cavetur, ut omne periculum ad unum ex sociis spectet, contrarium est æqualitati, quæ inter socios jure quodam fraternitatis observari debet, & talem contractum usurarium reddit. Tertio, quia dum res datur ea conditione, ut alia similis reddatur, mutuum contrahitur, ut videtur in Lege 2. §. MUTUI DATIO ff. SI CERTUM PETATUR. At ille, qui mutuo dat cum pacto recipiendi aliquid ultra sortem principalem, usuram committit, ut constat ex Can. SI FOENERAVERIS* 14. *q.* 3.

Audio nonnullos dictitare, se pacisci de capitali salvo, seu de omni periculo capitalis imponendo socio accipienti: quia rustici omnia spondent; sed, quum aliena animalia penes se habent, temerarii sunt, & audaces, & sæpe fidem fallunt. Quotidiana experientia docet [inquiunt] quod quando ipsi non subeunt periculum animalium, his utantur pro arbitrio, ea defatigant plusquam par sit, & immoderatis laboribus eadem reddunt deteriora & morti proxima. Coercendi igitur sunt, ipsis imponendo periculum sortis; tunc enim certe secus operantur.

Egregium sane inventum! Verba hæc malitiæ sunt ad excusandas excusationes in peccatis, & hominum timentium ubi non est causa timoris.

ris. Ad tradentem spectat usum animalium adsignare, conditiones præstituere, immoderatos labores excipere. Jure omni potitur tradens solvendi societatem, rescindendi, statim atque rusticus conditiones non servat, & animalibus abutitur in societatem acceptis. Sed omittamus hæc cæteroquin satis apta, ut ostendatur inanes esse recensitas timoris causas, & impia pallia usurarum. Timet tradens, quod rusticus nimium animalia fatiget in damnum sui, cui malo mille modis potest occurrere: & nec hilum timet gravare rusticum onere ipsi per leges indebito, eum reddere deterioris conditionis contra leges societatis, & extremæ inopiæ periculo eundem exponere, si animalia perirent? Non ex prætextibus & technis contrahentium judicanda est justitia vel injustitia contractus, sed ex modo ipso, quo contrahitur. In hoc casu omne periculum esset accipientis, & tradens per omnia esset in tuto, &, quod pejus est, cum æqua spe lucri. Manifesta igitur injustitia ibi est: quin tolli possit per memoratum timorem eo tendentem, ut uni unice prosit, alteri unice noceat.

Sed dices. Tradens animalia compensare potest periculum ipsorum, quod in se recipit rusticus, huic relinquendo majorem fructuum partem, quæ ei non deberetur ratione societatis. In hoc igitur casu vera constitueretur æqualitas, a qua tota pendet justitia contractus.

Præprimis hujusmodi æqualitas potest quidem speculative concipi, sed vix, aut ne vix quidem in praxi exerceri. Habeatur nihilominus, constituatur, si placet. In hoc casu verum adhuc haberetur mutuum, quia totum rei dominium transferretur in accipientem, sicuti contingit in mutuo. Nihil ergo lucri tradens posset licite recipere, quia secus perciperet lucrum ex re non sua, sed alterius, cum lucrum rei pertinere debeat ad dominum ipsius. Opportune quapropter Cardinalis Barberinus sua in Synodo nullas & invalidas hujusmodi societates, quæ societates amplius non essent, declaravit inquiens -- *Li contratti, e compagnie a capo salvo etiam d'animali, cioè riservata sempre la sorte principale per il dante, dichiariamo nulle, ed invalide* --. Finge nihilominus, si ita velis, hujusmodi contractum non reduci ad mutuum verum, propriumque: attamen constanter dicam non posse fieri licite. Ratio in promptu est: quia id in Sixtina Constitutione est expresse prohibitum, nec Christi fidelibus licet eas præstituere pactiones, quas Ecclesia fieri vetuit. Præsertim quum id vetuerit justa de causa, etiamsi casus reducatur ad hypothesim hìc confictam; certum enim adhuc tunc esset, quod ut in pluribus fieret in fraudem usurarum, & quod hisce pactionibus sterneretur via ad quascumque usuras, etiam ingentes, & enormes, velamine societatis obtegendas. Quid multa? Nobis quidem libertas aliqua relicta est iis in rebus, in quibus nihil habemus lege sancitum, uti docemur Extra De transactionibus Cap. final. -- *In his vero, super quibus jus non invenitur expressum, procedas [æquitate servata] semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas, & causas,*

loca,

loca, *& tempora videris postulare* --. At ubi lex est, ubi lex vel determinat quid agatur, vel prohibet aliquid fieri, nullibi invenies, quod homines impune, & licite possint aliter operari. Legi tunc est parendum; secus quæcumque lex, tametsi aperta, tametsi gravissima, sancta, & vitiorum emendatrix, hac vel illa arbitraria conditione, & pactione inventa, irrita redderetur. Vetuit Sixtus V., ne societas fieret, imponendo socio minori periculum totius sortis. Ergo nobis non licet secus agere, atque pacisci. *Indignum est*, ajebat Tullius, Paganus licet, & solo lumine naturali instructus, in Oratione pro Cluentio num. 53., *in ea Civitate*, *quæ legibus teneatur*, *discedi a legibus*.

Sed contra videtur per argumentum a simili: quia, ut ostensum est in præcedenti Articulo, licet ei, qui dedit pecuniam, facere pactum, quod periculum capitalis sit commune, ut tenet Glossa in Cap. *Plerique* 14. q. 3.. Ergo etiam id licet quoad animal in soccidam datum, quamvis inæstimatum.

Respondeo, quod non valet hujusmodi similitudo. Ratio est, quia pecunia, vel res similis ipso usu consumitur, & sic in ipsa societate totaliter exercetur. Sed secus est in animalibus, quæ non sic consumuntur, sed quandoque meliorantur. Unde sicut melioramentum pertinet ad dantem, sic & debet pertinere periculum L. *Secundum naturam* ff. *De diversis regulis juris*. Ex hoc infer, quod non licet socio, qui animal inæstimatum posuit, pacisci, ut de primis fructibus suum capitale possit detrahere.

(10) Aliud sane est, quod accipiens pacto adigatur ad periculum totius capitalis in se recipiendum; & aliud est, quod periculum capitalis, lege apposita, reddatur commune. Primum semper est vetitum, semper usurarium. Secundum nec posse licite fieri, si sermo sit de animalibus, hic docet Author, idemque repetit in Angelica ver. *Societas secundo* num. 3.. Secus tamen ipse arbitror quoad hoc ultimum. Quare ita sentiam, in causa est ipsamet Sixtina Constitutio; hæc enim utramque societatem comprehendit, pecuniæ scilicet, & animalium: & postquam sancivit ea, quæ servari debent secluso pacto, generaliter excepit -- *Nisi socio recipienti fuerit communicatum* --, nullum discrimen præstituens inter unam & alteram societatem. In causa est Benedictus XIV., qui de Synodo Diœces. lib. 10. cap. 8. num. 2. licitum dixit contractum collaticum hac pactio-

ne

ne adjecta confectum. En ipsius verba -- *In nonnullis Diœcesibus frequentes sunt contractus, vulgo nuncupati collatici, qui sunt hujusmodi. Pro quolibet bove terram arante tradito bubulco, seu colono, solvitur domino bovis certa portio frumenti, hac tamen adjecta lege, ut, si bos naturaliter moriatur, damnum sit domino & bubulco commune; si vero pereat culpa ejus, cui traditus est, is totum damnum subeat. Hic contractus, de quo fuse Clericatus in Miscellan. decis. 30. per tot. invaluerat in Diœcesi Amerina, & quia poterat primo aspectu aliquam usuræ suspicionem ingerere, ut eam eluerent providi Episcopi Amerini, illum Theologis sedulo discutiendum commiserunt: cumque ab his accepissent, usuræ flagitio vacare, contractum, uti antea consueverat, etiam in posterum fieri permiserunt* --. In causa denique est Sacra Congregatio Concilii, quæ super hoc eodem casu consulta, quæsito exhibito -- *An contractus, de quibus agitur, vulgo collatici, sint liciti in casu* &c.-- Respondit in una *Amerina Visitationis* die 16. Decembris 1730. -- *Affirmative, dummodo pacta apposita in contractibus sint justa, & correspectiva ad formam SS. Canonum* --, ut legere est in Thesauro Resolutionum Tom. 5. pag. 83., 84. Romanæ editionis 1745., quæ prostat Venetiis: & præcipuum pactum in hoc contractu est, quod damnum sortis sit commune, commune periculum. Hæc quum ita sint, æquum est, ut respondeam objectis ab Authore productis. Ad primum iccirco, quod nempe pecunia usu consumitur, usu autem non consumuntur animalia: dico, quod in prima societate merces succedunt loco pecuniæ, ejusque vices gerunt. Merces autem usu non consumuntur; adeoque non est, rei extantiam quod spectat, inter merces & animalia discrimen. Ad secundum: quod scilicet animalia meliorantur, & præstantior horum status pertinet ad tradentem: dico in justo contractu societatis animalium, statim atque damnum & periculum redditur commune, secus esse agendum, & incrementum debere pariter esse commune, sicut commune fit decrementum, quemadmodum sanxerunt Episcopi Amerini, de quibus infra, & ipse inferius etiam dicam expendens contractum societatis, dum animalia traduntur æstimata. Firmum igitur remanet, quod pactum, de quo in præsenti, sicuti fieri licite potest in contractu societatis pecuniæ, ita etiam licite potest fieri in contractu societatis animalium: dummodo sive in uno, sive in altero contractu fructus ita distribuantur, ut arbitrio boni viri ea habeatur æqualitas, sine qua societas usuraria censetur, aut saltim injusta.

Adjicit Author, tradentem non posse pacisci, quod de primis fructibus suum capitale exigat, & recipiat. Et hoc idem audisti expresse improbatum, & vetitum a Concilio Mediol. primo paullo antea recitato. Optima est ratio, quam in medium profert Author in Angelica ver. *Societas secundo* num. 3. in fine scribens -- *Et ex prædictis patet, quod ille, qui dat animalia inextimata cum pacto, quod de primis fructibus capitale suum*

detra-

detrahat, illicite facit, & tenetur restituere quidquid accepit in gravamen alterius socii. Nam socium in hoc gravat, quia operas, & expensas, quas fecit, si statim extracto valore capitalis periret ipsum capitale, amitteret: & sic ipse esset in tuto, & alter socius in periculo. Sed pone, quod non perit, sed cum tempore multum lucratus est alter socius: ad quam restitutionem tenebitur prædictus? Respondeo, quod ad tantum, quantum arbitrio boni viri extimabitur periculum perditionis operarum, & expensarum, quas perdere poterat --. Super hoc ultimo casu ab Authore hìc exposito, arbitror, quod non sit æqua compensatio adducta, nisi jactura sequentibus annis suppleatur, quo in sensu forte locutus est Author. Eo primo anno socius minor nedum se exposuit periculo perdendi operas, & expensas, sed reipsa easdem amisit. Tradens igitur animalia eidem debet restituere lucrum, quod pro illo anno ipsi debebatur jure societatis. Lucratus quidem fuit sequentibus annis qui accepit animalia. Sed quid tum? Lucrum hoc annis sequentibus respondet, seu operis & expensis exhibitis post primum annum. Pro hoc ergo primo anno gravatus remanet, & compensari debet ad ratam lucri, quod eo anno obvenit, ipsique ex vera & justa societate debebatur.

Hæc omnia, quæ dixi, scilicet quod periculum pertinet ad tradentem, nec licet facere pactum in contrarium, intellige, nisi tradens in aliquo gravaretur: puta cum recipiens nollet teneri de perditione animalium, si hæc culpa sua eveniret, nisi in parte, quum teneatur in totum L. *Cum duobus* §. *Utrum* ver. *Si in coeunda*, & §. *Damna* ff. *Pro socio*: quia tunc secus esset; nam qui in uno gravatur, debet in alio levari dicta L. *Secundum naturam*.

(11) Hic casus omnino singularis est. Jura omnia clamant in contractibus societatis accipientem teneri ex dolo, ex culpa lata, & etiam levi, non autem ex levissima, ut perspicue ostendi Articulo proxime præcedenti. Teneri, inquam, de tota sorte, ad compensandum scilicet ære proprio integrum capitale, si ipsius dolo, vel culpa pereat. Sed accipiens, de quo in casu, legi huic alioqui æquissimæ se subjicere detrectat. Quid igitur agendum? An ne pacisci, quod in quocumque eventu subeat periculum totius capitalis propter casum hunc singularem, cujus expresse non meminit Sixtina Constitutio? Nequaquam. Præterquamquod ipsam fugit probabilitatis umbram, quod qui non vult subire periculum dum debet, & est in culpa, ipsum subire velit in casibus etiam fortuitis in quibus ad id nulla lege adstringitur: hoc esset graviorem adamare improbitatem ad evitandam leviorem. An ne convenire, quod damnum sit

com-

commune, si sors ipsa pereat, sive culpa socii id contingat, sive absque ipsius culpa: quemadmodum Author hic fieri posse non dubitat? Non video, quod ibi usura reperiatur, aut injustitia: dummodo accipiens portione fructuum compenset tradentem super periculo huic indebito de damno communi sortis, si hæc pereat culpa recipientis. At numquid recipiens id præstabit? Quis credat! Consultius itaque agetur, si cum hujus consilii viris nulla ineatur societas. Semel atque æquissimis legibus obtemperare nolunt, animum non ostendunt catholicum, neque se præbent eos bonæ fidei viros, quos postulat vera societas L. *In proposita* ff. *Pro socio*. Rejiciantur ergo, & societas cum aliis ineatur animo paratis obtemperare legibus, & opere probantibus, se in custodiendis animalibus libenti animo eam velle adhibere diligentiam, quam exigit societas bonæ fidei, & quæ ipsis ex lege injungitur sub pœna compensationis ære proprio.

Quando fit pactum circa fructus, sive fiat circa fœtus, vel lac, vel frumentum, vel aliud, quod quæri possit ex opera boum, vel ex trituratione equorum, & hujusmodi, si conforme sit justitiæ, vel consuetudini, servandum est. Si vero non constat de consuetudine, & arbitrio boni viri æqualitatem continet, etiam tunc servandum est, dummodo ille, qui plus posuit, plus habeat.

Quando demum fit pactum circa tempus, quo durare debet societas, tunc pariter servanda est æqualitas arbitrio boni viri. In animalibus grossis talis societas consuescit durare quinquennio, ut patet per jura extravagantia supra posita. Non videtur ergo tutum, contrahere pro tempore longe majori, vel minori, præsertim in foro conscientiæ, quia id vix contingit sine damno alterius sociorum.

(12) Nihil invenio lege præstitutum super hac re, neque Civili, neque Canonica, si jura demas ab Authore memorata. Si tempus nimis longum est, damnum affert accipienti: cum animalia plurium annorum spatio reddantur deteriora, & proinde minus apta ad labores subeundos, edendosve fructus. Si sit plus æquo brevius, damnum affert utrique; quia nec unus nec alius socius tam cito compensari potest. Natura animalium pensetur, & ille præfiniatur annorum numerus, quo neutri sociorum fiat injuria.

SECUNDUS CASUS est, quando animalia grossa traduntur sine terra, sed æstimata. Tunc periculum casus fortui-

ti

ti est inter socios commune, ut dicitur L. *Cum duobus* §. *Damna* ff. *Pro socio*, & tenet Baldus in L. *Si pascenda* C. *De pactis*.

Nec mirum, quia tunc æstimatio facit emptionem L. *Æstimatæ* ff. *Soluto matrimonio*: & perinde est, ac si ille, qui dat prædicta animalia, mutuam præstitisset socio medietatem pretii, & socius posuisset aliam medietatem, & animalia ab ipsis duobus communiter essent empta, & sic in societatem posita: quo in casu quilibet pro rata teneretur de periculo, quando periculum evenit sine culpa alterius sociorum. Nam, si dolo, vel culpa alterius evenit, illius solum erit periculum, cujus culpa contingit L. *Cum duobus* §. *Damna* ff. *Pro socio*. His concordat Antonius de Butrio.

Baldus tamen in L. 1. C. *Pro socio* distinguit dicens: quod aut periculum evenit casu fortuito sine culpa alterius, & in hoc concordat cum Antonio de Butrio. Aut evenit ex natura; & tunc dicit, quod periculum solum erit dantis, quamvis dederit animalia æstimata: quia sic etiam penes eum erant moritura. Nec in contractibus non ordinatis ad transferendum dominium æstimatio facit emptionem, ut L. *Cum duobus* §. *Damna* ff. *Pro socio*, & L. 3. ff. *Locati*, & L. *Cum manu sata* §. 3. ff. *De contrahenda emptione*, ubi dicitur -- *Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cujus dominio id agitur, ne ad emptorem transeat: sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus*.

Sed, salvo meliori judicio, hoc non videtur probari per allegata, nec est ratio diversitatis. Immo cum melioramenta etiam naturalia in hoc casu communicentur, ut L. *Si non fuerint* ff. *Pro socio*, conveniens quoque est, ut pericula similiter dividantur. Nec valet quod dicit, quod

æstimatio non facit emptionem in contractibus non ordinatis ad transferendum dominium. Immo facit, ut patet in locatione per dictam L. 3. ff. *Locati*. Quapropter indistincte tenendum est, quod periculum sit commune, nisi culpa alterius provenerit. Et hoc intelligo, nisi expresse aliud conventum sit dicta L. *Cum manu sata*: vel nisi ex consuetudine aliud inducatur, cum, ut dictum est, intelligatur actum, quod est consuetum L. *Quod si nolit* §. *Quia assidua* ff. *De ædilitio edicto*. Et quod æstimatio in casu inducat emptionem, argumento est L. *Æstimatæ* ff. *Soluto matrimonio*.

(13) Hic est celeberrimus ille contractus, in quo, ut verbis utar Petri de Ubald. *De duobus fratribus* part. 5. q. 26. num. 29, totus fere mundus versatur. Decisio ipsius pendet ex vi æstimationis: Utrum videlicet æstimatio faciat venditionem, vel quasi venditionem, vel nihil prorsus efficiat, & unice apponatur prudentis cautionis ergo, si culpa recipientis animalia perirent. Sed quis poterit invicem pugnantes componere Doctorum sententias? Joannes Pontas ver. *Societas* casu 18. vult, quod æstimatio faciat venditionem -- *His addendum secundum legis dispositionem* L. *ÆSTIMATÆ* ff. *SOLUTO MATRIMONIO æstimationem pro venditione valere -- ÆSTIMATIO VENDITIO EST* L. *PLERUMQUE* § 5. ff. *DE JURE DOTIUM*. *Dominium autem rei venditæ transfertur in emptorem. Quam ob causam accipiens rem in æstimationem solus subit pericula. SI ÆSTIMATA RES DATA SIT, habet alia lex* [ff. *COMMODATI* L. *SI UT CERTO* §. 3.] *OMNE PERICULUM PRÆSTANDUM AB EO, QUI ÆSTIMATIONEM SE PRÆSTATURUM RECEPIT* --. Idem repetit casu sequenti scribens -- *Dicitur etiam venditio, quum secundum leges æstimatio sit venditio, hoc est ei aliqua ratione æquipolleat; quo in casu dans solum potest percipere pretium pecorum sine ullo alio quæstu* --. Pro eadem sententia stetit Franciscus Gennettus; hic enim agens de societate animalium in responsione ad tertiam quæstionem scripsit -- *Constat enim ex iis, quæ superius dicta sunt, quod, dum æstimata dantur animalia, nihil ex illorum fructibus recipi potest* --. Et clarius in responsione ad quæstionem quintam -- *In traditione animalium æstimatorum transfertur dominium in accipientem, qui non tenetur ad restituenda eadem animalia, sed tantum similia, & ejusdem qualitatis & quantitatis* --. Ejusdem demum opinionis fuit, ut veteres omittam, Sylvestrum puta ver. *Societas secundo* num. 1. aliosque, Colletus in suis Institutionibus De societate animalium in responsione ad primum casum ibi propositum inquiens -- *Et certe talis con-*

tractus vel est mutuum, vel venditio. Si mutuum, usura est manifesta ex eo lucrum percipere. Si venditio, quam aestimatione fieri dicunt leges, venditor nihil ultra aestimationem percipere debet -- Author, ut vides, arbitratur quidem aestimatione fieri emptionem, sed hanc non extendit nisi ad dimidium sortis, cum velit periculum reddi commune, uti sancitur ff. *Pro socio* L. *Cum duobus* §. *Damna*, quam legem jam integram dedi annotatione quinta proxime praecedenti. Immo & hanc opinionem prae caeteris adamavit in Angelica ver. *Societas secundo* num. 2. Idem quoque ante Authorem nostrum scripserat Nicolaus de Auximo in Supplemento jam pluries memorato ver. *Usura secundo*, cujus verba inferius ex integro recitabo. Tertiam nunc opinionem accipe, quam exhibet & sequitur Bonacina cum aliis *De contractibus* disput. 3 q. 6. punct. 5. num. 6. scribens -- *Si tradit oves aestimatas simpliciter, non censetur inire contractum venditionis, sed societatis: nam illa aestimatio simpliciter praemittitur, ut, si animalia culpa, vel dolo socii pereant, socius teneatur ad illorum restitutionem, non vero si pereant absque ipsius culpa; res enim domino perit. Idem in simili tenet Reginaldus De contractu commodati, & Azorius in eodem contractu, & Molina De commodato tract. 2. disp. 295. num. 9.* --. Quartam opinionem possem adjicere, Boni scilicet Merbesii in suo Tractatu de mutuo & usura, observatione secunda in Statuta Concilii Mediolan. primi, qui scripsit, quod, si animalia traduntur simpliciter aestimata, aestimatio censetur unice facta, ut si socii minoris dolo, vel culpabili negligentia animalia pereant, ille ipse socius aestimationis pretium restituere teneatur. Si vero aestimata traduntur, ut innocens socius ea teneatur restituere, etiamsi absque ipsius culpa intereant, tunc aestimatio facit venditionem, & dominium transfertur in recipientem. Sed quum nihil novi haec opinio constituat; iccirco unice expendam tres primas modo recitatas.

In tanta opinionum varietate & discrepantia nihil deberem ipse constituere, quum propositi mei duntaxat sit Authoris doctrinam explanare. Liceat nihilominus & mihi, quid in hac re sentiam, aperire. Postremam sententiam arbitror non posse caeteris anteponi; leges enim decernentes aestimatione fieri venditionem, vel quasi venditionem, adeo perspicuae sunt, nihil ut magis. Nec quicquam probat L. *Cum manu sata* ff. *De contrahenda emptione* §. 3., ubi dicitur -- *Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cujus dominio id agitur, ne ad emptorem transeat* --: qua fretus S. Bernardinus Serm. 40. art. 1. cap. 3. tertium casum expendens sentire visus est in casu, de quo nunc, aestimatione non fieri venditionem. In hac lege non agitur de re aestimata, sed unice de sylva cedua vendita: & inquiritur, an glans decidens venditoris sit, vel emptoris: & definitur eam, quae decidit ante caesionem arborum, esse venditoris; eam autem, quae reperitur in arboribus, dum caeduntur, esse emptoris. Nihil igitur

 con-

confert ad contractum, de quo in præsentia, quum hìc agatur de re æstimata, & inquiratur, utrum æstimatio adjecta contractui venditionem efficiat, nec ne. Hoc præhabito, duæ primæ opiniones supersunt, quarum prior textui innititur expresso L. *Si ut certo* §. 3. ff. *Commodati* -- *Et si forte res æstimata data sit, omne periculum præstandum ab eo, qui æstimationem se præstaturum recepit* --: posterior vero textum quoque habet apertum L. *Cum duobus* §. *Damna* ff *Pro socio* -- *Ideoque, si pecus æstimatum datum sit, & id latrocinio aut incendio perierit, commune damnum est, si nihil dolo, aut culpa acciderit ejus, qui æstimatum pecus acceperit* --. Verum enim vero, quum super lege pro priori sententia adducta, & signate super verbo *periculum* adnotet Glossa -- *Idest omnem culpam, vel idest periculum per culpam omnem proveniens* --: quum Glossa sibi constans, super L. *Plerumque* ff. *De jure dotium* §. 4., ubi scribitur -- *Secutis igitur nuptiis æstimatio rerum perficitur, & fit vera venditio* --, ita moneat -- *Vera quoad periculum, non quoad omnia* --: quum demum hæ leges, aliæque his similes, quas illius sententiæ Patroni solent adferre, de societate animalium non agant, sed de rebus aliis ab ea prorsus diversis: puto iccirco posteriorem sententiam, pro qua stat Author, magis esse legi consentaneam. Lex enim *Cum duobus* §. *Damna*, quam sententia hæc profert, de animalibus signate agit, & quidem in societatem traditis. Et ipse igitur sententiam Authoris obsigno: quod videlicet, si animalium æstimatio fiat, dum traduntur in societatem, hæc æstimatio secundum jura sit quasi venditio, & per eam periculum fiat commune, commune damnum. Sententiam hanc nedum amplexatus est Episcopus Amerinus anno 1587., sed opportunam eam censuit ad contractum vulgo collaticum in tuto ponendum. En quod refertur in *Amerina Visitationis* jam laudata annotatione decima proxime præcedenti -- *Requisitus idem Episcopus, ut transmitteret unum aliquod hujusmodi contractus, vel stipulationis exemplar; respondet, stipulationes vulgo Polise ibi valde diversas esse, prout diversæ sunt paciscentium voluntates; loco vero ipsarum transmittit exemplar Decreti prolati ab Episcopo De Lazaris ejus Prædecessore de anno* 1587. *pro moderatione talium contractuum, & ab Universitate acceptati, quo non aliter permittuntur hujusmodi contractus, quam sub sequentibus conditionibus. Primo, quod boves æstimentur pro integro anno, quo durante nec socius major, idest Dominus repetere valeat, nec socius minor restituere, nisi de communi consensu utriusque partis. Secundo, quod in fine anni, si societas dissolvatur, debeant denuo animalia æstimari, & decrementum communi damno, prout incrementum communi lucro cedere debeat. Tertio, quod commune sit damnum, si bos naturaliter, vel divino judicio moriatur; si vero culpa socii minoris, ejus damno in totum periisse dicatur. Et quarto, quod socius major pro collatico, seu mercede, non plus quam octo quartas frumenti recipere possit pro quolibet bove bono, ac mercantili* --.

Et,

Et, quod pluris facio, Sacra Congregatio Concilii, cui hoc Decretum fuit exhibitum, ipsum non improbavit; immo, respondendo *Affirmative* quæsito exposito, idem cum omnibus suis conditionibus videtur approbasse. Concludo igitur sententiam Authoris esse cæteris anteponendam tanquam legi magis consentaneam, & a Sacra Congregatione Concilii non improbatam. Præ oculis tamen semper habeas, quod in hoc contractu, ut immunis sit tum ab usura, tum ab injustitia, nedum periculum capitalis debet esse commune, sed commune pariter sit oportet tum incrementum, tum decrementum ejusdem, ut expresse secunda conditio ab Episcopo Amerino apposita.

Audio in nonnullis locis hunc contractum ita fieri, quod commune quidem sit periculum sortis, commune incrementum, commune pariter ejusdem decrementum: sed quod finita societate socius major, nempe dominus habeat pro se integrum capitale, si supersit. Verum utique est, quod de hac re Episcopus Amerinus altum servavit silentium in suis conditionibus: immo quod Author ipse in hoc eodem casu loquens de fructibus supponere potius videtur, totam sortem in fine societatis esse domino reddendam. Verum pariter est, quod æstimatio facit venditionem quoad periculum, non quoad omnia, ut paullo antea dixi cum Glossa. Nihilo tamen minus, quum instar regulæ nobis sit quod legitur L. *Manifestissimi* §. *Sed tum in secundam* C. *De furtis & servo corrupto* -- *Ubi enim periculum, ibi & lucrum collocetur* --: censerem id non posse fieri. Socius minor, seu accipiens participat in casu de periculo sortis, si pereat. Participet ergo etiam de sorte, si supersit; aliter contra legem expressam modo productam ubi esset periculum, ibi non esset lucrum.

Forte dices id fuisse pactione sancitum inter contrahentes. Et ego respondeo non posse fieri pactiones contra legem; secus possent etiam convenire de integro capitali salvo in favorem tradentis contra Sixtinam Constitutionem, quod est absurdum, & ab omnibus improbandum.

Forte dices, quod nimium gravaretur socius major, si aliter fieret, & præsertim si societas uno duntaxat duraret, vel altero anno. Et ego respondeo, quod æque, & forte magis gravatur socius minor plerumque pauper, & inops; nam etiam eo brevi tempore animalia possunt interire in grave ejusdem detrimentum. Si hæc lex socio majori videtur dura, tradat is animalia inæstimata, & tunc tota sors ad ipsum redibit, ut superius ostendi.

Forte dices id fieri, ut compensetur socius major, qui integrum capitale tradidit: quum lucrum, quod ex animalibus percipitur, soleat esse exiguum ad differentiam lucri provenientis ex negotiatione in societate pecuniæ, quod persæpe est maximum, & brevi tempore sortem ipsam excedens, eamque duplicans iterum iterumque. Et ego respondeo compensationem hanc, si quæ facienda est, quod firmiter non adsero, non debere fieri ex eo, de quo quid agendum sit jam fuit lege sancitum, sed

ex eo duntaxat, quod lex reliquit arbitrio boni viri, aliis nempe ſocietati adnexis. Libertas, ut dixi annotatione nona proxime præterita, relicta nobis eſt in iis; in quibus jus non habetur expreſſum; non autem in his, in quibus lex ipſa præfinivit quid fieri debet, quidve vetari; tunc enim parendum eſt legi, nec nobis licet contra ipſam aliquid operari, aut paciſci. Bonus igitur vir penſato capitali, quod totum emitur a ſocio majori: penſato periculo, quod media æſtimatione fit utrique commune; penſata qualitate operarum & induſtriæ: penſatis denique expenſis, tempore, & hujus generis aliis ſocietati adnexis: judicet quid debeatur uni, & quid alteri: firmo tamen ſemper manente, quod periculum & lucrum ſortis ſit commune, commune incrementum pariter & decrementum. Rem hanc in hunc modum magis magiſque confirmo.

Æſtimatio certe æquivalet pacto, quo contrahentes inſimul conveniunt, quod periculum capitalis ſit commune, nulla facta mentione lucri ſortis. Ergo in hoc pacto etiam ſors cenſeri debet facta communis, textu expreſſo Inſtitut. *De ſocietate* §. *Illud -- Illud expeditum eſt, ſi in una cauſa pars fuerit expreſſa, veluti in ſolo lucro, vel in ſolo damno, in altera vero omiſſa: in eo quoque, quod prætermiſſum eſt, eandem partem ſervari --*. Hac lege freti Doctores uno conſilio conſtituunt quod docuit Aſteſanus lib. 3. tit. 12. circa quintum inquiens -- *Si autem in ſocietate contrahenda aliquid exprimatur de lucro, idem tacite dictum videtur de damno, & e converſo, Inſtitut. eod. §. ILLUD; eadem enim debet eſſe ratio contrariorum. Arg. ff. DE LEGATIS 3. L. ultima. Et hoc eſt verum de damno, quod caſu contingit --*. Peto interim abs te. Si contrahentes convenirent, vel foret lege ſancitum, quod capitale eſſet commune, ſeu commune lucrum ſortis ſorte ſuperſtite, nulla facta mentione de periculo; periculum in hoc caſu cenſeri ne deberet etiam commune, ſicuti commune factum eſt lucrum ſortis? haud dubie: & hoc tum propter legem expreſſam modo recitatam, tum propter Doctores omnes id aperte docentes, ut dixi: quia ſecus non ſervaretur æqualitas. Paritate rationis igitur idem dicamus oportet, dum per legem, vel per pactum, periculum ſortis factum eſt commune, & de ejuſdem lucro nihil fuit expreſſe ſancitum: eadem quippe debet eſſe ratio contrariorum.

Pro hac doctrina ſtetit Author loquens de ſocietate pecuniæ; Articulo enim præcedenti reſpondens quarto dubio ſcripſit verſus finem -- *Quia ſi in fine ſocietatis nihil inveniretur niſi capitale ſolum, tunc hoc ipſum divideretur ſecundum quod pactum factum eſt de periculo; idem enim pactum, quod factum eſt de damno, intelligitur de lucro & e converſo --*. Pari igitur modo dicendum eſt, & ſtatuendum in ſocietate animalium, quod ſic oſtendo. Ubi eadem ratio, ibi idem jus cap. *Translato* Extra *De conſtitutionibus*. Eadem eſt ratio pro utraque ſocietate, ut patet; ergo idem jus pro utraque debet conſtitui; & iccirco quod de una ſocietate dicitur, neceſſe eſt, ut de altera pariter intelligatur. ...

Huic

Huic doctrinæ accessit Sixtus V. in sua Constitutione §. 2., dum dixit -- *Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur: nisi socio recipienti fuerit communicatum* --. Arbitratur hic Summus Pontifex in qualibet societate sive pecuniæ, sive animalium, de qua ipse indistincte loquitur, capitale communicari posse socio minori, seu utrique socio fieri commune. Id porro fit, dum periculum capitalis redditur commune, ut nunc demonstravi leges producendo apertissimas hoc ipsum evincentes: quia non potest communicari lucrum, nisi communicetur etiam periculum, & e converso. Firmum igitur tene, quod, si per legem æstimationis periculum sortis redditur commune, per binas leges hic memoratas, immo per legem æquitatis, commune etiam tunc redditur lucrum sortis.

Recte postmodum contra Baldum docet Author, quod periculum commune esse debeat, sive casu fortuito, sive naturaliter animal moriatur: & hoc expresse decrevit Episcopus Amerinus in tertia conditione jam recitata -- *Tertio, quod commune sit damnum, si bos naturaliter, vel divino judicio moriatur* --. Profecto Lex *Cum duobus* §. *Damna* ff. *Pro socio* id non exprimit; sed nihilominus ex ipsa eadem lege paritate rationis legitime infertur.

Ex his patet, quod si fiat pactum, quod periculum non sit commune non erit licitum in conscientia, nisi, ut in præcedenti casu dictum est, alter eorum gravaretur in aliquo.

(14) Vide, quæ dixi hac de re annotatione undecima proxime præcedenti.

Circa fructus vero, & tempus, quo societas durare debet, eodem modo licet pacisci in hoc casu, in quo æstimata traduntur, sicuti licere diximus in præcedenti casu, quando dantur inæstimata; ita tamen ut æqualitas servetur arbitrio boni viri. Nam, dum traduntur æstimata, non videtur, quod fructus debeant per medium partiri, si alter eorum posuit operam: quia hic plus posuit. Et ideo attendendum est, si opera potest fieri per minores, & pupillos, quorum operæ non sunt in magna æstimatione, licet aliquæ tales sint L. final. §. fin. ff. *De liberali causa*: vel si recompensatur per lacticinia, & hujusmodi: & de palea, seu de fœno, quod dat ad comeden-

dum, ut sic arbitrio boni viri, qui plus ponit, tantum reportet, ut dicta L. *Si non fuerint*.

(15) En legem finalem hic ab Authore indicatam -- *In eum, qui impubes juraverit, scilicet qui & jurare potuerit, danda est utilis actio operarum nomine, cum pubes tamen factus erit: potest tamen & impubes operas dare: veluti si nomenclator sit, vel hystrio*.

Semper tamen præ oculis habeatur, quod rusticus, qui animalia sic æstimata recipit, perinde est ac si mutuo haberet a dante medietatem valoris, ex qua nihil ultra sortem licet accipere Cap. *Consuluit*, & Cap. *In Civitate* Extra *De usuris*. Attente iccirco consideretur, quod respectu principalis, seu capitalis tantum ponit rusticus in societatem, quantum alter socius.

(16) Iisdem pene verbis rem hanc gravissimam exposuerat, & absolverat ante Authorem nostrum Nicolaus de Auximo in Supplemento jam laudato ver. *Usura secundo*. Eundem, si placet, audiamus -- Si autem dicta animalia extimata traduntur, tunc periculum casu fortuito inter socios est commune L. *Cum duobus* §. *Damna* ff. *Pro socio*. Et tenet Baldus in dicta L. *Si pascenda* C. *De pactis*. Aliqui tamen distinguere videntur, quia aut est damnum fortunæ, & procedat quod dictum est: aut damnum naturæ, idest quod procedit ex natura, & hoc pertineat solum ad tradentem animalia. Sed certe hoc jure probari non videtur. Nec est ratio diversitatis; immo cum melioramenta etiam naturalia hoc casu communicentur ut dicta L. *Si non fuerint*: conveniens est, ut similiter pericula dividantur. Nec mirum, si hoc casu fit talis communicatio: quia extimatio introducit emptionem etiam in contractibus, in quibus de sui natura non transfertur dominium, puta in locatione ff. *Locati* L. 3., nisi sit aliud expresse conventum ff. *De contrahenda emptione* L. *Cum manu sata* §. *Nemo*; vel nisi ex consuetudine aliud inducatur, cum, ut dictum est, intelligatur actum quod est consuetum dicta L. *Quod si nolit* §. *Quia assidua* ff. *De ædilitio edicto*. Dicta ergo extimatio introducit in dubio emptionem. Arg. L. *Æstimatæ* ff. *Soluto matrimonio*. Et habetur perinde ac si ille, qui dat dicta animalia, mutuasset socio medietatem pretii, & ipse posuisset aliam medietatem, & communiter ab ipsis fuissent empta. Et ideo non mirum, si quilibet pro rata de periculo tenetur, quando sine culpa alterius sociorum processit; aliter illius solius erit damnum, cujus culpa contigit, ut in dicto §. *Damna*. Circa fructus autem, & tempus, quo societas durare debeat, eadem dicenda sunt, quæ & dicta sunt supra in primo casu, quando inextimata tradun-

duntur, ut scilicet semper æqualitas arbitrio boni viri servetur per jura ibidem allegata. Unde hoc casu postquam quilibet sociorum ponit tantundem respectu pretii animalium, quæ extimata tradita sunt: & socius rusticus plus ponit respectu operarum, & custodiæ, non videtur, quod fructus per medium dividi debeant. Et ait dictus Dominus Angelus. De hoc aliquos dubitare vidi, & putarem arbitrio boni viri conveniri, ut æqualitas servetur; quia si talis custodia, & cura animalium, quam ponit socius rusticus, fiat, aut fieri posset per infantes, & parvulos, quorum operæ non sunt in magna extimatione, licet aliquæ sint, tunc si aliquam utilitatem ex animalibus percipit plus rusticus socius, quam alius, ut fimi, & lutaminis, quæ verisimiliter cum opera pastoris compensari possunt, juste fructus æqualiter dividuntur. Si vero pastoris operæ, quas ponit rusticus, aut poni facit, sive alii sumptus, puta palearum, fœni, & similium excederent commoditatem lutaminis, tunc, ut æqualitas servetur, juste rusticus ante partem aliquid pro pastorali opera recipere debet, quod æquivaleat ei, quod plus ponit dicta L. *Si non fuerint*. Aliter si tradens animalia vellet æqualem portionem, videretur velle pretium mutui facti socio de pretio medietatis sortis, & sic usuram committeret, cum quidquid accedit sorti usura sit 14. q. 3. *Plerique*. Nec hoc casu posset quis per consuetudinem contrariam excusari in foro conscientiæ, cum iniquitatem contineat, & damnum socii, & jacturam, & juri fraternitatis non conveniat, cui societas comparatur L. *Verum* ff. *Pro socio*. Hactenus antiquus ille scriptor.

TERTIUS CASUS est. Traduntur animalia grossa, sive æstimata, sive inæstimata cum terra: puta communico socio unum par boum, aut vaccarum, ut arare debeat certam quantitatem terræ.

In hoc casu aut inæstimata ea tradidi, & tunc totum periculum pertinet ad me: aut ea tradidi æstimata, & tunc periculum erit commune L. *Cum duobus* §. *Damna* ff. *Pro socio*, nisi dolus, vel culpa alterius processerit. Quando enim traduntur æstimata ut sint in societatem, ille, cui traduntur, pro medietate emere videtur dicta L. *Æstimatæ*. Similiter fructus terræ tunc erit communis: quia unus ponit partem boum & terram, & alter partem boum, & operas. Quando autem traduntur inæstimata, cum, ut præostensum est, totum periculum animalium

per-

pertineat ad dominum, posset dominus, qui ponit animalia & terram, pacisci, ut majorem partem fructus terræ recipiat, quia rusticus tantum ponit operas. Hoc intellige, nisi opera rustici, & ejus industria magis æstimetur quam fructus terræ: quia tunc non solum fructus terræ æquis partibus essent partiendi, sed etiam posset rusticus salva conscientia plus recipere de fructibus terræ per L. *Si non fuerint* ff. *Pro socio*: quod tamen arbitrio boni viri relinquendum est, ut æqualitas servetur, dicta L. *In proposita*.

(17) Ne putes Authorem sibi non cohærere, quamvis paullo antea dixerit, quod fructus terræ partiri non debent ex æquo inter socios; nunc autem doceat, quod debent esse communes. In præcedenti casu loquebatur de animalibus, quæ æstimata quidem traduntur, sed sine terra; in hoc vero de animalibus loquitur, quæ æstimata traduntur, & cum terra. Plus ergo ponit tradens in secundo, quam in primo casu; & iccirco Nicolaus de Auximo loco modo laudato prudens subdit -- *Et si dicta animalia extimata traduntur cum terra, convenit, quod damnum & lucrum sit commune, & fructus æquali parte dividantur, cum unusquisque ponat partem animalium, quæ communicata sunt per extimationem, ut dictum est, & unus ponat terram, & alter æquivalentes ponat operas secundum eundem.*
Cætera, quæ hic habet Author, jam superius semel & iterum declarata sunt.

DE ANIMALIBUS MINUTIS.

QUARTUS CASUS: quando societas contrahitur super animalibus minutis, ut ovibus, porcis, capris, & hujusmodi.

Sic invenitur scriptum in Extravagantibus supra citatis. Rubrica dicit -- *Consuetudo societatis caprarum* --. Sequitur nigrum -- *Si quis dederit capram, aut pecudem jure societatis, ille, qui accepit, debet tenere per tres annos, & in unoquoque anno pro capra debet dare duodecim formaticos bonos, & optimos, pro pecude sex, & medietas capretorum, & agnorum debet esse communis, & medietas lanæ: & ille, qui dedit capram, aut pecudem, ante partem debet eam habere. Et si ille, qui accepit, dedit tertiam, tunc*

omnia

omnia partienda ſunt per medium. Sed ſi ille, qui accepit, amiſerit culpa ſua, quia eam non cuſtodierit, vel pecorile non bene clauſerit; domino tunc emendare debet. Et, ut dictum eſt, bonos formaticos dare debet, ſcilicet non quidem de una munctura: quia, ſi dedit tantum unam pecudem, vel unam capram, non debet mihi dare talem formaticum, qualis poteſt fieri de una munctura tantum, ſed tres, aut quatuor muncturæ inſimul mitti debent, ut bonus formaticus inde fiat. Quod ſi dedi alicui viginti, aut quadraginta pecudes, aut totidem capras, debet ne mittere unam muncturam inſimul, & facere unum formaticum de tota munctura? Certe non, ſed mediæ extimationis, ita quod non fraudetur qui dedit, nec qui accepit. Sed ſi agni, vel capreti nati non fuerint de una aliqua capra, vel pecude, non debet dare niſi medietatem formatici, quem daret ſi nati eſſent agni vel capreti.

Altera Rubrica habet -- *Conſuetudo ſocietatis porcarum* --. Sequitur in nigro -- *Si quis dederit porcam alicui jure ſocietatis, & non fuerit dictum de tempore, tunc is, qui accepit, debet eam tenere per tres annos: & omnes porcelli, qui nati fuerint, partiendi ſunt per medium in unoquoque anno: vel, ſi placuerit Domino, & ei, qui accepit, tenere uſque in capite trium annorum, debent partiri omnia per medium, etiam porcellos natos de porcellis. Et cum porca facit porcellos, debet Dominus facere adjutorium ei, qui accepit, & non debet qui accepit, dare tertiam, aut incontrum. Et ſi amiſerit culpa ſua, quia porcellos non bene clauſerit, vel cuſtodem cum porcis non bene miſerit, debet Domino emendare, vel caſum amiſſionis Domino dicere*. Hæc ibi.

Hæ autem leges conſuetudinariæ arbitrio boni viri conveniri debent, & æquitatem continere, & in foro conſcientiæ ſervari poſſunt ſecundum Angelum de Peruſio in locis,

cis, in quibus talis consuetudo viget. In aliis autem, in quibus de tali consuetudine non constaret, dum talia animalia sive æstimata, sive inæstimata traduntur, ut societas contrahatur: sive aliquod pactum factum fuerit, sive non circa animalia, vel fructus eorum: tenendum est quod supra dictum fuit in primo, & secundo casu circa animalia grossa in soccidam data æstimata, vel inæstimata sine terra, cum sit eadem ratio. Arg. L. *Illud* ff. *Ad legem Aquiliam*.

(18) Et hæc jura, seu capitula extravagantia reperi in Supplemento Nicolai de Auximo jam memorato ver. *Usura secundo;* atque hujus ope supplevi nonnulla verba, quæ deerant in textu Authoris.

Prudenter postmodum Author & hic, & in locis, ad quæ legentes remittit, exposcit arbitrium boni viri; vere etenim scripsit idem Nicolaus ibidem non longe ab initio -- *Non potest tamen dari doctrina generalis super hujusmodi traditionibus animalium propter varietatem traditionum, & dolos, qui a quibusdam super talibus excogitantur* -- . Si quæ super his regula generalis exhiberi potest, unica illa est, quam ipse paullo antea expressit inquiens -- *Et nota generaliter, quod, quando communis est condiditio, licitum est. Secus ubi melior videtur conditio unius, quam alterius.*

Secundo contrahitur societas, quando dominium animalium non transfertur, & animalia non communicantur, sed sola custodia committitur pretio aliquo dato, vel recepto. Tunc dicitur contractus locationis, & conductionis L. *Si merces* ff. *Locati conducti:* & facit L. *Non solet*, & L. *Qui mercedem* ff. eodem titulo, & L. *Naturalis* ff. *De præscriptis verbis*. Hic adverte, quod aut tradens dicta animalia recipit aliquid, puta pro bobus ut arent, vel pro pecudibus, ut stercorizent, & hujusmodi. Aut recipit aliquid ille, cui traduntur, pro mercede custodiæ. Aut convenitur, quod opera animalium, vel stercorizatio habeat locum mercedis. Omnes isti tres modi considerari possunt, ut in simili dicit textus de servo L. 1. §. *Si quis servum* ff. *Depositi;* qua de causa tradens animalia dicitur nunc conductor,

nunc

nunc locator; his enim vocabulis promiscue utimur L. *Veteres*, & L. seq. ff. *De actionibus empti & venditi*. In omnibus istis tribus casibus resultat contractus locationis, cujus natura est, ut res aliqua locetur, aut conducatur ad aliquid faciendum, sicuti in supradictis tribus casibus patet, non vero ad fructificandum, & ideo fructus & periculum pertinent ad dominum rei locatæ L. *Item si pretio* §. 1., & 2. ff. *Locati*. Fructus boum, si hi meliores reddantur: itemque fructus vaccarum, vel pecudum, sicut lac, lana, & hujusmodi, sunt domini, ad quem etiam spectat periculum, si fortuito contingat L. *In judicio* C. *De locato*, & L. *Ex Conducto* §. 1., & L. *Si quis domum* §. 1., & §. *Imperator*, & L. *Si merces* §. *Conductor* ff. *Locati*. Si autem periculum eveniat dolo, vel culpa unius ex contrahentibus, tunc pertinet solum ad istum, ut dictis juribus probatur. Imperitia custodis, qui pro custodia mercedem recipit, culpæ adscribitur, & de ea custos ipse tenetur L. *Si quis domum* §. *Celsus* ff. *Locati Conducti*. Qui enim custodiam alicujus rei recipit accepta mercede, tenetur de culpa levissima L. *Qui mercedem*, & L. *Si merces* §. *Qui Columnam* ff. *Locati*. Et quia hic contractus locationis, & conductionis est contractus bonæ fidei, ut Institut. *De actionibus* §. *Actionum*; hinc est quod merces debet esse justa & congrua, & arbitrio boni viri conveniri L. *Si in lege locationis* ff. *Locati*; & ideo si hæc plus vel minus excederet, teneretur ad restitutionem qui recipit illud plus.

(19) Dubio procul quum res alicui traditur vel ad aliquem usum, vel ad simplicem custodiam, mercede data vel accepta, contractus locationis est L. *Si merces* ff. *Locati conducti* -- *Si merces promissa sit generaliter alieno arbitrio, locatio & conductio contrahi non videtur. Sin autem quanti Titius æstimaverit, sub hac conditione stare locationem, ut si quidem ipse, qui nominatus est, mercedem definierit, omnimodo, secundum ejus æstimationem, & mercedem persolvi oporteat, & conductionem ad effe-*

ctum

ctum pervenire. Sin autem ille vel noluerit, vel non potuerit mercedem definire, tunc pro nihilo esse conductionem quasi nulla mercede statuta --. Ex hac lege infer, quod non habetur locatio, ubi merces constituta non est -- *Quæ enim locatio est* [ait L. *Si convenerit* in fine ff. *De communi dividundo*] *cum merces non intercesserit?* Locator semper retinet dominium rei locatæ, textu aperto L. *Non solet* ff. *Locati* -- *Non solet locatio dominium mutare* --; & icciteo periculum pertinet ad ipsum, non ad conductorem, textu pariter aperto L. *In judicio* C. *De locato* -- *In judicio tam locati, quam conducti, dolum, & custodiam, non etiam casum, cui resisti non potest, venire constat* --. Excipe, nisi contrahentes aliter servata æqualitate convenerint, sicuti monui, ubi de tertio Articulo secundæ Considerationis annotatione 24.

Tres postmodum contractus locationis, de quibus hic Author, ex illis sunt, quorum meminit L. *Item si pretio* §. 1. ff. *Locati* -- *Quoties autem faciendum aliquid datur, locatio est* --; & icciteo iisdem competit quod §. 2. ibidem scribitur -- *Cum insulam ædificandam loco, ut sua impensa conductor omnia faciat, proprietatem quidem eorum ad me transfert, & tamen locatio est; locat enim artifex operam suam, idest faciendi necessitatem* --. Ne credas tamen in contractu locationis fructus nunquam pertinere ad conductorem: quoniam, si locatio fiat non ad faciendum, & ad custodiam, ut in præsenti, sed ad fructificandum, ut dum quis agrum locat, aut vineam, fructus eo in casu sunt conductoris, dummodo pensionem solvat mutuo consensu in locatione conventam. Placet adjicere, quod conductor rem sibi locatam potest alteri locare, nisi secus in locatione fuerit præstitutum, textu expresso L. *Nemo* ff. *De locato* -- *Nemo prohibetur rem, quam conduxit, fruendam alii locare, si nihil aliud convenit* --: Et tunc præ oculis haberi debet, quod L. *Si in lege* §. 1. ff. *Locati* fuit sancitum -- *Si colonus locaverit fundum, res posterioris conductoris domino non obligantur, sed fructus in causa pignoris manent, quemadmodum essent, si primus colonus eos percepisset*.

Imperitiam custodis habere rationem culpæ, textu docemur aperto L. ab Authore laudata -- *Celsus etiam imperitiam culpæ adnumerandam libro octavo Digestorum scripsit, si quis vitulos pascendos, vel sarciendum quid, poliendumve conduxit, culpam eum præstare debere, & quod imperitia peccavit, culpam esse: quippe ut artifex, inquit, conduxit* --. Et brevius Regula 132. ff. *De diversis regulis Juris antiqui* -- *Imperitia culpæ adnumeratur* --. Excipe, nisi locator ipse sponte eligat custodem, quem scit esse minus peritum, vel ut minus persolvat pro custodia animalium, vel ut eidem indigenti hac via subveniat. *Scienti, & consentienti non fit injuria neque dolus* -- Regula 27. juris in Sexto.

Quod postmodum custos teneatur de culpa etiam levissima, sicuti scribit Author, id non probat L. *Qui mercedem* ita concepta -- *Qui mercedem*

dem accipit pro custodia alicujus rei, is hujus periculum custodiæ præstat --. Et quamvis id exprimat L. *Si merces* §. *Qui columnam*, recole quæ super hac eadem re dixi Articulo proxime præterito annotatione nona, & fateberis cum Glossa superlativum pro positivo ibi fuisse usurpatum. Quum locatio ex illis contractibus sit qui cedunt in favorem utriusque, communis est Doctorum sententia, conductorem teneri de culpa lata, & levi, non autem de levissima. Posset tamen dici, quod conductor in hoc casu tenetur de culpa etiam levissima non ex vi locationis, sed quia mercedem accipit pro custodia. Audiamus Authorem ipsum in Angelica ver. *Locatio* num. 23. rem hanc egregie exponentem -- *Adverte, quod, quando quis mercedem accepit pro custodia, si sumus in contractu, in quo solum tenebatur de culpa lata, ut in deposito, sic acceptio mercedis pro custodia faciet, ut teneatur de levi, & sic intellige cap. BONA FIDES, DE DEPOSITO*, & L. 1. §. *SI VESTIMENTA* §. *Depositi*. *Si vero sumus in contractu, in quo tenetur de levi culpa, sicuti in locato, sic acceptio mercedis pro custodia rei locatæ faciet, ut teneatur de levissima: & sic loquitur, & intellige L. QUI MERCEDEM, & L. DOMINUS prædictas. Quod bene nota pro solvendis multis contrarietatibus.*

Accipe nunc duas leges ab Authore postremo loco indicatas -- *Actionum autem quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti juris. Bonæ fidei sunt hæ: ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio* &c.

Si in lege locationis comprehensum sit, ut arbitratu domini opus adprobetur, perinde habetur, ac si viri boni arbitrium comprehensum fuisset: idemque servatur, si alterius cujuslibet arbitrium comprehensum sit: nam fides bona exigit, ut arbitrium tale præstetur, quale viro bono convenit: idque arbitrium ad qualitatem operis, non ad prorogandum tempus, quod lege finitum sit, pertinet, nisi idipsum lege comprehensum sit.

Tertio contrahitur societas, quando animalia traduntur, & dominium ipsorum in totum transfertur in recipientem cum pacto, quod meliorentur, & sic meliorata communicentur. Hic contractus dicitur innominatus, & competit actio, quæ vocatur *præscriptis verbis* L. *Si tibi rem* §. *Sed si puerum* ff. *De præscriptis verbis*, & quæ ejusdem naturæ est cum contractu innominato L. *Naturalis* ff. eodem titulo, & Glossa ibidem. In hoc casu pretium animalium sic datorum, si vendantur, debet esse commune, ut dicta L. *Si tibi rem*. Idem de fructibus dicit Glossa ibi-

ibidem, quod nempe communicari debeant per L. *Si pascenda* C. *De pactis*. Periculum pariter debet esse commune, sicuti communis est utilitas L. *Mucius* ff. *Pro socio*. Et cum hic contractus innominatus magis assimiletur contractui societatis, quam locationis, licet dominium transferatur, ideo circa periculum, & utilitatem ipsorum animalium, & fœtus, & fructus eorum, dici possunt ea, quæ supra in duobus primis casibus primi modi societatis dicta sunt. Si autem melioramentum non sequatur, videtur quod res integra restitui debeat Domino, quasi causa data, & non sequuta, & sic sine causa fuerit accepta, ut ff. *De condictione causa data, causa non secuta*, & *De condictione sine causa* per totum: nisi sine causa recipientis, vel pertinentium ad eum res perierit, aut deterior facta sit, cum bonæ fidei possessor non teneatur, nisi in quantum factus est locupletior sive ex re principali, sive ex fructibus, sicuti L. *Utrum* ff. *De hæreditatis petitione*.

(70) Contractus alii sunt nominati, innominati alii. Nominati dicuntur illi, qui non sistunt in generali nomine contractus, vel pactionis, sed transeunt in proprium, seu specificum nomen ipsis in jure attributum, ut emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, commodatum, & hujusmodi. Innominati censentur illi, qui proprio, & specifico nomine carent, sistentes in generali nomine contractus, & pactionis. Reducuntur hi ad quatuor species, sicuti docemur L. *Naturalis* sub initio ff. *De præscriptis verbis*, videlicet: Do tibi, ut des: Do, ut facias: Facio, ut des: Facio, ut facias. Contractus, de quo in præsenti, tametsi quandam habeat speciem societatis, societas tamen certe non est; pugnat enim esse societatem, & omne rei dominium transferri in accipientem L. *Si tibi rem* §. 1. eodem tit. -- *Quia nemo societatem contrahendo rei suæ dominus esse desinit* --. Opportune igitur Glossa super hoc verbo *desinit* -- *In totum; in partem autem desinere potest, ut supra pro socio L.* 1. §. *In societate* --. Id expressim adseruit Nicolaus de Auximo loco laudato inquiens -- *Tertio traduntur animalia, ita quod totum dominium transferatur in accipientem sic, quod per eum meliorata postmodum communicentur. Et isto casu non est contractus societatis, nam per societatem nemo desinit esse dominus in totum rei traditæ*.

Lex *Si tibi rem* proxime memorata olim erat posita tanquam lex distin-

ſtincta a ſequenti lege *Si tibi areæ*, & ab antiquis unaquæque citabatur ſub ſua ſpecifica litera initiali. Sed nunc quidquid ſub iiſdem reperitur, citatur ſola lege *Si tibi rem*, quia ex iſtis duabus una facta eſt.

Actio præſcriptis verbis ex contractibus innominatis deſcendit, ubi ſcilicet civilis cauſa ſubeſt ſufficiens ad actionem introducendam. Et cum negotium non cadit in certum, & ſpeciale nomen contractus, nec cauſa hujuſmodi actionis exprimitur; ſed hæ actiones exprimuntur ſic, do ut des, facio ut facias, facio ut des. Ex quibus naſcitur actio præſcriptis verbis nominata, alias civilis. Ita Vocabularium utriuſque juris. Ad rem iccirco Lex ſecunda ff. *De præſcriptis verbis -- Nam cum deficiant vulgaria, atque uſitata actionum nomina, præſcriptis verbis agendum eſt.*

Hujuſmodi contractum arbitror non eſſe licitum. Non diffiteor quidem contrahentes ita poſſe convenire, ut omne rei dominium transferatur in accipientem, ſicuti contingit in empto, & in mutuo: quum id expreſſe legatur L. *Si tibi areæ* §. 1. ff. *De præſcriptis verbis -- Sed ſi forte puerum dominii tui fecero, idem ſe, quod in area, dicturum: quia dominium deſinit ad primum dominum pertinere --*. Sed cum hoc componi certe non poteſt, quod pretium animalium remaneat commune, dum venduntur, commune periculum, commune lucrum; hæc enim communia fiunt, dum omne dominium non eſt translatum in accipientem, ut ſubdit eadem lex -- *Ergo, ſi quis areæ dominium non tranſtulerit, ſed paſſus ſit te ſic ædificare, ut communicaretur vel ipſa, vel pretium, erit ſocietas.*

Licitus eſt nihilominus hic contractus, ſi intelligatur ſicuti debet intelligi. Senſus ergo contractus eſt, quod animalia tradantur translato integro dominio in accipientem, cum hoc pacto, quod meliora reddantur, & meliori conditione ſecuta tunc fiant communia, tunc contrahatur ſocietas, & per hanc omnia tum communia ſint, lucrum nempe, damnum, & fructus. Ita hunc exprimit Nicolaus de Auximo ibidem, qui ejuſdem declarationi finem imponit ſcribens -- *Si vero melioramentum ſecundum conventionem ſecutum fuerit, res communicari, & contractus ſocietatis contrahi debet --*. In ſui igitur initio hic eſt contractus innominatus; & quia tunc totum dominium translatum eſt in accipientem, ad ipſum ſolum eo tempore pertinent fructus, & periculum, ſicuti jura omnia clamant. Sed quum ex pacto, ſi ſequatur effectus, animalia communicari debeant; hinc fit, quod tandem tranſeat in contractum ſocietatis, per quem omnia poſtmodum fiunt utrique ſocio communia.

Concludit Author, quod, ſi animalia ad meliorandum data ſunt, & non inde ſequitur præſtantior eorum ſtatus, tunc ex integro debeant domino reddi: quia cauſa non ſecuta, ob quam fuere tradita. Sed hic adjice, quod eo in caſu, ſtatim atque in meliorem ſtatum animalia redacta non ſunt culpa ipſorum animalium, non culpa paſcentis, reſarciendum eſt damnum, quod paſſus eſt recipiens ea alendo, & cuſtodiendo,

ficuti infertur ex L. *Si pecuniam* fub initio ff. *De condictione causa data causa non secuta* -- *Si pecuniam ideo acceperis, ut Capuam eas, deinde parato tibi ad proficiscendum conditio temporis, vel valetudinis impedimento fuerit, quominus proficisceteris: an condici possit, videndum. Et, cum per te non steteris, potest dici repetitionem cessare. Sed cum liceat pœnitere ei, qui dedit, procul dubio repetetur id, quod datum est: nisi forte tua intersit, non accepisse te ob hanc causam pecuniam. Nam si ita se res habeat, ut, licet nondum profectus sis, ita tamen rem composueris, ut necesse habeas proficisci: vel sumptus, qui necessarii fuerunt ad profectionem, jam feceris, ut manifestum sit, te plus forte, quam accepisti, erogasse, condictio cessabit. Sed, si minus erogatum sit, condictio locum habebit; ita tamen ut indemnitas tibi praestetur ejus, quod expendisti* --. Excipe, nisi recipiens aliquid lucri perceperit ex animalibus, quo expensæ factæ compensentur.

Quarto focietas contrahitur fecundum vulgarem appellationem, quando datur equa, vel afina ad cooperiendam eam equo. Et quia hic contractus dicitur etiam innominatus, iccirco datur actio *præscriptis verbis* dicta L. *Si tibi rem* eodem titulo. Sic habet textus in Extravaganti fupra citata. Rubrica dicit -- *Consuetudo societatis jumentorum* -- Nigrum ita habet -- *Si quis dederit jumenta cooperienda equo alicujus, omnes poledri debent esse communes nati in illo anno de jumentis illis, partiendique sunt secundum consuetudinem. Et ille, cujus sunt jumenta, debet partiri poledros, & mittere electionem illi, cujus est equus: utrum velit accipere poledrum, an accipere partem pretii* --. Hæc ibi.

Ubi autem conventio facta non effet, confuetudo loci foret fervanda. Ubi vero de confuetudine non appareret, ad arbitrium boni viri recurrendum eft, maxime ad exonerationem confcientiæ, ne quis cum aliena jactura aliquid lucretur: quia teneretur ad reftitutionem L. *Nam hoc natura* ff. *De condictione indebiti*.

(21) Si alteri das equum, vel taurum, ut eo utatur ad cooperiendum, eft contractus locationis, ficuti fcribit Sylvefter Prieras in fua Summa ver *Societas secundo* num. 2. -- *Quia*, inquit, *idem est dare equum, ut quis eo utatur ad iter, & dare taurum, ut quis eo utatur ad fœcundationem*

tionem vaccarum --. Si vero equas, aut vaccas adducis ad dominum equi vel tauri, ut cooperiantur mercede soluta, erit contractus innominatus, ut docet Author, scilicet do ut facias. In utroque contractu curandum vehementer est, ut merces, quæ præstituitur, justa sit, non autem nimia: quia L. *Nam hoc* ff. *De condictione indebiti* -- *Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*.

Quinto societas large loquendo contrahitur, quando animalia traduntur æstimata, ut commodum, & incommodum sit recipientis: & tunc resultat contractus emptionis & venditionis. Arg. L. *Æstimatæ* ff. *Soluto matrimonio*. Et ideo tradens animalia nihil aliud potest petere, quam pretium ipsorum; aliter esset usura Cap. *Consuluit*, & Cap. *In civitate* Extra *De usuris*: nisi emptor animalium fructus percepisset ex animalibus emptis, & moram traxisset in solvendo pretium: quoniam tunc tanquam interesse posset petere partem fructuum L. *Curabit* C. *De actionibus empti & venditi*, quod etiam locum habet in foro conscientiæ, ut tenet Glossa in Cap. *Conquestus* Extra *De usuris*.

(22) Ne credas ob solam æstimationem ab Authore hic commemoratam omnia fieri recipientis. Quum Author supra, ubi de secundo casu, totus fuerit, ut ostenderet accedente æstimatione periculum animalium reddi commune: ut sibi cohæreat, dicamus necesse est, ipsum hic supponere, quod æstimationi adjiciatur alterum pactum, quo totum periculum transferatur in accipientem, & hic solus fiat dominus animalium: vel saltim id virtualiter innuere verba ipsa in casu posita, quod nempe commodum & incommodum pertineant ad recipientem.

Quod subdit Author de emptore, qui est in mora ad solvendum, & interim percipit fructus, jam superius fuse declaravi, agens de tertio verbo definitionis usuræ. Jura omnia tum civilia, tum canonica, jura omnia lucrum permittunt tanquam interesse, quando scilicet venditor damnum patitur, quia conventum pretium non accepit tempore præstituto.

Sexto contrahitur societas sine ullo pacto, nec apparet, quomodo animalia rustico sint concessa, præsertim mortuis jam principalibus, qui ipsa dederunt, & acceperunt. Cum hic res sit dubia, servanda est consuetudo, nam in dubio il-

illud, quod consuetum est, inter partes censetur actum L. *Quod si nolit* §. *Quia assidua* ff. *De ædilitio edicto*, & L. *Si prius* §. *Recte placuit* ff. *De aqua & aquæ pluviæ arcendæ*. Si autem non constat de consuetudine, in dubio præsumitur contractus innominatus L. 2. ff. *De præscriptis verbis*: quo casu de dictis animalibus, & de fructibus ipsorum dicendum est, sicuti dictum fuit supra de prima societate contracta in duobus primis casibus secundum Angelum de Perusio, a quo hæc omnia extraxi de societate animalium, de qua ipse tractatum edidit.

Ego autem puto, quod, ex quo non constat quid actum sit, totum remitti debeat arbitrio boni viri, sicuti Cap. *De causis* Extra *De officio & potestate Judicis delegati*, & L. *Si non fuerint* ff. *Pro socio*, ut unicuique detur quod sibi debitum est L. *Justitia* §. *Juris præcepta* ff. *De justitia & jure*. Et propterea qui tradidit animalia, illa recipiat cum omnibus fructibus, & accessionibus, illis exceptis, quæ sine culpa recipientis deperditæ sunt: cum dicta animalia fuerint tradentis, nec appareat, quod dominium in alium fuerit translatum. Arg. L. *Fructus* ff. *De diversis regulis juris*. Receptori tamen animalium fiat congrua compensatio juxta mensuram sumptuum, & sui laboris: & hoc actione *mandati*, ex quo per mandatum, seu impositionem Domini animalia pascenda suscepit, ut L. 1. ff. *Mandati*: vel saltem actione *in factum*, seu *præscriptis verbis* L. 2. ff. *De præscriptis verbis*.

(23) Solvitur certe societas nedum contrahentibus omnibus e vivis sublatis, sed uno solo decedente Institut. *De societate* §. 5. -- *Solvitur adhuc societas etiam morte socii: quia qui societatem contrahit, certam personam sibi eligit. Sed & si consensu plurium societas contracta sit, morte unius socii solvitur, etsi plures supersint: nisi in coeunda societate aliter convenerit* --. Nec hæres jus habet ad societatem prosequendam, nisi hæc mutuo sociorum consensu iterum firmetur L. *Nemo* ff. *Pro socio* -- *Nemo potest societatem hæredi suo sic parere, ut ipse hæres socius sit:*

sit: in haeredem autem socii proponitur actio, ut bonam fidem praestet.

Quum societas non sola intentione, & mentis cogitatione ineatur, sed opere, & factis pene publicis: quum socii bonae fidei scripto mandare soleant, immo debeant, quidquid operantur, & quod persolvunt, & quod accipiunt, & quid uni vel alteri socio jure societatis rependunt: sociis vita functis, vel uno ipsorum sublato, ex rebus in antecessum gestis facile quis potest cognoscere, quod genus societatis inierant. Diligenter igitur eo in casu haec omnia, & his similia perpendantur. Et, si ex accurata ipsorum indagine planum fiat, quae species societatis fuerat inita, secundum hanc judicanda res est: nec cuiquam licet unam societatem prae alia ponere, quia tunc hoc non potest praestitui sine hujus, vel alterius injuria.

Pone nihilominus, quod quacumque indagine ab haeredibus adhibita id nequeat certo deprehendi. Aequissimum tunc est Authoris judicium: videlicet quod, si non agatur de societate ea in patria consueta, & pene communi, tunc requiratur arbitrium boni viri. Generalis regula est utroque jure firmata, quod in rebus omnibus tum civilibus tum criminalibus, ubi de lege non constat, ubi lex nihil sancivit, arbitrio Judicis, vel boni viri ex integro relinquatur Cap. *De causis* §. 1. Extra *De officio & potestate Judicis delegati -- Illis etiam, qui pro causis tibi commissis ad citationem tuam venire, aut tuo super his parere judicio neglexerint; si tale fuerit negotium, quod certa exinde poena in Canonibus exprimatur, eandem infligas; alioquin ipsos pro delicti qualitate, & causae secundum tuum arbitrium punire procures --*. Bonus igitur vir, prae oculis habens quod scriptum est L. *Justitia* §. 1. ff. *De justitia & jure -- Alterum non laedere, suum cuique tribuere --*, judicabit in hoc casu, quid ab haeredibus praestandum erit, recipiendum, aut erogandum. Putarem postmodum bonum virum non teneri ad judicium uniee ferendum secundum ea, quae hic ab Authore producta sunt; posse immo rem componere juxta communiorem societatis speciem, ut capitale sit tradentis, fructus vero servata aequalitate dividantur. Hoc ipsum cognovit Author ipse; & iecirco in Angelica ver. *Societas* secundo num. 10. disjunctive dixit -- *Censebitur contractus societatis, & per omnia fiet de fructibus, & reliquis, sicut jus societatis exigit, vel saltem fiet receptori animalium debita compensatio secundum exigentiam sumptuum, & laboris sui.*

Ex praedictis consurgit optima praesentis Articuli declaratio, ita ut possit intelligi qualiter animalia tradantur, & quomodo super ipsis contrahatur societas, quidque agendum sit. Item sternitur via non solum ad intelligendos casus societatis licitae, vel illicitae, quos posuit S. Bernardinus, sed etiam alios quoscumque, qui possunt contingere: Utrum

nempe liciti sint, vel illiciti. Quatuor primi casus, quos posuit S. Bernardinus, & licitos esse dixit, sunt hujusmodi.

PRIMUS CASUS. Habens viginti capita ovium init societatem cum alio habente totidem, & communicant ad invicem oves, periculum, emolumentum, & expensas: & ultra hoc quandoque paciscuntur simul, quod de earum fructibus capita morientia reparentur, vel alia emantur ad augmentum gregis.

(24) Hunc casum exhibet S. Bernardinus Serm. 40. art. 1. cap. 1., & adjicit -- *In hoc vero casu, quia nulla intervenit ratio mutui, non potest esse usura; quamvis, si in hujusmodi pactis alterius conditio potior esset, vel deterior, tunc ibi vitium injusti pretii esse posset* --. Deterior fieret conditio unius præ alio, si oves uni soli concrederentur, vel aliter unus præ alio gravaretur. Dubio procul custodia est pretio æstimabilis, & pro ea a consocio compensari deberet, ut servaretur æqualitas.

SECUNDUS CASUS. Petrus dat Joanni centum oves in soccidam cum pacto, quod Joannes ipse habeat medietatem de ovibus in principio, in medio, & in fine, dummodo Petrus retineat periculum casus fortuiti.

(25) Hic contractus innititur legi illi jam sæpenumero recitatæ Institut. *De societate* §. 2. -- *Nam & ita coiri posse societatem non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit: quia sæpe opera alicujus pro pecunia valet* --. Dum Author ait *medietatem de ovibus* &c., aut intelligit solos fructus, aut etiam ipsam sortem. Si solos fructus, plana res est juxta legem hic productam. Si vero etiam ipsam sortem, tunc hujus periculum debet esse commune, quemadmodum sancitur eodem tit. *De societate* §. 3. -- *Illud expeditum est, si in una causa pars fuerit expressa, veluti in solo lucro, vel in solo damno, in altera vero omissa: in eo quoque, quod prætermissum est, eandem partem servari*.

TERTIUS CASUS. Petrus dat Joanni in soccidam viginti oves, & Joannes ponit decem, & in fine æqualiter dividunt eas, quia opera & expensæ, quas facit Joannes, compensantur cum aliis decem positis a Petro supra Joannem.

(26) Quum in hoc casu finita societate capitale dividatur ex æquo, periculum ipsius debet pariter esse commune. Secus in aliqua parte sortis

alter

alter damnum, alter lucrum tantum sentiret contra id, quod sancitum legimus L. *Si non fuerint* in fine ff. *Pro socio*.

QUARTUS CASUS. Petrus dat Joanni centum oves in soccidam, paciscens secum satisfacere sibi de labore, & expensis, quas Joannes faciet pro prædictis ovibus custodiendis: hoc addito, quod Joannes solvet tertiam partem de prædictis ovibus, & stet ad tertiam partem lucri & damni.

(27) Duo ibi sunt contractus, unus locationis, & alter emptionis. Joannes locat operas suas in custodiendis ovibus, & mercedem accipit labori suo respondentem. En contractum locationis, in quo Joannes est locator, & Petrus conductor, seu redemptor. Idem Joannes emit tertiam partem ovium, harum lucrum ipse solus percipit, & ipse solus sustinet earundem periculum. En contractum emptionis. Licitus est uterque contractus, dummodo justa merces in primo, & justum sit pretium in secundo. Adde, si placet, & tertium contractum, nempe societatis: quia tertia pars empta a recipiente ab aliis duabus divisa non est.

Ex prædictis etiam infertur, quod illiciti sunt tres sequentes casus a S. Bernardino pariter exhibiti.

PRIMUS CASUS. Petrus dat Joanni viginti oves æstimatas certo pretio, hoc pacto quod Joannes nullum fructum, nullamque utilitatem percipiat, donec ipse Petrus totum suum capitale extraxerit: vel quod de fœtibus reparentur capita quolibet casu moritura.

(28) Nonnulli cum Bonacina De contractibus disput. 3. q. 6. punct. 5. num. 4 arbitrantur hunc contractum esse licitum: dummodo animalia ante recuperatam sortem stent periculo ipsius tradentis. Sed, præterquamquod hic contractus fuit expresse vetitus a Concilio Mediol. primo jam laudato -- *Nec fiat pactum, ut sors sit semper salva etiam ex primis fœtibus* --, jure meritoque scribit Tabiena ver. *Usura tertio* num. 5. super hoc eodem casu -- *Et quamvis si substaret omni periculo, posset licitari; tamen ut in plurimum vel erit illicitus, vel erit onerosus: quia videtur accipere totum suum capitale quasi securum: & posset esse, quod conducens amitteret omnes operas suas, & locans nihil perderet: puta si antequam acciperet totum, vel circa finem omnes perirent* --. Concinit Sylvester in Summa ver. *Societas secundo* num. 9. -- *Pactum iniquum est secundum Uldericum, & Joannem de Lignano. Et ratio, qui nimis gravatur accipiens* --. Hæc de prima parte contractus expositi. *Est iniquum, quia hoc est quasi tradere oves immortales* --. Hæc de secunda ejusdem parte.

Tene ergo cum iisdem, & cum Authore, & cum S. Bernardino ibidem cap. 2., quod hujusmodi contractus impius est, & quædam species societatis leoninæ.

Subdit S. Bernardinus -- *Si tamen post prædictam æstimationem pretii ovium, aut cum reparatione earum de fœtibus, contractus societatis sic fieret, quod quantum levat ovium pastus, & custodia pastoralis, tanto melior fieret portio societatis in recipiente, & custodiente, ac pascente oves, tunc vero non esset ibi usura, nec peccatum injusti pretii* --. Et hoc tamen non vacat periculo. Nisi reducatur ad contractum aleæ, in quem recipiens omnino libere, sciens & volens consentiat sub spe majoris lucri futuri: certe accipiens adhuc in hac moderatione gravaretur propter periculum amittendi expensas, & operas, si antea animalia perirent.

SECUNDUS CASUS. Petrus dat Joanni viginti oves æstimatas viginti florenis, cum pacto quod teneatur sibi reddere medietatem pretii, scilicet decem florenos, quidquid contingat de ovibus: quod perinde est ac si, quia mutuo dedit Joanni decem, paciscatur de eodem, gravando in contractu mutui.

(29) Quum de mente S. Bernardini æstimatio in societate animalium præter prudentem quamdam cautionem nihil prorsus efficiat, sicuti superius dixi: sponte fluit hunc contractum per ipsum esse illicitum, quia socio minori, seu accipienti, onus imponitur per leges societatis eidem indebitum. Author quidem pro virili parte tuetur, æstimationem esse quasi venditionem, & per eam periculum capitalis reddi commune. Sed nihilominus quum per legem in hoc contractu oppositam socius major semper velit salvum dimidium capitalis, & socius minor in quocumque eventu hanc medietatem restituere teneatur, etiamsi capitale absque ipsius culpa deterioris conditionis fiat: nec Author hunc contractum habere potest tanquam licitum. Non apponatur lex, de qua in casu. Tum damnum, tum lucrum, incrementum nempe & decrementum, tum periculum sortis commune sit; & contractus erit licitus. Non medietas reddenda, si supersit, ea est, quæ contractum inficit, sed conditio apposita, quod reddi ipsa debeat in quocumque eventu. Author hunc tradentem assimilat mutuatori: quia, sicuti vidimus in secundo casu primi modi societatis animalium, accedente æstimatione per ipsum perinde est, ac si socius major mutuam dedisset medietatem sortis, & socius minor aliam medietatem contulisset in societatem.

TERTIUS CASUS, qui non est societatis, nec ad hanc materiam pertinet, talis est. Emit quis a pauperibus oves,

quas

quas scit eos non habere, & dat eisdem in soccidam, aut locat pro certa annua pensione. Idem casus est, si emat boves, vel quodcumque aliud animal. Hic certe usurarius est Cap. *Consuluit*, & Cap. *In Civitate* Extra *De usuris*, & tenetur ad restituendum quidquid pro dictis ovibus, seu animalibus recepit ultra suam sortem, cum mercedem accipiat sine causa ff. *De condictione sine causa* per totum.

Sed, si credebat eos habere oves, & sine fraude has emit, usura non est, nec peccatum quamdiu durat bona fides. Hac tamen cessante tenetur ad restitutionem percepti, ad quod interesse suum non se extendebat, tenetur scilicet de eo, in quo factus est ditior quamdiu fuit bona fides L. *Utrum* ff. *De hæreditatis petitione*.

(30) Emens animalia, quæ non extant, aut non extare putat, ut fructus societatis percipiat, aut mercedem locationis exigat, operatur is in fraudem usurarum, & animum fœneratitium conquisito pallio societatis occultat. Dolose igitur agit, usurarius est, & omnibus pœnis contra usurarios latis fit obnoxius.

Dum autem arbitratur venditorem habere animalia, quæ reipsa non habet, fallitur quidem sic putans, quod cuique sancto viro potest contingere; sed non peccat cum hoc errore, cum hac bona fide societatem contrahens, vel pensionem accipiens: dummodo, ut monet S. Bernardinus ibidem, & post eum Sylvester Prieras, capitale stet periculo tradentis.

Accipe nunc legem hic ab Authore memoratam -- *Utrum autem omne pretium restituere debebit bonæ fidei possessor; an vero ita demum, si factus sit locupletior, videndum. Finge pretium acceptum vel perdidisse, vel consumpsisse, vel donasse; & verbum quidem pervenisse ambiguum est: solum ne hoc contineret, quod prima ratione fuerit, an vero & id, quod durat. Et puto, sequentem clausulam Senatusconsulti, etsi hæc sit ambigua, ut ita demum computet: si factus sit locupletior* --. Idem sancitur lege *Item veniunt* §. 6. ff. *De hæreditatis petitione* -- *Eos autem, qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent*. Apposite iccirco Glossa super hac lege -- *Hæc est optima regula, qua nulla verior in jure, ut bonæ fidei possessor in id tantum, quod ad se pervenerit, teneatur* --. Id intellige de illis, quæ nondum fuere præscripta: quoniam, etsi possessor malæ fidei nullo tempore possit præscribere, & sibi adquirere aut rem possessam, aut fructus, sicuti docemur Cap. *Vigilanti* Extra *De præscriptionibus* -- *Vigilanti studio* ca-

cavendum est, ne malæ fidei possessores simus in prædiis alienis: quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem --: & Regula secunda juris in Sexto -- *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit* --: Præscribit tamen possessor bonæ fidei, textu egregio Institut. *De usucapionibus* sub initio -- *Jure civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliave quavis justa causa acceperit, is eam rem, si mobilis erat, anno ubique uno, si immobilis, biennio tantum in Italico solo usucaperet, ne rerum dominia in incerto essent. Et quum hoc placitum erat, putantibus antiquioribus dominis sufficere ad inquirendas res suas præfata tempora: nobis melior sententia resedit, ne domini maturius suis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur. Et ideo Constitutionem super hoc promulgavimus, qua cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem [idest inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis] usucapiantur: & his modis non solum in Italia, sed etiam in omni terra, quæ nostro imperio gubernatur, dominia rerum, justa causa possessionis præcedente, adquirantur* --. Idipsum probatur Jure Canonico Extra toto titulo *De præscriptionibus*, in cujus postremo capite sic lego -- *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est: synodali judicio diffinimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quam Civilis*.

Pergit Sanctus Bernardinus, & alium proponit casum, qui talis est. Est unus, qui dat centum oves cuidam Monasterio, cum pacto quod annuatim recipiat duos solidos ab eodem Monasterio, quamvis longe plus valeant fructus earum: & addit, quod si oves moriantur, ipse vult prædictum fructum; si autem multiplicentur, omnes sint Monasterii.

Secundum Hostiensem talis casus licitus est, nec dans tenetur ad restitutionem, etiamsi oves mortuæ sint, nisi prius infectæ fuissent, & jam ad mortem paratæ, & hoc ignoraverit Monasterium L. *Verum* §. *Si locupleti* ff. *De minoribus*. Consulit tamen Hostiensis tradenti, quod in casu, quo morerentur antequam Monasterium aliquam haberet utilitatem, nihil recipiat: quia nullus debet locupletari cum alterius jactura Extra *De regulis juris* Cap. *Locupletari* Lib. 6.. Careat etiam talis, quod, nisi in hoc

con-

contractu Monasterium consentiat, non tenebitur de prædictis ovibus datis Abbati, vel Cellario, vel hujusmodi, cum prædicto pacto, vel consimili. Cap. 1. Extra *De deposito*. Hæc secundum Hostiensem.

(31) In casu proposito adde cum S. Bernardino ibidem cap. 3. -- *Insuper, quod post mortem tradentis, etiamsi centuplarentur, ad ipsum Monasterium veniant* --; non enim sermo instituitur de pensione in perpetuum solvenda, sed duntaxat in vita tradentis.

Hic contractus est ille census vitalitius, quem Theologi vocant reservativum, de quo dixi annotatione 38., ubi de tertio Articulo secundæ Considerationis: & fit, cum quis alteri rem suam tradit; prædium puta, domum, aut aliam rem, conferens eidem dominium tam directum, quam utile, reservata sibi pensione determinata quotannis solvenda ab accipiente. Censum vitalitium licite posse constitui, nemo est, qui ire possit inficias, quum nec jure Civili, nec jure Ecclesiastico sit vetitus. Alicui hic contractus videri forte poterit illicitus, quia pereuntibus ovibus Monasterium adhuc teneretur pensionem solvere præstitutam, secus ac sancitum fuit a Pio V. in sua Constitutione *Cum onus* anno edita 1586. per hæc verba -- *Postremo census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire* --. Sed attente is perlegat eandem Constitutionem, & deprehendet Summum Pontificem non de reservativo, sed de solo censu consignativo fuisse locutum, in eo posito, ut quis retento sibi dominio propriæ rei tam directo, quam utili, alteri vendat jus percipiendi pensionem annuam super eadem.

Durum fortassis alteri videbitur onus Monasterio impositum solvendi pensionem etiam pereunte capitali, & quidem per totam vitam tradentis, cum oves perire possint eo ipso primo mense vel anno, quo traduntur. Sed animadvertat is, si placet, quod etiam eodem primo mense, vel anno perire potest tradens; & Monasterium tunc haberet integrum capitale nulla pensione soluta. Contractus aleæ hic est, & æqua est conditio sive tradentis, sive accipientis. Consulit igitur Hostiensis, non præcipit, quod tradens nihil recipiat, si oves pereant, antequam Monasterium aliquid percipiat utilitatis. Consulit, inquam: quoniam, si pensionem conventam in eo casu adhuc vellet, aut exigeret, non auderem ipsum improbare. Jura omnia clamant in eo casu ipsi adhuc esse debitam ex pacto inter contrahentes inito -- *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur* -- Regula 85. juris in Sexto: nam Regula *Locupletari* ab Hostiensi producta unice vim habet, dum quis locupletatur cum alterius injuria, vel jactura. In casu porro nulla fieret injuria accipienti, & quia ita fuit inter contrahentes libere conventum, & quia sicuti per interitum ovium jacturam

ſturam ſentit Monaſterium, ita ſentire poterat lucrum, & quidem maximum, ſi paullo poſt initum contractum tradens obiiſſet. Contractus aleæ fuit, & ſtatim atque contrahentes libere convenerunt, unuſquiſque tenetur ſtare contractui, etſi morte intercedente cedat in favorem unius præ altero.

Magni certe momenti eſt, quod oves bene valerent, dum fuere traditæ: quoniam, ſi jam fuiſſent infectæ, & ad mortem quaſi paratæ, & id cognoviſſet tradens, doloſe is egiſſet, & nullam penſionem Monaſterium deberet eidem perſolvere; immo tradens teneretur ad compenſandas omnes expenſas -- *Cum fraus, & dolus nemini debeat patrocinium impertiri* -- Cap. *Tuæ* Extra *De Clericis non reſidentibus*, & L. *Si legatarius* C. *De legatis: ut non accipiat fructum ſuæ calliditatis*.

Magni etiam fieri debet, quod accedat conſenſus Monaſterii. Quum enim hic non agatur de regimine Monaſterii, quod ſpectat ad Abbatem: neque de negotiis communibus ejuſdem gerendis, quod eſt munus Cellarii Cap. *Multa ſunt* Extra *Ne Clerici vel Monachi* -- *Et in Regula B. Benedicti præcipitur provideri, per quorum manus negotia Monaſterii procurentur* --: Sed de novo diuturno onere agatur Monaſterio imponendo, quod cedere poteſt vel in damnum, vel in utilitatem totius Monaſterii: omnes Monachi ſunt audiendi, vel ſaltem eorum Patrum Diſcretorum, qui Monaſterium juridice repræſentant, mens & voluntas exploranda eſt. Id paritate rationis infert Author ex Cap. 1. *De depoſito*: quia ſicuti pecunia Eccleſiæ commendata, in Eccleſiæ utilitatem converſa, omnibus intereſt ejuſdem Eccleſiæ Canonicis, ut ibidem ponitur: ita novum onus in Monaſterii damnum vel utilitatem cedens, ad omnes Fratres profeſſos in Monaſterio degentes debet referri. Id perſpicue eruitur ex Cap. 3. Extra *De donationibus*, in quo ſancitum legimus -- *Cæterum ſi Abbatem donationem cum Priore, & quibuſdam de Conventu, vel ſolum Abbatem facere contigerit, & poſtea Conventus pars reclamaverit: datæ rei quantitas, & illius Terræ conſuetudo [quæ tamen Sacris Canonibus non obviet] eſt diligentius attendenda: & ſecundum hoc eſt donum ratum vel irritum judicandum*.

Quid tenendum ſit de duobus aliis quæſitis a S. Bernardino poſitis in eodem capite, ex ſupradictis patet.

Primum eſt hujuſmodi. Petrus dat in ſoccidam Joanni viginti oves tali pacto, quod Joannes ſuis ſumptibus & oves, & earum fœtus cum diligentia paſcere, & ſervare teneatur; fructuum vero, & fœtuum medietas ſit Joannis, & alia Petri: oves autem ipſæ, vel aliæ, quæ occa-

ſione

ſione temporis extabunt, ſint ipſius Petri in fine triennii. Quod ſi ipſæ oves, vel aliquæ earum, aut ipſarum fœtus, vel fructus culpa, aut dolo ipſius Joannis, vel ejus nuntii perierint, damnum ad ipſum Joannem ſpectet. Si autem caſu fortuito, vel divino judicio, ad ipſum Petrum pertineat. Quæritur nunc: Utrum liceat?

Reſpondeo, quòd ſic, & patet hoc ex dictis in quarto caſu primi modi ſocietatis.

(32) Hæc eſt illa ſocietas, qua nulla planior, nulla ſimplicior, nulla magis catholica, nulla melior, & in totum reſpondens Sixtinæ Conſtitutioni. Tantum igitur abeſt, ut in ullo vel minimo poſſit improbari, quin potius miris laudibus excipienda eſt. Jure quapropter Aſteſanus lib. 3. tit. 12. De quinto, poſtquam hunc caſum lucide expoſuit, quæſito facto, an ſit contractus licitus, brevibus reſpondit -- *Credo, quod ſic, quia ſatis videtur æque bona utriuſque conditio.*

Secundum eſt. Dat quis oves in ſoccidam ad quinquennium, & de conſuetudine eſt, quod in fine quinquennii dividantur oves, & ipſarum fructus. Oves interim perierunt: numquid ruſticus ad aliquid eſt tradenti obligatus?

Huic quæſtioni, quia ex prædictis ſatis clare non patet, reſpondeo ſecundum Baldum in L. 1. C. *Pro ſocio*, quod oves poſſunt perire tripliciter. Primo ex natura: & in hoc caſu, quia etiam perituræ fuiſſent penes tradentem, non tenetur aliquid reſtituere. Quod hic ſubdit S. Bernardinus, etiamſi fuiſſent æſtimatæ, non credo verum, ſicuti dixi ſupra in ſecundo caſu primi modi ſocietatis. Secundo venit damnum ex fortuna nempe fortuito caſu, cui obviari non poteſt; & tunc damnum erit commune L. *Cum duobus* §. *Damna* ff. *Pro ſocio*. Ideo, ſi oves valebant viginti florenis, ruſticus tenetur reſtituere decem. Tertio venit damnum ex culpa ruſtici; & tunc, ſi ante tempus ſocietatis dividendæ perierunt oves, quia tum omnes erant tradentis L. *Si paſcenda* C. *De pactis*, & etiam dicto §. *Damna*, tenebitur ruſticus de omnibus ſatisfacere tradenti.

Si

Si vero perierunt poſtquam debebant æqualiter partiri, ſolum dimidiam partem reſtituat, quia alia jam erat ſua.

(33) Paragraphus *Damna*, quem hìc allegat Author, non eſt ſatis ad oſtendendum, quod in caſu, de quo agitur, ſi oves caſu fortuito intereant, damnum debeat eſſe commune: quoniam in eo agitur de animalibus æſtimatis, & cum æſtimatione traditis, de quibus in præſenti ſermo non eſt. Probari id forte poteſt, quod accipiens ex pacto inito de dividendis ovibus in fine quinquennii, habeat jus ad medietatem earum, & ſit quaſi ipſarum dominus: & præſertim ſi interitus ovium contingat quinto anno jam incepto, quum tunc jam eas pene ex integro acquiſierit. Probari item poteſt ex Regula 45. juris in Sexto -- *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & e contra* --; & iccirco ſi accipiens ſentit commodum lucrando oves paullatim, eaſque dividendo in fine quinquennii, ſi vivant, ſentire pariter debet incommodum, ſi pereant. Sed ex hoc ſequitur, quod, ſi ante finem ſocietatis, ante tempus pro diviſione ſancitum, oves pereant culpa accipientis, ſeu ſocii minoris, non teneatur hic compenſare tradentem ex integro, ſeu huic ſolvere pretium omnium ovium, bene vero earum duntaxat, quas ex pacto inito accipiens nondum acquiſierat. Ita ſane arbitror, quia ex pacto inito accipiens quolibet anno aliquid acquirit, & dum ipſe eſt in culpa, unice tenetur ad compenſandum quod adhuc erat alienum, non vero quod jam factum erat ſuum. Appoſite igitur Tabiena ver. *Uſura tertiò* ſuper hoc eodem caſu ab ipſo propoſito ſub perſona Petri tradentis, & Joannis accipientis, ſcribit num. 5. in fine -- *Si vero ob culpam Joannis, tunc tenetur ad totum, quod tunc habebat Petrus in illa ſocietate* --. Nota hæc verba *quod tunc habebat*. Non enim in idem recidunt ac ſi ſcripſiſſet -- *Ad totum, quod Petrus tradidit in ſocietatem* --. Hæc tamen dicta ſint ſalvo meliori judicio.

Alios caſus adjicit idem Sanctus de animalibus groſſioris generis, quos etiam hic ponam, ut nullum prætermiſiſſe videar, & omnis ipſius doctrina de contractibus habeatur.

PRIMUS CASUS. Petrus dat Joanni bovem & vitulum uſque ad annum nutriendos, ut in fine anni vendantur, & Petrus ante omnia ſuum extrahat capitale, lucrum deinde dividatur. Dicit Sanctus, quod licitus eſt hic contractus, ſi duo concurrant. Primum, quod Petrus retineat periculum fortuitum capitalis. Secundum, quod, ſi minus ven-

venderentur in fine anni, Joannes ipsi nihil satisfaciat. Attendendum etiam est, quod dixi in duobus primis casibus primi modi societatis.

(34) Hunc eundem casum post Archidiaconum, & S. Bernardinum, proponit Sylvester Prieras ver. *Societas secundo* num. 7., & eodem modo respondet. Nihil in eo non æquum, & perfecte non respondens legibus pro honesta, & laudabili societate sancitis.

Secundus casus. Petrus locat Joanni duos boves, volens quolibet mense duos sextarios frumenti. Talis contractus est licitus, si concurrant quæ dixi in secundo modo contrahendæ societatis.

(35) Placet adferre verba ipsa S. Bernardini Serm. 40. art. 2. cap. 1. in hujus casus expositione, ejusdemque solutione -- *Petrus locat Joanni duos boves, volens quolibet mense duas minas, seu duos sextarios frumenti, & retinet sibi prædictorum boum periculum. Quid juris? Dicendum, quod talis locatio sit licita, dummodo tamen sit lucrum, quod respondeat utilitati, quæ potest haberi de bobus; alias illicita esset: nam si nulla de bobus utilitas adveniret, nihil dare deberet: aliter meteret ubi non seminavit, quod utique illicitum est, atque injustum.*

Placet etiam adferre quod adjicit Sylvester loco proxime indicato -- *Si autem de periculo mentio non fiat, & intendit capitale esse firmum, usura est. Si vero intendit subire periculum fortuitum, est licitus contractus, etiamsi vellet accipientem substare periculo damni emergentis sua culpa, aut suorum. Si vero pactum dicit, quod accipiens stet periculo fortunæ, est illicitus, etiamsi hoc fiat solum, ut accipiens sit diligentior, cum intentione tamen, quod in veritate non stet, secundum Verucc., quia scandalizativus.*

Tertius casus. Petrus locat Joanni duos boves æstimatos cum pacto, quod Joannes laboret ipsi duodecim bubulcos terræ, & in fine anni boves vendantur, Petrus extrahat suum capitale, lucrum vero dividatur. Quid juris?

Licet iste Sanctus aliter sentiat, mihi videtur, quod hic non sit mere contractus locationis: quia periculum rei locatæ non pertinet totum ad locantem, sed sit commune; ut dixi in primo modo societatis casu secundo, & tertio; æstimati enim dati sunt. Contractus est ergo societatis. Sed quia arbitrio boni viri unus magis gravatur, quam alius,

alius, per ea, quæ dicta sunt in citatis duobus casibus, talis contractus est censendus illicitus.

(36) Æstimatio per S. Bernardinum præter prudentem quamdam cautionem nihil prorsus efficit. Nil ergo mirum, si de mente ipsius hic contractus reducitur ad locationem. Hoc semel posito, optimum est responsum S. Doctoris ibidem scribentis -- *Dicendum, quod talis contractus licitus est, si ipse Petrus observat duo. Primo, quod retineat sibi periculum dictorum boum. Secundo, quod promittat ipsi Joanni se satisfacere de labore, quem sustinebit in laborando terras; & hoc ad arbitrium boni viri: quæ satisfactio computetur in hoc, quod dat sibi medietatem lucri boum. Sed si nullum lucrum fieret de bobus, tunc Petrus recompensare tenetur pro expensis factis a Joanne, de ipsa scilicet boum sorte. Uno prædictorum duorum deficiente contractus illicitus est*. Eodem modo respondit Sylvester nuper laudatus, S. Bernardini doctrinæ nihil detrahens, & nihil adjiciens. Sed quoniam Author superius docuit æstimationem esse quasi venditionem, & per eam damnum sive periculum capitalis reddi commune; immo ego ipse hanc opinionem præ cæteris adamavi tanquam legibus magis consentaneam: jure Author hunc habet ceu contractum societatis, & insuper addit eundem esse illicitum. Illicitus certe: & quia socius minor gravatur tum onere certo pascendi boves, & custodiendi, tum onere pariter certo laborandi terram socii majoris sine ulla spe fructuum, & cum sola compensatione medietatis incrementi boum, quod potest contingere, & non contingere, quodque etiamsi contingeret, non responderet oneribus certis eidem impositis. Et etiam quia contra leges æstimationis socius major retinet sibi dominium totius capitalis, cujus dimidium facta æstimatione transfertur in accipientem. Et insuper, quia in contractu non statuitur quid agendum, si capitale pereat; immo conditio apposita de capitali extrahendo, & rehabendo, præbet fundamentum suspicandi, tradentem velle capitale salvum. Et tandem, quia in hoc contractu non servatur æqualitas. Socius enim major habet pro se, quod ut in pluribus cedit in utilitatem ipsius, & socius minor, quod ut in pluribus ipsi detrimento est.

QUARTUS CASUS. Petrus locat Joanni duos boves ad laborandum ad quartam partem lucri & damni. Dicit S. Bernardinus, quod hic contractus est licitus: dummodo Petrus promittat Joanni se satisfacturum competenter pro labore, quem sustinet, si ibi non fuerit lucrum. Alioquin erit illicitus.

(37) Verba hæc posita in casu -- *ad quartam partem lucri & damni* --, vel respiciunt tradentem, ut sensus sit eum velle subire duntaxat quar-

tam

tam partem damni, si capitale pereat, & quartam pariter lucri partem duntaxat exigere ex iis, quæ boves laborando adquirent: Vel ad accipientem referuntur, ut is subeat solum quartam partem damni, si boves pereant, & pariter unice habeat quartam partem eorum, quæ labore boum adquiruntur: reliquum vero tum damni tum lucri pertineat ad dominum animalium, seu ad dantem. Si respiciunt tradentem, quemadmodum respicere scribit Sylvester Prieras loco jam semel iterumque indicato, qui insuper ponit boves esse nutriendos expensis accipientis: dico cum eodem contractum hunc esse illicitum, nedum ob caussam ab ipso adductam, videlicet quia tradens vult capitale pro majori parte salvum; sed etiam ob duplices alias rationes. Primo, quia in hoc contractu turpis habetur inæqualitas; conductor enim seu socius minor, etsi percipiat tres partes lucri, subit tamen insimul periculum tantundem damni, & insuper gravatur expensis animalium, custodia eorumdem, & labore propriæ personæ, dum locator, seu socius major sine labore & expensis quasi certus est de lucro, & in casu damni vix minimam sentit ipsius partem. Secundo, quia hic contractus, si intime inspiciatur, reducitur ad mutuum interpretatum; de industria enim socius major retinet sibi periculum quartæ partis damni, ut percipiat lucrum quasi certum sine ullis expensis, & cum capitali pro majori parte salvo. Hoc ergo minimum periculum, quod sibi retinet, non est lex proveniens ex animo ineundi honestam societatem, sed velamentum animi fœneratitii, & pallium usuræ. Si postmodum verba illa referantur ad accipientem, quemadmodum ea retulere S. Bernardinus, & Author, dico eum iisdem contractum duntaxat esse licitum, cum Petrus promittit Joanni mercedem labori personæ respondentem, posito quod lucrum perceptum ex labore boum non superaret operas, & expensas, quæ omnes jure contractus fieri debent a Joanne accipiente. Ratio est evidens quia sine hoc promisso longe melior est conditio Petri quam Joannis, qui ultra periculum solvendi quartam partem damni, si animalia casu fortuito perirent, exponitur evidenti periculo perdendi operas proprias, laborem propriæ personæ, si lucrum, quod percipitur ex labore boum, non esset majus solito.

Quintus casus. Petrus locat Joanni duos boves pro certis sextariis frumenti cum pacto, quod si meliorentur, conductor habeat medietatem commodi, &, si moriantur, vel deteriores fiant, medietatem periculi. Talis casus est usurarius quia potior est conditio tradentis, quam suscipientis; nunquam enim tantam utilitatem habere potest conductor de melioratione boum, quantum damnum susti-

nere poteſt de morte ipſorum. Uſura ergo eſt Cap. *In Civitate*, & Cap. *Conſuluit* Extra *De uſuris*.

Si vero Petrus taliter locans tantum pretium pro locatione ſolum acciperet, quantum daretur pro uno ſolo bove, tunc liceret, dicit iſte Sanctus: quia ibi eſſet contractus duplex, emptionis ſcilicet unius bovis, pro quo nihil accipit, & conductionis alterius, pro quo ſolvitur. Et ego dico, quod ibi eſſet contractus triplex, ſcilicet etiam ſocietatis: quia in fine anni dividitur melioramentum. Iterum igitur dico, quod eſt illicitus: quia magis gravatur Joannes, quam Petrus in expenſis boum, & labore cuſtodiæ, cum tamen tantum ponat de capitali ſicuti Petrus, ut patet ex dictis in primo modo ſocietatis, & etiam in ſecundo: niſi forte ita conſtituta ſit penſio unius bovis, quod ipſe Joannes merito debeat ipſum alere.

(38) Hic eſt ille contractus vulgo collaticus, de quo jam dixi annotationibus 10. 13. & 16. proxime præteritis. Quum Author in primo caſu primi modi ſocietatis ultra medium mordicus tenuerit, in ſocietatibus animalium contrahentes non poſſe paciſci de reddendo communi periculo ſortis: tum ut ſibi cohæreret, improbare debuit præſentem contractum, eumque habere tanquam uſuræ labe pollutum, tum etiam propter rationem ibi ab eodem productam. Sed quum ego veſtigia ſequens Benedicti XIV., Epiſcoporum Amerinorum, & Sacræ Congregationis Concilii contractum collaticum dixerim uſuræ flagitio vacare; arbitrari pariter debeo caſum hìc propoſitum, qui ipſe eſt contractus collaticus, non eſſe illicitum: dummodo ſerventur conditiones ab Epiſcopo Amerino De Lazaris præſtitutæ. Ea lector relege annotatione 13. proxime præcedenti.

Gratulor interim, quod tum S. Bernardinus, tum Author in aſſignanda penſione ſolvenda ſocio majori proxime acceſſerint ultimæ conditioni ab Epiſcopis Amerinis conſtitutæ, & adprobatæ.

Magni poſtmodum facio quod hìc ait Author poſt S. Bernardinum, videlicet -- *Nunquam enim tantam utilitatem habere poteſt conductor de melioratione boum, quantum damnum ſuſtinere poteſt de morte ipſorum* --. Ad turpem hanc inæqualitatem declinandam ſubdit S. Bernardinus eodem Serm. 40. Art. 2. cap. 2. -- *Niſi ſextaria, quæ pro conductione dimidii bovis darentur, ſufficienter æquivalerent conductioni quartæ partis, ideſt dimidii bovis: puta ſi bos ad arandum pro anno ſufficienter pro quatuor ſextariis conducatur, quod dentur duo ſextaria pro dimidio bovis* --. Et ego ad hanc

hanc eandem inæqualitatem tollendam, innixus L. *Manifestissimi* §. *Sed cum in secundam* C. *De furtis*, & *servo corrupto*, & Institut. *De societate* §. *Illud*, dixi annotatione 13., quod, dum periculum fit commune per æstimationem, vel per pactum, communis pariter reddi debeat sors ipsa: quia incremento boum respondet eorum decrementum, & e contra, nec alia via periculum, quod imponitur accipienti, compensari potest: & sine sorte facta communi semper accipiens remanebit gravatus, & turpis in contractu erit inæqualitas. Dura, probe scio, dura tradentibus, seu sociis majoribus videbitur hujusmodi doctrina. Sed æque dura, & forte durior iisdem videri debebit sententia Pontas, Gennetti, Colleti, aliorumque, de qua dixi eadem annotatione 13.; quod nempe, dum fit æstimatio, accipiens fit dominus totius sortis, & tradens unice potest recipere pretium æstimatum, nec ullo modo ipsi licet quicquam de fructibus percipere. Sed doctrina illa est, meo saltem judicio, necessaria, & ad tollendam inæqualitatem, & ad coercendos socios majores, qui ducti cupidine lucri certi nullum immotum relinquunt lapidem, ut socios minores, accipientes scilicet, plerumque inopes gravent quam maxime possunt.

SEXTUS CASUS. Petrus dat Joanni duos boves æstimatos cum hoc pacto, quod cum eis laboret usque ad annum, & eos fideliter nutriat suis expensis: atque in fine anni Petrus habeat prædictam æstimationem cum quarta parte lucri, si inde lucratus fuerit, vel tantum minus ipsa æstimatione, quantum ascendit quarta pars damni, si damnum inde supervenerit: Joannes vero habeat tres partes lucri, & damni. Talis contractus est illicitus, ut patet ex secundo casu primi modi societatis.

(39) Hic casus in idem quasi recidit cum quarto fere nunc exposito, dempta sola æstimatione, quæ in hoc exprimitur, in illo autem non dicitur apposita. Pene idem igitur applicari potest responsum. Sed melius Quum æstimatio per S. Bernardinum nihil efficiat, & apponatur solius cautionis ergo, hic contractus per ipsum erit licitus, si tradens boves retineat periculum totius capitalis, & damnum, quod imponitur accipienti, solum afficiat decrementum animalium, si id contingat. Si vero damni nomine nedum veniat decrementum sortis, sed etiam sors ipsa, tunc contractus habendus erit tanquam illicitus, & quia tradens vult capitale pro majori parte salvum, & quia plus æquo gravat accipientem. In sententia postmodum Authoris, qui tuetur æstimationem esse quasi venditionem, & per æstimationem socium minorem tantum ponere in societatem, quan-

tum ponit socius major, quidquid damni nomine intelligatur, hic contractus semper erit illicitus: quia imponere accipienti tres partes damni est contra naturam æstimationis.

SEPTIMUS CASUS. Petrus dat Joanni unam vaccam æstimatam cum pacto, quod de primis fructibus vult extrahere suum capitale, & quod postea fructus dividantur ad invicem. Si autem vacca interim moriatur sine culpa Joannis, aut ejus nuncii, totum damnum sit Petri, & ad ipsum solum pertineat. Talis contractus est illicitus, ut patet in secundo casu primi modi societatis.

(40) Super hoc casu scribit Sanctus Bernardinus loco nuper laudato -- *Dicendum, quod talis contractus licitus esse videtur secundum quosdam: nam, licet Petrus prius sortem suam recipiat, tamen inconveniens non videtur, quum in se suscipiat periculum fortuiti casus, & divini judicii: sed verior sententia est, quæ tenet, quod talis contractus illicitus est: nam evidenter apparet, quod potior est conditio locatoris, quam conductoris: quia poterit evenire, quod, postquam Petrus suam sortem receperit, vacca cum omni fœtu & fructu peribit, & sic de omnibus expensis, & laboribus habitis circa vaccam ipse Joannes nihil habebit, quod injustum esse videtur. Ideo verius dicendum est, quod talis contractus illicitus est* --. Idem omnino respondet Sylvester Prieras loco proxime citato. Et hic contractus est contra naturam æstimationis ab Authore expositæ, & declaratæ in secundo casu primi modi societatis; & iccirco brevibus ipse respondet eundem esse illicitum. Memento Concilii Mediolan. primi jam pluries laudati, in quo sancitum fuit -- *Nec fiat pactum, ut sors sit semper salva etiam ex primis fœtibus* --. Verum utique est, quod Concilium ibidem fuit locutum de animalibus inæstimatis, quæ nempe sine prævia æstimatione traduntur. Sed paritate rationis idem omnino infertur, dum animalia traduntur æstimata; nihil enim interest, quod animalia æstimata sint, vel inæstimata, cum tradens paciscitur de rehabendo integro capitali ex primis fructibus. Pactum hoc in seipso inspectum impium est, & iniquum, & propter periculum, cui exponit accipientem amittendi operas, & expensas, si animalia perirent: & quia dum tradens recipit fructus loco capitalis, hic unice percipit lucrum, alter vero unice patitur damnum contra leges societatis. Sive igitur hujusmodi pactum adjiciatur animalibus inæstimatis, sive iisdem æstimatis apponatur, naturam non immutat; & iccirco semper erit illicitum.

Hunc eundem casum post S. Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 7. §. 41. proponit Natalis Alexander in sua Theologia Dogmatica & Morali lib. 3. cap.

cap. 7. art. 5. Regula 29., & cum memorato Sancto Archipræsule respondet inquiens -- *Contractum hunc iniquum esse, & illicitum, quia multo potior est conditio locatoris, quam conductoris. Contingere enim potest, ut, postquam Petrus sortem suam receperit, vacca cum omni fœtu fructuque pereat: Sicque Joannes damnum patiatur impensarum omnium, & laborum in vacca pascenda, & custodienda factarum.*

OCTAVUS CASUS. Petrus locat Joanni duos boves æstimatos viginti florenis cum pacto, quod, ubi consuetum est dare quolibet anno duodecim sextaria frumenti, det sibi solum octo: ita tamen quod ipse conductor stet ad periculum tertiæ partis boum. Talis contractus secundum hunc Sanctum est licitus: dummodo Petrus satisfaciat Joanni de labore suo. Sed per ea, quæ dicta sunt, mihi videtur, quod hoc relinquendum sit arbitrio boni viri, qui semoto partium studio consideret, quantum magis gravatur Joannes propter periculum tertiæ partis ipsi impositum respectu veri lucri, quod eidem debetur.

(41) Hunc contractum esse licitum scribit Sylvester ibidem, hanc rationem producens -- *quia, licet pars capitalis sit salva, tamen ipsa salva empta est quatuor sextariis; unde ibi est assecuratio* --. S. Bernardinus, ut audisti, qui hunc casum exhibet eodem Serm. 40. Art. 2. cap. 3., ipsum unice permittit -- *Si Petrus satisfacit Joanni de labore suo* --, putans sine hac conditione Joannem esse plus æquo gravatum ob periculum tertiæ partis boum eidem impositum, quod non satis compensatur per sextarios pauciores, quos in quocumque eventu tenetur persolvere. Author demum id relinquit arbitrio boni viri; quia, etsi in hoc casu non serventur ea omnia, quæ de mente ipsius per legem sancita sunt in animalibus æstimatis, casus tamen considerari potest, & expendi secundum pacta inter contrahentes inita. Et ipse igitur eundem casum relinquo arbitrio boni viri; quoniam pensari debent & qualitas animalium, & tempus pro locatione præstitutum, & pretium tunc commune expensarum, quæ omnia, quum eadem semper non sint, non idem pariter semper postulant judicium.

NONUS CASUS. Petrus locat Joanni duos boves pro certis sextariis frumenti, & non facit mentionem de periculo.

Respondeo, quod necesse est, ut periculum, quod sine culpa conducentis, aut ipsius nuncii evenire potest, sibi

retineat, ficuti patet in fecundo modo focietatis contrahendæ.

(42) Egregie Sanctus Bernardinus ibidem -- *In hoc cafu advertendum eft, quod, fi Petrus vult capitale habere firmum, tunc quidem ufura eft. Sed fi intendit fortuitum periculum in fe fufcipere, tunc cafus licitus eft, ficut etiam eodem modo hoc licitum eft agere in vectura equi. Si tunc infuper moriantur boves per Joannis incuriam, eos fatisfacere teneretur* --. Sed pone, quod Petrus locator moriatur ante expletam locationem. Conftat tunc de contractu. Non conftat de animo locatoris. Quid tum juris? Judicari tunc debet de contractu prout in fe eft fecundum leges æquitatis. In fe eft contractus fimplicis locationis, & ille ipfe, quem Author expofuit declarans fecundum modum focietatis. In locatione dominium rei remanet penes dominum L. *Non folet* ff. *Locati*. In locatione periculum cafus fortuiti pertinet ad locatorem, non ad conductorem L. *In judicio* C. *De locato*. In locatione demum conductor tenetur de dolo, & de culpa, L. *Si ut certo* §. 2. ff. *Commodati*. Secundum has leges igitur feratur judicium.

DECIMUS CASUS. Petrus dat Joanni duas vaccas hoc pacto, quod eas pafcat, & cum eifdem terram colat: ita tamen quod de primis fructibus Petrus recipiat medietatem pretii ipfarum, qua recepta, & vaccæ, & iftarum fructus pofthac æqualiter dividantur; hoc etiam addito, quod annuatim Joannes det Petro unum fextarium frumenti pro eo quod cum ipfis vaccis terram colit. Si autem vaccæ moriantur, damnum fit commune.

Refpondeo, quod fecundum iftum Sanctum hic contractus eft licitus: quia una vacca locatur, & pro paftu ipfius conductor habet lucrum laboris dictæ vaccæ, quum ipfe unam tantum ponat, & Petrus ponat alteram. Sed verius credo, quod non fit licitus, quia Joannes magis gravatur quam Petrus, fi res bene confideretur; ipfe enim ponit unam vaccam, ficuti Petrus, & ultra hoc laborem cuftodiæ, & expenfas. Non ergo falvatur illa vera focietas, quæ ibi eft ultra contractum locationis.

(43) Fructuum nomine hic non intelligitur lucrum, quod vacca arando poteft adquirere utrifque fociis: quum hoc ipfum lucrum in ref-
ponfo

ponso adjudicetur soli conductori pro pastu vaccæ. Veniunt ergo lac, & vituli; & iccirco non videtur opportuna responsio, quam huic eidem casui dedit Sylvester Prieras loco supra memorato scribens -- *Quia dans locat unam vaccam, quæ est sua, quæ arat, & fructificat pro fructu, & sextario frumenti: & loco pastus accipiens habet fœtum* --; fœtus enim est ex illis fructibus, de quibus hic sermo, quos & Sylvester ipse in expositione casus posuit debere fieri communes, postquam tradens receperit ex ipsis medietatem pretii capitalis. Pastui igitur vaccæ unice respondere potest lucrum, quod vacca præbere valet, terram colendo, seu arando. Hoc semel posito: an in contractu habeatur æqualitas, sicuti contendit S. Bernardinus, & post eum Sylvester: vel deterior sit conditio accipientis, sicuti docet Author, præsertim quum vacca arare non possit, nec aliquid hac via lucrari sine proprio conductoris labore, qui & ipse est mercede dignus: judicent alii. Velle ex primis fructibus exigere, & recipere medietatem pretii capitalis, casum mihi reddit vehementissime suspectum: quoniam, si, hoc pretio percepto, vaccæ interirent, socius minor remaneret non modice gravatus; teneretur enim persolvere tradenti dimidium pretii capitalis, & pro labore proprio, pro pastu vaccarum, pro earundem custodia non haberet, nisi modicum illud lucrum, quod vaccæ, ipsi inserviendo in colendis prædiis, potuissent adferre. Hortarer ergo contrahentes, ut ab hujusmodi contractibus se abstinerent, & vel simplicem inirent locationem, vel sinceram & planam societatem sine tot tantisque pactis a tradentibus excogitatis ad seipsos, quantum fieri potest, reddendos tutos in omni eventu, & ad pauperes rusticos accipientes gravandos, atque illaqueandos.

UNDECIMUS CASUS. Quod licet locanti certa animalia recipere certam annuam pensionem: dummodo conductor non gravetur, sicuti dictum est in secundo modo societatis. Item dicit iste Sanctus, quod tali locanti licet pactum facere, quod damnum & periculum sit commune; quo in casu sequendum est arbitrium boni viri; aliter non liceret ita pacisci. Item dicit, quod tali locanti non licet pactum facere, quod periculum sit solius conductoris: nisi de eo periculo, & damno, quod procederet culpa ipsius. Patet hoc in secundo modo societatis.

(44) Hæc pene omnia jam legibus confirmavi tum annotatione 24. super tertio Articulo secundæ Considerationis, tum annotatione 19. super hoc eodem Articulo. Recole igitur quæ illic dixi. Postremæ doctrinæ hic tra-

traditæ ab Authore videbitur forte contrarium quod ſcripſi annotatione primo indicata, videlicet contrahentes in locatione poſſe convenire de periculo ſortis, ipſum imponendo conductori, quemadmodum eo loci oſtendi L. *Si quis domum* §. 2. ff. Locati, & L. *Item quæritur* §. 5. eodem tit.: quodque probat Ferraris ver. *Locatio* num. 79., & 80. de equo conducto, extendendo periculum ad quoſcumque caſus fortuitos etiam inſuetos, non autem ad mortem naturalem equi ex cauſis naturalibus obvenientem. Sed omnia hæc componi peroptime poſſunt adſerendo memoratas leges loqui de pura putaque locatione, S. Bernardinum vero de locatione, quæ ſecum habet quandam ſpeciem ſocietatis adnexam, ſicuti ut in pluribus ſunt locationes eorum animalium, de quibus in præſenti Articulo ſermo eſt.

Sancto Bernardino concinit S. Antoninus -- *In aliis quidem contractibus* [inquit S. Archipræſul] *valeat pactum appoſitum præter naturam contractus, ut damnum ſpectet ad ſuſcipientem, ut in commodato & ſimilibus. At aliter ſe res habet in ſocietate, quia talis non eſt vera ſocietas, cum ſit contra ejus naturam. Societas enim eſt quædam fraternitas, ut dicitur in ff. tit. PRO SOCIO L. VERUM. Unde ſequitur, quod tale pactum non ſit præter, ſed contra naturam contractus: unde non valet* --. Verba ſunt memorati Sancti par. 2. tit. 1. cap. 7. §. 37., quæ adverſus contractum trinum ex integro, & opportune produxit Natalis Alexander loco proxime laudato Regula 26.. Opportune quapropter Aſteſanus lib. 3. tit. 12. de quinto -- *Verum eſt tamen, quod conductor poteſt in ſe recipere periculum rei conductæ, quantum eſt de natura contractus. Tamen in caſu propoſito non eſt ſolum locatio, & conductio, ſed etiam ſocietas in boum melioratione, & deterioratione.*

Cæterum dempto pacto, communi ſententia docemur tum in puris locationibus, tum in locationibus cum ſocietate commixtis omne periculum ſpectare ad locatorem, niſi damnum contingat culpa conductoris, ut in anteceſſum ſemel iterumque ſignificavi.

DUODECIMUS CASUS a Sancto exhibitus eſt ſecundus modus ſocietatis contrahendæ, quem ipſe ſupra declaravi.

(45) En verba ipſa S. Bernardini ibidem art. 3. cap. unico -- *Secundus caſus eſt talis. Habet quis viginti capita, & tradit illa paſcenda, & cuſtodienda ſub certa mercede pecuniæ, vel participatione proventuum gregis, ſic tamen, quod Dominus retinet ſibi periculum capitum prædictorum. In tali quidem contractu non eſt uſura, quia in eo nulla intervenit ratio mutui. Secus autem eſt, ſi Dominus ſibi periculum non retineret, ſed conductori imputaretur: quia tunc contractus eſſet illicitus* --. Idem ſentit D. Antoninus loco modo citato §. 39. inquiens -- *Et tunc, ſi Dominus ipſorum retinet ſibi periculum animalium, eſt contractus locationis, & de ſe licitus. Sed ſi non retinet ſibi periculum, ſed imputat conductori, eſt illicitus; niſi forte illud damnum procederet mere ex negligentia cuſtodiæ.*

Infiniti

Infiniti alii modi societatis possent adduci cum pacto expresso: quia, ut dictum est, plura sunt negotia quam vocabula L. *Natura* ff. *De præscriptis verbis*. Sed alios non adducam; tradita enim fuit sufficiens doctrina de hujusmodi in primo casu primi modi societatis, ubi de pactis inter socios. Et istos casus, quos præmisi, superfluos judicassem, nisi mihi proposuissem nullum prætermittere ex illis, qui a Sancto Bernardino exhibentur. Nullam postmodum doctrinam ipse tradit de societate, quæ fit sine pacto. Et ideo recurrendum est ad ea quæ dicta sunt in illis sex modis large acceptis pro omni scilicet modo, quo animalia dantur in societatem, in quibus notitia peroptima invenitur.

Suscipe ergo, Lector, quod Deo dante ad finem perduxi. Nec mireris, si ordinem ipsius Sancti non sum imitatus: quia, ut præmisi, multa erant addenda, ut notitiam facerent clariorem, ac minuenda superflua, ne tædium facerent studiosis. Peragere melius alio ordine non prospexi.

Rogo ergo te, ut eo animo per ipsum percurras, quo tibi ampla caritate offertur. Vale, & ora pro me. (46)

E X P L I C I T

Opus Contractuum per Venerabilem Fratrem Angelum de Clavasio ordinatum.

---

(46) Plura certe sunt negotia, quam vocabula -- *Natura enim rerum conditum est, ut plura sint negotia, quam vocabula* L. *Natura* ff. *De præscriptis verbis*: non quia tot tantique societatis modi necessarii sint ad commercium fovendum, ad pauperes sublevandos, ad communem Reipublicæ felicitatem; sed quia homines lucro inhiantes in dies singulos excogitant novos modos, quibus magis magisque, & certius lucrari possint. Multa excogitarunt circa societatem pecuniæ, & mercium; sed multo plura circa societatem animalium: & hæc pene omnia, ut tradentes minus subeant periculum capitalis, & accipientes graventur supra vires,


res, coacti portare onus indebitum, ipsisque impositum ab avaritia tradentium. Sancta, & honesta fraternitas societatis, cujus per leges prærogativa specialis est bona fides, & quæ exhibita modo plano, & simplici, præcipuum deberet esse refugium, & levamen eorum pauperum, qui propria industria, propriisque laboribus vellent sibi, filiisque suis quæritare victum; jam redacta est ad lapidem offensionis, ad motivum, & causam majoris miseriæ, & pene extremæ ipsorum egestatis. Utinam de medio tollerentur quotquot avara cupido majoris lucri, & lucri pene certi, in mundum invexit societates præter illam planam, simplicem, & perfecte catholicam, de qua mox dicam. Non tanta miseria laborarent populi. Non tantum desudarent Theologi. Non adeo vexarentur Confessarii in extricandis pene innumeris tradentium inventis, astutiis, & cavillis. Scio quidem non omnes hujusmodi modo societatis a Theologis improbari, complures immo ab iisdem declarari nec usuræ, nec injustitiæ labe pollutos, sicuti nuper ostensum est. Nihilo tamen minus, ut aperiam quod sentio, in praxi pene omnes scatent periculis: quia pene omnes eo tendunt, ut potiorem faciant conditionem tradentis plerumque divitis, multæque facultatis, deteriorem vero constituant accipientem fere semper exiguæ facultatis, & inopem.

Hæc est societas plana, simplex, perfecte catholica, quæ nec retroactis temporibus in suspicionem vocata est, nec posthac vocabitur unquam: levamen pauperum, utilitas divitum, & felicitas populorum -- *Sed potius cuncti noverint* [Sixtus V. in sua Constitutione *Detestabilis* §. 2.] *Societates hujusmodi, eum inposterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel industriam confert, pure, sincere, & bona fide, sicut decet, justis, & æquis conditionibus, & pactis, secundum juris dispositionem, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut suspicione incundas, seu contrahendas esse; ita ut non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem, lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perierit, restituendum socius accipiens teneatur. Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur..... Ac præterea iidem contrahentes fructus, expensas, & damna in commune conferant, &, prout æquum, & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant.*

Clarius tamen. Socius major ponat sortem, & socius minor industriam atque operam. Socius major retineat sibi totum dominium sortis, totum periculum ejusdem, ut ipsi soli pereat, si perit, ipsi soli superfit, si superest, ipsi soli crescat, ipsi soli decrescat. Socius autem minor fideliter, & attente laboret, sortem diligens custodiat, nihilque intentatum relinquat, ut ea fructum afferat, & de dolo teneatur, teneatur de culpa tum lata, tum levi. Fructus & lucrum arbitrio boni viri dividantur,

tur, habito respectu ad sortem unius, ad industriam & operam alterius in societate pecuniæ, & mercium; in societate vero animalium considerando sortem traditam a socio majori, expensas autem, custodiam, & laborem, quæ omnia præstantur, & fiunt a socio minori, seu accipiente. Quid quæso planius, quid simplicius? Quid quæso magis æquum, magis justum, magis industriæ, & negotiationi catholicorum hominum consentaneum? Non gravatur tradens, quia remanet solus dominus rei suæ, & ex hac alterius adjutorio illud quærit lucrum, quod ipse vel propter decentiam sui status, vel propter propriam imperitiam ex re sua nunquam posset elicere. Non gravatur item accipiens, quia non tenetur nisi de dolo, & culpa, ipsique præbetur commodum quærendi sibi, suæque familiæ victum, propriam adhibendo industriam, & laborem manuum suarum. Cæteri societatis modi ab hominibus inventi, ut ut ex his plurimi a Theologis, qui intime pervadere nequeunt animos, finesque tradentium, ab usura pluries salventur, & ab injustitia, sicuti reipsa in se inspecti sæpenumero nec usuræ, nec injustitiæ incusari possunt: iterum dico, in praxi non vacant periculis, quia multoties non fiunt pure, sincere, & bona fide, sicut decet, & experientia teste plerumque, & fere semper cedunt in grave accipientium detrimentum.

Omnia tamen hæc huc usque posita, & declarata meliori judicio submitto. Judicio præsertim indubitato, irreformabili, & falli nescio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ex animo amplectens egregiam illam Divi Bernardi sententiam Epistola 174. juxta Edition. Parisiens. an. 1572., quæ est ad Canonicos Lugdunenses -- *Quæ autem dixi absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc....: reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*



BE-

BENEDICTI XIV., PII V., & SIXTI V. CONSTITUTIONES.

Quum in hac Tractatione mentio sæpe numero fiat quarumdam Constitutionum, quæ sunt, & esse debent veluti regula nonnullorum contractuum; arbitror, me rem gratam Lectori facturum, si eas de verbo ad verbum hìc exscribam, ut easdem præ oculis ipse habeat, quoties de iis contractibus ferendum erit judicium.

ENCYCLICA

Benedicti XIV. ad Episcopos Italiæ super Usuris.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VIx pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ scientia, & Canonicæ Disciplinæ studio ac peritia plurimum commendantur: Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præstantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus selegimus; Præsulem

quo-

quoque Juris utriusque laurea præditum, & in Foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

Post hæc præcepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent: non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiæ caussam initio præbuerat, cum plura documenta non suppeterent, quæ necessario ad id requirebantur; Sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt. Jussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18. Julii, altera vero die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantundem duntaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, & usurarium est.

II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius caussa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quæ necessario in dati atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem æqualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione Justitiæ, quam commutativam appellant, & cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam & sancte servare, & non servatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque caussa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur,

pos-

posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari & impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam honestaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, sin minus ad usuram, (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit) at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est; Ita si rite omnia peragantur, & ad Justitiæ libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus & ratio suppetat humana commercia & fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Absit enim a Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso Oraculo Divino discamus, quod *Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum*.

V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, & nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque, recipere. Ita si quis senserit, non modo Divinis Documentis, & Catholicæ Ecclesiæ de Usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente -- *Volenti mutuari a te, ne avertaris* --, & quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere ne cum mutuo justus alius titulus; vere ne justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.

His verbis complectuntur, & explicant Sententias suas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus; Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem caussam non prætermisimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipsis etiam peractis; Nam præstantium Virorum Suffragia, quæ modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum hæc ita sint, adprobamus, & confirmamus quæcumque in sententiis superius expositis continentur; Cum Scri-

ptores

ptores plane omnes, Theologiæ, & Canonum professores, plura sacrarum Literarum testimonia, Pontificum Decessorum nostrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad easdem Sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus Auctores, quibus contrariæ Sententiæ referri debent; & eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem præbere videntur; Neque ignoramus, quanta Sapientia, & gravitate Defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt. Quare has literas Encyclicas dedimus universis Italiæ Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & cæteris omnibus innotescerent; & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis Sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Diœcesibus audeat Literis, aut Sermonibus contrarium docere: Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & subjectum declaramus pœnis per sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentia statuimus; Nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diversas abeunt Sententias; Attamen pietatis vestræ Studium, ac Religionem inflammandam existimamus, ut hæc, quæ subjicimus, executioni demandetis.

Primum gravissimis verbis Populis vestris ostendite, usuræ labem ac vitium a Divinis Literis vehementer improbari; Illud quidem varias formas atque species induere, ut Fideles Christi sanguine restitutos in libertatem & gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat; Quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potius ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria supra cæteros efferuntur, consilium exposcant.

Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam sacræ Theologiæ, & Canonum scientiam requirunt) ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe se abstineant: Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tamquam illicitam, & cum usura conjunctam; Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; Deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omni-

omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam Sententiam sequuntur, neque illam gravibus Censuris notandam afferant, si præsertim ratione, & præstantium Virorum testimoniis minime careat; Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Christianæ charitatis infringunt, & gravissimam Populo offensionem, & scandalum præseferunt.

Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes, & integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, & conditiones inferendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia postulent: Hæc magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem & scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum. Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum Sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam & sejunctam esse; Et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque Foro retineri; Ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam caussam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quæcumque per has literas a Nobis præscribuntur; Opportunis quoque remediis consuletis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in Diœcesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem & puritatem inducantur: Postremo vobis & Gregi curæ vestræ concredito Apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die prima Novembris MDCCXLV. Pontificatus Nostri anno sexto.

PIUS

CONSTITUTIO PII PP. V.

SUPER CENSIBUS.

PIUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm onus Apoſtolicæ Servitutis obeuntes cognoverimus innumeros celebratos fuiſſe, & in dies celebrari Cenſuum Contractus, qui nedum non continentur intra limites a noſtris Anteceſſoribus eiſdem Contractibus ſtatutos, verum etiam, quod deterius eſt, contrariis omnino pactionibus, propterea ardentem avaritiæ ſtimulum, Legum etiam Divinarum manifeſtum contemptum præſeferunt, non potuimus, animarum, prout tenemur) ſaluti conſulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam ſatisfacientes, tam gravi morbo lethiferoque veneno ſalutari antidoto non mederi.

§. 1. Hac igitur noſtra Conſtitutione ſtatuimus, Cenſum, ſeu annuum redditum creari, conſtituive nullo modo poſſe, niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur de ſui natura frugifera, quæ nominatim certis finibus deſignata ſit.

§. 2. Rurſum niſi vere in pecunia numerata, præſentibus teſtibus, ac Notario, & in actu celebrationis Inſtrumenti, non autem prius recepto integro juſto pretio.

§. 3. Solutiones quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

§. 4. Conventiones directe, vel indirecte obligantes ad caſus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

§. 5. Quemadmodum nec pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem Cenſui ſuppoſitam, quia volumus rem ipſam ſemper, & libere, ac ſine ſolutione laudemii, ſeu quinquageſimæ, aut alterius quantitatis vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari.

§. 6. Ubi autem vendenda ſit, volumus Dominum Cenſus aliis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda ſit, & per menſem expectari.

§. 7. Pacta continentia moroſum Cenſus debitorem teneri ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad Cambium, ſeu certas expenſas, aut certa ſalaria, ſeu expenſas medio juramento Creditoris liquidandas, aut rem Cenſui ſubjectam, ſive aliquam ejus partem amittere, aut aliud Jus ex eodem contractu, ſive aliunde acquiſitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita ſint, & nulla.

§. 8. Immo, & Censum augeri, & novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut personæ per eum suppositæ pro Censibus temporis, vel præteriti, vel futuri, omnino prohibemus.

§ 9. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de Jure, & ex natura contractus non spectarent.

§. 10. Postremo Census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui: Non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum, & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis aut Clausulis concepta sint.

§. 11. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei, cui pretium dandum erit, & post denunciam intra annum tamen etiam ab invito pretium repeti posse, & ubi pretium nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque redditum extingui posse, prævia tamen semper denuncia, de qua supra, & non obstantibus his, de quibus supra; idque observari mandamus etiam quo ad pluries, ac pluries denunciatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset.

§. 12. Pacta etiam continentia pretium Census extra casum prædictum, ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam caussam repeti posse, omnino prohibemus.

§. 13. Contractusque sub alia forma post hac celebrandos fæneratitios judicamus, & ita illis propterea non obstantibus, quidquid vel expresse, vel tacite contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a Fisco volumus posse vindicari.

§. 14. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in Censu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modo post publicationem Constitutionis creatus sit, perpetuo, & in omnibus servari volumus.

§. 15. Declarantes pretium semel Censui constitutum numquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quo ad ultimo contrahentes minui, vel augeri.

§. 16. Et licet Legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus; illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt Census, hortamur in Domino, ut singulos contractus Censuræ bonorum Religiosorum subjiciant, & animarum saluti consulant.

§. 17. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus; nec non privilegiis, & Litteris, etiam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausu-

lis

lis etiam derogatoriarum derogatoriis, nec non irritantibus Decretis, ex quavis caussa etiam per modum Legis universalis, aut alias quomodolibet editis, sive in favorem Universitatum, Communitatum, Collegiorum, Congregationum, Civitatum, & Locorum concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, quatenus directe, vel indirecte præsenti nostræ Constitutioni in toto, vel in parte contrarientur, specialiter, & expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 18. Volumus autem quod præsentes in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter Constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

§. 19. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis alicujus Notarii subscriptis, ac sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ

§. 20. Nulli ergo omnino &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono quartodecimo Kalendas Febr. Pontificatus nostri anno quarto.

Sequuntur Declarationes dubitationum desuper exortarum.

PIUS PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ETsi Apostolica Sedes magna adhibita industria operam det, omnia perspicue promulgare, vix tamen est ut umquam satis queat usquequaque cavere quin scrupulosæ quorumdam mentes novos illi sensus inducant, quorum perplexitate multi in dubium evocantur.

§. 1. Pridem enim per Constitutionem nostram de Censuum creatione inter alia volumus, Census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta ad ratam perire, sed etiam pro eodem pretio extingui posse. Ac pacta continentia morosum Census debitorem ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium seu salaria, & expensas medio creditoris juramento liquidandas teneri, aut rem Censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud Jus, sive ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto nulla, atque irrita esse. Censum autem, seu annuum redditum non nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habetur ex sui natura fructifera, atque nominatim certis finibus designata sit. Sed nec Censum ipsum, nisi vere in pecunia numerata præsentibus Notario, & testibus in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro, justoque pretio creari constituive nullo modo posse.

§. 2. Deinde per Dilectum Filium Octavium Spinolam Regni Siciliæ

Magistrum Portulanum hac de causa ad nos destinatum, accepimus in dicto Regno Siciliæ scrupulum exoriri, an rerum prædictarum, infructuositas etiam annalis, aut alias temporalis intelligatur.

§. 3. Et an per nullitatem pactorum aliorum prædictorum, etiam Jus recuperandi, sive repetendi impensas, quas litigando contra morosos prædictos, aut executores ad eorum loca transmittendo, aut alias ex Judicum mandato subire oportet, auferatur.

§. 4. Præterea an tam pro ipsis expensis quam etiam pro Censu recuperando contra tertium possessorem procedi? Et etiam Fidejussores dari, aliave bona prædii Censu gravati evictione, & ipsius Census solutione hypothecari? Denique, an Census hujusmodi super pluribus rebus inter se divisis constitui possit?

§. 5. Postremo an id, quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat quominus in dotium assignatione Census creari possit?

§. 6. Nos hæc discrimina, quantum in nobis est, tollere cupientes, tenore præsentium declaramus rem infructuosam, quæ tota, vel ex parte infructuosa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus uno, duobus, pluribusque annis, sive tempestate, sive alio casu non proveniunt, salva alias Juris communis dispositione intelligi debere.

§. 7. Præterea exactionem illarum expensarum prohiberi, quæ ex pacto, vel conventione tantum inter contrahentes inita, & instrumento Census specialiter appositæ refici permittuntur, non autem eæ, quæ ex dicti Juris dispositione repetendæ veniunt, & mandato Judicis adjudicantur.

§. 8. Ceterum Fidejussores dari, aliave bona hypothecari pro prædii Censu gravati evictione, aut si prædium in alium devenerit, aut si aliquis tertius Fidejussor intercesserit, tertium possessorem, vel ejus bona obligari minime prohibemus. Hæc autem omnia pro evictione duntaxat, non autem solutione pœnæ adjudicari posse intelligimus.

§. 9. Postremo in Dotium assignandarum casu Censuum erectionem, & Constitutionem prædictam respectu actualis numerationis coram Notario, & Testibus faciendæ locum non habere. Sed in hoc casu Census ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse declaramus.

§. 10. Denique, ut periculis, quæ ex transportatione pecuniarum frequenter in dicto Regno eveniunt, occurratur, permittimus ut si in creatione Census pecunia ad manum commode haberi nequiverit, illius loco Emptor apocam, seu schedulam bancariam idoneam integri pretii in ipso emptionis actu debeat exhibere.

§. 11. Constitutione nostra prædicta tam in casu Dotium, quam ceteris omnibus in ea contentis, in suo robore permanentibus.

§. 12. Volumus autem &c.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die 10. Junii 1570. Pontificatus nostri anno quinto.

CON-

CONSTITUTIO PII PP. V.

Super Cambiis.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN eam pro nostro pastorali officio curam diligenter incumbimus, ut Domini nostri ovibus opportuna pro animarum salute remedia adhibere minime differamus.

§. 1. Cum itaque ad aures nostras pervenerit, legitimum cambiorum usum, quem necessitas, publicaque utilitas induxit, sæpenumero ob illiciti quæstus cupiditatem depravari, ut sub illius prætextu usuraria pravitas a nonnullis exerceatur. Nos petitionibus, quæ super his Nobis nuper factæ sunt, hac perpetuo valitura decretali respondendum esse duximus, ut neque dolosis sua fraus suffragetur, neque ignaros perdat inscitia: sic enim Pastoris officium exequimur, dum gregem Nobis commissum ab æternæ damnationis periculo eripere modis omnibus studemus.

§. 2. Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, literas quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore unde processerant, inanes referantur, aut etiam nullis hujusmodi literis traditis pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus, nam inter dantes, & recipientes, usque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis hujusmodi literis receptis solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniæ, sive depositi, sive alio nomine ficti cambii traduntur, ut postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur. Sed, & in ipsis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, ut ad Nos perfertur, campsores præstitutum solutionis terminum, lucro ex tacita, vel expressa conventione recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia Nos usuraria esse declaramus, & ne fiant districtius prohibemus. Porro ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi, fraudesque fœneratorum statuimus, ne deinceps quisquam audeat, sive a principio, sive alias, certum, & determinatum interesse, etiam in casum non solutionis pacisci, neque realia cambia aliter quam pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur, ubi vero non cele-

 bran-

brantur, pro primis terminis juxta receptum locorum usum exercere, abusu illo prorsus rejecto, cambia pro secundis, & deinceps nundinis, sive terminis, exercendi. Curandum autem erit in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne, dum longiores præfiguntur, quam loca destinatæ solutionis desiderant, fœnerandi detur occasio.


§. 3. Quicumque contra hanc nostram Constitutionem commiserit, pœnis a sacris Canonibus contra usurarios inflictis, se noverit subjacere. Eos vero, qui conspirationes fecerint, vel congestam undique pecuniam ita ad se redegerint, ut quasi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis quæ a jure contra exercentes monopolia constitutæ sunt, retineri sancimus.

§. 4. Volumus autem quod præsentes literæ in Camera Apostolica, & ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ, etiam Apostolicæ publicentur, & in ipsa Camera rescribantur.

§. 5. Et quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quod earum transumptis &c.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, 5. Kal. Februarii, Pon. nostri Anno VI.



CON-

CONSTITUTIO SIXTI PP. V.

Super Societate.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEteſtabilis avaritiæ ingluvies, & inſatiabilis lucrandi cupiditas malorum omnium radix, uſque adeo excœcat mortalium mentes, ut multi nimis avide lucro inhiantes, in laqueos & inſidias diaboli miſere incidant; irrepit enim verſute, & callide antiquus humani generis hoſtis per varios dolos, & fallacias, & incautos homines quæſtus dulcedine captos, & delinitos opprimit, atque eo perducit, ut ſe ipſos in uſurarum voraginem, Deo hominibuſque odioſam, ſacris canonibus damnatam, & Chriſtianæ caritati contrariam fœde immergant, & dum vanas, & terrenas divitias quærunt, veras ac cœleſtes amittant, ſicuti nuper cum magno dolore audivimus, hoc malum in quaſdam Provincias pervaſiſſe. Nam multi ſpecioſum, & honeſtum ſocietatis nomen, ſuis fœneratitiis contractibus prætexendo, hoc quaſi colore, & fuco, mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis perſonis ſuper eorum mercibus, officinis, tabernis, panariis, aliiſque rebus, ac bonis, pecunias ſuas, aut alias res, ſocietatis nomine conferunt; vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, ſeu terrarum cultoribus, paſtoribus, aliiſque ruſticis, ſeu quibuſvis perſonis dant in ſocietatem ſive ad ſoccidam, ut vocant, ea conditione, ut ſors ipſa ſeu caput, quod vulgo dicitur capitale, tam pecuniarum, quam animalium, & rerum, ſalvum ſemper, & integrum exiſtat pro eo, qui non induſtriam aut operas, ſed pecunias, animalia, aut res hujuſmodi in ſocietatem confert, utque omne periculum, & damnum ab altero ſocio recipiente ſubſtineatur, contra æquitatem, & ſocietatis juſtitiam diverſimode paciſcuntur; eoſdemque ſocios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes, & egenos, ſuoque labore, & induſtria victitantes ad ſortem, ſeu capitale reſtituendum, quicumque tandem caſus, & rerum eventus conſequatur, pacto, & obligatione obſtringunt, ſimulque etiam certam lucri quantitatem, & ſummam, veluti tot pro quolibet centenario, in ſingulos annos, aut menſes per alterum ſocium, durante ſocietate ſolvendam, præfiniunt, ac præſcribunt; eamque ſummam, & quantitatem non ſubductis rationibus accepti, & expenſi, quod in codices, ſeu tabulas ſocietatis referri ſolet, neque facto calculo, vel computo, pro ipſius

lucri, vel damni modo variabilem, sed laborem, & curam computandi, & calculandi se invicem remittere, & renunciare asserentes, quovis tempore certam constituunt.

§. 1. Proinde Nos, qui hoc potissimum munus, nostræque pastoralis solicitudinis maxime proprium arbitramur, ut gregem Dominicum fidei nostræ creditum ab omni offensione, & æternæ vitæ discrimine tutum, in via salutis, cœlesti gratia adjutrice, dirigere nitamur, hujusmodi morbi contagionem antequam in communem fidelium perniciem latius serpat, quantum Deo favente possumus, tollere cupientes, de attributæ Nobis Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiam si fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, & integrum a socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses, durante societate respondeatur. Statuimusque hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones, usurarios, & illicitos posthac censeri debere; atque in posterum non licere iis, qui pecunias vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo, inter se pacisci, & concordare; neque etiam, sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios qui ea recipient, ad sortem, seu capitale salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum, quovis pacto, aut promissione sibi obligare. Ac ne de cetero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districte interdicimus, & prohibemus.

§. 2. Sed potius cuncti noverint societates hujusmodi, cum in posterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel industriam confert, pure, sincere, & bona fide sicut decet, justis, & æquis conditionibus, & pactis, secundum juris dispositionem, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut suspicione, ineundas seu contrahendas esse; ita ut non ad certam summam, aut quantitatem, ab omni periculo, & damno, ut præfertur immunem, lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum, socius accipiens teneatur. Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitime conventum sit. Ac præterea iidem contrahentes, fructus, expensas, & damna in commune conferant, & prout æquum & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant.

§. 3. Decernentes, siqui contractus, conventiones, & pactiones in futu-

futurum contra nostram hujusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tamquam per hanc eamdem Constitutionem nostram damnatis, & reprobatis, etiamsi juramento, aut in forma Cameræ Apostolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem, aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut personalem, aut judicis officium, neque aliud quodcumque jus cuiquam competere, neque quo ad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas, & quantitates in singulos annos aut menses lucri socialis nomine promissas.

§. 4. Si qui vero in posterum sub prædictis conditionibus, & pactis contrahere temere præsumpserint, aut prætextu similium contractuum, conventionum, & pactionum societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactionem dictæ sortis, seu capitalis, sive illius pretii, & valoris, postquam illud in toto vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certæ summæ, vel quantitatis annuæ, aut menstruæ sibi promissæ in futurum, procedere ausi fuerint, eos universos, & singulos in pœnas contra manifestos usurarios, & fœneratores, a sacris Canonibus, & Conciliis generalibus latas, & promulgatas, eo ipso incurrere, & contra illos, uti manifestos usurarios, & fœneratores, via juris, aliisque opportunis remediis procedi posse, & debere.

§. 5. Sicque ab omnibus censeri, & ita quoad præmissa universa, & singula per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Mandamus vero universis, & singulis locorum Ordinariis, per quascumque Provincias, & Regna Christiani Orbis constitutis, & quibusvis nostris, & Sedis Apostolicæ, etiam de latere Legatis, ac Vicelegatis, ceterisque officialibus, præsertim Provinciarum, & locorum Status nostri Ecclesiastici, ut in suis quisque Civitatibus, Diœcesibus, Provinciis, & locis præsentem nostram Constitutionem publicari, & inviolate observari curent, & contra personas, quæ in futurum, præter & contra prohibitionem hanc nostram pacisci, aut exigere ausæ fuerint, tamquam publicos usurarios, & fœneratores per viam accusationis, vel denunciationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, reosque culpabiles repertos condignis pœnis, ut supra dictum est, afficiant; invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 7. Non obstantibus quarumcumque Civitatum, Provinciarum, & locorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, &

literis

literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, ſive per modum Conſtitutionis, & legis perpetuæ quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis, & innovatis, quæ omnia nolumus cuiquam de cetero ſuffragari.

§. 8. Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis earum ignorantiam prætendere valeat, volumus, ut illæ in valvis Baſilicarum Principis Apoſtolorum de Urbe, & Sancti Joannis Lateranen., & Cancellariæ Apoſtolicæ, atque in acie Campi Floræ, per aliquem ex noſtris Curſoribus de more publicentur, dimiſſis, & affixis earum exemplis in acie, & valvis prædictis.

§. 9. Earumque tranſumptis etiam impreſſis, &c.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, decimo ſecundo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno II.



IN-

INDEX

Rerum præcipuarum, quæ hoc in Opere continentur.

Cam-

Dam-

Jus

Maritus


FINIS.

